
ACCADEMIA DI MEDICINA
DI
TORINO




PNEUMATO-PATHOLOGIA

SEU

TRACTATUS DE FLATULENTIS HUMANI CORPORIS AFFECTIBUS.

Autore FRANCISCO DE PAULA COMBALUSIER, *Regis Consiliario & Medico, e Regia Scientiarum Societate, Doctore Medico Monspeliensi, necnon in Valentina Medicinæ Facultate Professore Regio Primario.*



PARISIIS,

Apud JOANNEM DE BURE, ad Ripam PP. Augustinianorum, prope Pontem S. Michaelis, ad Insigne Divi Pauli.

M. DCC. XLVII.

CUM APROBATIONE ET PRIVILEGIO.



ILLUSTRISSIMO
AC NOBILISSIMO VIRO
D. D. JOACHIM
DEPIERRE DE BERNIS,

Regiæ, Antiquæ, & Nobilis Ecclesiæ Brivatensis Canonico, Comiti, Gallicæ Academiæ Socio.



OMES ILLUSTRISSIME

Cur munusculum istud tuo nuncuparim nomini, multiplex in promptu est ratio : quo præfulges dotum eximiarum acervus; præ-

a ij

celſum cui inſides in Republica Litteraria ſubſellium; patriæ ac tyrocinii in delibandis ſcientiarum rudimentis ſocietas; comis & benevola qua, non ſecus ac meritiſſimus Frater tuus, a teneris annis, me cohoneſtaſti propenſio; arctiſſimum tandem & inviolatum, quo utrique ſemper obſtrictus fui, amoris, obſequii, gratique animi vinculum. Cum tot gravia impulerint me momenta, non aliis quam tuis fauſtis certe ſub auſpiciis, huic operi noſtro in apricum prodire fas erat. Eodem doctrinæ lacte, olim in patrio ſolo enutritos, diſpari dein fato ſtudioque diu nimis disjunctos, quam juvat nunc paulo altiora ſapientes nos mutuo reviſere! At præſertim quam volupe & honorificum mihi, Comes

ILLUSTRISSIME, votis omnibus parem in te nancisci Mecenatem! Etenim ingenii, judicii, scriptorum fama, te licet adhuc in juventutis flore præludentem, ad summum litterariæ gloriæ culmen evexit, quod vix alii teneriori ad maturos honores ætate ambire audent. Tibi nobilem, æquam, beneficam mentem, alma mater natura concessit, quæ nec frangitur adversis, nec prosperis tumet, nec feliciori invidet, nec despicit humiliorem; sed eodem semper & miti tenore incedens, omnibus arridet, quia omnibus prodesse in deliciis habet. Cum primariis Regni magnatibus conjunctissima tibi necessitudo inest, quam non fucatæ & ex composito effictæ faciei, non dolosæ agendi normæ, non servili

adulationi; ſed perſpicaci egregieque candido animo, ſinceris affectibus, eleganti, nitido, ac vero ſermoni, tutis conſiliis acceptam debes, ſemperque amicis potiuſquam tibi ipſi utilem reddere geſtis. Generis tandem claritate micas, quam hic agmen claudere ne mireris. Quamvis enim ex inclyta & emerita ſtirpe genitus ſis, quæ ad antiquiſſimos Occitaniæ noſtræ proceres facili nec interrupto revolat aſcenſu, & ita in venerabile Brivatenſe Capitulum, tam proclive tibi patefecit iter; non alienis, non atavorum opibus eges, proprio fundo ditiſſimus, eaque nobilitate ſplendidior quæ virtuti, quam quæ ſolis debetur natalibus. Cum ergo tot tibi titulis devinctus ſim, Comes Illustrissime, *haud*


immerito, tuum ambit patrocinium fœtus hic noſter, cui faveas quæſo, ea qua ſoles humanitate. Nec deterreat te oblati muneris ſtudiis tuis parum conſona indoles; Apollo namque, cujus dilectiſſimus undique celebraris filius, ut pergratæ Poeticæ *arti, ita & utili nec injucundæ* Iatricæ *ſcientiæ præeſt. Sive igitur cum ſuavioribus camenis blando ac fraterno more laſciviens, innocentes lepidoſque ſimul agas luſus; ſive venuſtiores hinc & inde floſculos legas, omnigenoſque libes lepores, quibus tanquam ſale orationem & opera tua perſpergis, Atticam ſimul elegantiam,* Roma*namve urbanitatem, feliciſſimo conſortio nectens; ſive cum ſummo* Gal*licæ litteraturæ ſenatu, cujus hoc anno te principem fecit rara Aca-*

demicorum concordia, linguæ nostræ pomeria ampliare sollicitus sis; sive majora spirans, sanctissimæ religionis nostræ jura nervose & inconcusse heroico poemate tuearis, & ab impiorum atque incredulorum telis intacta serves: Publicum hoc grati obsequii monumentum, sicut & quæ ex intimis cordis penetralibus encomia manarunt, hilari ac serena fronte excipe, semperque te amicum ac fautorem præbere velis.

COMES ILLUSTRISSIME,

Addictissimi, Devotissimi,
& Observantissimi Servi
COMBALUSIER.

Dabam Lutetiæ Parisiorum,
die mensis Martii 8. anni
1747.



PROLOQUIUM.

UNICUS medicinæ ſcopus, ſanitas eſt, cui vigenti fovendæ, labanti fulciendæ, amiſſæ reſtituendæ tota invigilat. Quidquid ergo huic bonorum omnium auſpicatiſſimo inſidias ſtruit; quidquid œconomiam animalem lædit ac perſundat; id omne acriter ac penitus ſcrutari; cauſas ejus varias, nativam indolem & effecta, ſollicite indagare; tandemque dogmatica, prudenti, ac ſecura medendi ratione, noxia hæc omnia ſtudioſe depellere, probi & periti medici intereſt. Qui in hoc honorifico ac perneceſſario munere præſtando, molliter & deſidioſe, aut temerarie ac præcipitanter ſe gerit, merito exprobrandus, & contumelioſe e medicorum

albo rescindendus. Hinc a multis jam retro sæculis, selecta medica cohors, non tantum tradendis circa morborum omnium cognitionem & curam, præceptis generalibus strenue incubuit; verum etiam de multiplici ægritudinum specie, peculiares, eruditos, & accuratos edidit tractatus: unde in his sanandis dilucidior ac tutior dimanavit methodus. At quam multæ adhuc quasi intactæ supersunt, quarum natura densis obvoluta tenebris, & ad quas abigendas fida nondum detecta ratio. His accenseri merentur Flatulenti affectus. De iisdem enim pauci ex professo disseruere, pauciores adhuc veram ac mechanicam horum ætiologiam exibuerunt.

Inter Hippocratis opera, integrum de Flatibus librum reperire est, quem genuinum esse divini senis fœtum, asserunt non nulli, dubitant plures, negant non pauci. Arduam hanc litem dirimere, nos-

vetrum non eſt. Sive autem ab hoc venerando medicinæ antiſtite, ſive a Polybo, aut ab alio quocumque ſcriptus fuerit; non inſiciandum quædam in eo egregia & Hippocrate digna contineri. Verum hujus autor, æſtuanti genio ſuo nimium indulſit, morborum omnium ortum a Flatibus repetens. Unde tanquam Pneumaticorum princeps a quibuſdam habetur Hippocrates, licet id ex aliis ipſius operibus deducere promptum non ſit. Adde quod in hoc libro, id argumenti genus parum methodice pertractetur, & vix ullum ſit de Flatibus in primis viis occurrentibus verbum.

Joannes Fienus de Flatibus humanum corpus moleſtantibus Commentarium novum ac ſingularem anno 1682. edidit; in quo nitide quidem depinguntur Flatulenti plures affectus, multaque ſaluberrima circa eorumdem curam præcepta traduntur: at quæ de Flatuum

causis adduxit, sanioris physicæ & œconomiæ animalis legibus parum consona videntur. Carolus de Lafont Professor Avenionensis, in sua erudita simul ac concinna de Tympanite Dissertatione medica, optima quidem circa Flatus prodidit; verum a scopo aberravit, unicæ tantum eorumdem causæ attentus. Plura etiam non contemnenda, in Helmontii operibus cernere est circa argumentum istud. Celeberrimi Stahl disputatio de Flatulentia, ut & quæ de eadem ac de malo hypochondriaco-Flatulento, in sua Medicina Systematica Rationali, docuit eximius Fridericus Hoffmann, quamvis plura in his desiderentur, non parum tamen, in hoc concinnando opere profuerunt.

At vero in variis pervolvendis operibus, rectius nihil & accuratius, de Flatuum ætiologia, legere licuit, quam hæc pauca, quæ in aureis suis de cognoscendis & curandis

morbis Aphorismis, habet Hermannus Boerhaave, Batavum illud medicinæ lumen, cui in artis iatricæ studio, & præcipue in hac elucidanda, quantum penes me fuit, materie, me multum debere, lubens gratusque palam agnosco. Verum quoniam nonnisi obiter, & quasi data ansa, de ructu & Flatu tanquam de febrili symptomate edisseruit; mirum non est celeberrimum autorem, paululum contractiori sibique familiari stylo, hanc prosequutum fuisse provinciam, necnon graves quasdam Flatuum causas silentio prætermisisse: Unde illa Boerhaaviani operis pars, præclara licet & pulcherrimis eruditissimi ac meritissimi Reginæ Hungariæ Archiatri D. Gerardi Van-Swieten commentariis illustrata, non pauca adhuc hac in re exoptanda relinquit.

Præter hosce jam citatos autores, & paucissimos forte alios, plerique levem & nugatoriam, quin

etiam vilem & ſordidam Flatuum tractationem exiſtimant, hancque circumforanea tantum ac de triviis hauſta doctrina egere, ipſis videtur; hinc nonniſi raptim, aut perſunctorie, & quaſi oſcitanter, hac de re, ſermonem inſtituere conſueverunt. Flatus tamen, heu nimium! a contemptu vindicat numeroſa ex his progerminans malorum ſeges, quæ moleſta, dira, & exitioſa, mechanice explanare, non minus intricatum & arduum eſt, quam profligare.

Ab hac igitur, merito culpata ſentiendi & agendi ratione magnopere diſſidens, de Flatulentis affectibus tractatum conſcribere lubens aggredior, tot ægrotantium quos morborum hujuſmodi ferocia torquet, ac præſertim his tantopere obnoxii mitioris & delicatioris ſexus querelis commotus. O utinam iiſdem incitati peritiores in arte Apollinea magiſtri, huic operi manum haud ſegniter admoverent, ac mox

ſubjungendis rectiora candidi impertirent ! Ad id ſuſcipiendum ſola nos impulit detegendæ veritatis abditæ, necnon divexatis levaminis afferendi prurigo. Quæcumque tum theoretica tum practica cernuntur ibi, hæc non effervidæ ac laſcivientis imaginationis æſtus effudit, ſed ſedula naturæ inveſtigatio ſuppeditavit. Quod ſelectum & medulloſum, ex optimis ac probatiſſimis autoribus, excerpere licuit, hic attexere, propriiſque obſervatis & cogitatis addere conſultum viſum eſt. Num optatum attigimus finem ? A mente longe lateque adulatoria hæc opinio abeſt; felicioribus aliis viam forte monſtraſſe ſat erit. Quidquid autem hic præſtitum fuit, non ſingularem ac feſtivum quemdam ordinem aucupantes, ſed receptæ methodo obtemperantes, non floſculis ac venuſtatibus expolito, ſed nitido, & ad lectoris mentem erudiendam potiuſquam deliniendam compoſito ſtylo,

pro virili, exaravimus. Nonnullas tamen Augusti sæculo ignotas in operis contextu voces incuria fudit, quale est adverbium illud *præprimis*, quod barbare in Latium traductum esse fatemur. Tituli autem Tractatui nostro impositi rationem si quæras, hanc illico suggeret vulgatissimo Pathologiæ vocabulo addita vox altera Græca πνεῦμα, quæ ventum, Flatum, spiritum, vel aerem sonat. Unde etiam qui morbos omnes Flatibus tribuebant medici, Pneumatici vocabantur. Viguit olim hæc secta, cui præter Hippocratem, ut jam dictum, Atheneum, Agathinum, Herodotum, Magnum, & ipsum celeberrimum Areteum addictos fuisse fertur. Hanc a pluribus sæculis, oblivione extinctam, nuper restaurare nisi sunt Rozetti in suo Systemate Mechanico-Hippocratico, & D. Hecquet in sua Medicina Naturali.

Licet autem in hoc salebroso ope-

re navando, ſummam adhibuerim diligentiam, ut nihil omitteretur huic illuſtrando idoneum, & ex adverſo omne ab hoc ſcopo alienum amoveretur; non pauca tamen, haud dubie exciderunt, quæ caſtigari, vel forte prorſus deleri expoſcerent. Hujus ultimæ notæ non reputes, humaniſſime Lector, quæ de Flatuoſo tunicarum inteſtinalium tumore (18.) & de abdominali Tympanite (26. 27. 28. 29. &c.) verba fecimus. Quamvis enim de hoc tantum Flatulentorum affectuum genere ibi diſſerendi fuerit animus, quod tubi alimentarii interiora occupat; interim enatum in hujus parietibus Flatuoſum tumorem quo & cavum anguſtari, vel etiam præcludi, & abdomen in tumorem efferri poteſt, recenſere valde conſentaneum erat. Quod ad Tympanitem abdominalem ſpectat, de eodem hic tractare congruum viſum eſt, tum quia inteſtinali maxime

affinis, ejuſque perſæpe eſt effectus, tum ut integra & abſoluta intricati hujus morbi, non manca & imperfecta haberetur Hiſtoria.

Cum autem in enucleanda, quantum licuit, recondita Flatuum ætiologia, tot diſſimilium cauſarum indolem, vim, & agendi morem ſtudioſe perſcrutati ſumus, in hoc a pleriſque autoribus diſcrepantes; vix fieri potuit, quin nonnulla irrepeḥrent, quæ parum ſibi conſentire videntur, quæ tamen peritus ac benevolus Lector, ut emendare, ita & condonare facile poterit. Sic v. g. pluribus in locis, ſpaſmodicos affectus, generi nerveo ſpaſmodicam diatheſim inferre, in aliis autem non paucis, ſpaſmum atoniam nonnunquam poſt ſe ducere aſſertum fuit. Quæ duo apparenter inter ſe pugnantia, hic dilucidius indigent enodari. Spaſmus quidem vel ſpaſmodicus motus, cerebri, nerveique ſyſtematis intenſiorem actionem ſupponens, pro-

cliviorem ſpirutuoſo liquido viam cudere debet, villoſque nerveos tendere, & ad vibrationem aptare; unde facilius multo novi ſuborientur ſpaſmi, modo tamen communis liquidorum non exhauſta fuerit ſcaturigo, & ſuperſtites ac perennes maneant cauſæ, quæ certa ratione, vel cerebrum movere, vel ſtamina nervea concutere poſſint, ut in hyſtericis, hypochondriacis, & acri vividaque temperie præditis. Verum ſi violentiſſimus vel diuturnus præceſſerit ſpaſmus, illico ablatæ fuerint quæ hunc concitabant cauſæ, ſolitum deficiat, ob immodicam quamdam a ſpaſmo perſæpe promotam excretionem, nervei liquidi penu; vel ſi partium quarumdam tonum maxime labefactarit ingens fluidi a ſpaſmo repulſi acceſſus; tunc ſpaſmo atoniam ſuccedere neceſſum eſt. Ex his etiam nitide patet, a præviis ſpaſmodicis affectibus, uni loco ſpaſmodicam ſtricturam, alteri vero

laxitatem frequenter induci: ſic v. g. ſpaſmodico-Flatulenta colica haud raro ambo ventriculi orificia, vel nonnulla inteſtinorum anguſtiora loca ſtringit, dum intermedios parietes a repreſſo aere nimium diſtractos debilitat. Sic paroxyſmus hyſtericus perſæpe gulæ podiciſque ſphincterem arctat, dum partes alias, extremas potiſſimum, flaccidas, tumentes, ac pene fractas poſt ſe relinquit. Sic tandem omnes fere hujus familiæ morbi villos nerveos tendunt, & ad inordinatas vibrationes edendas expeditiores reddunt; dum interim nonnulla tenuiſſima ac debiliora vaſcula ab uberiori liquidorum regurgitatione onerata & ultra tonum extenſa, inertiora & languidiora evadunt. Hic demum ad majorem abſtruſi hujus argumenti perſpicuitatem advertere decet, ſpaſmum non ſolius auctioris elaſticæ virtutis eſſe progeniem, ſed potius a majori tonicæ ac muſcularis actio-

nis intensione sponte manare. Cum autem utraque a prævia distractione absolute independens, & viventis corporis villo cuicumque sensibili, aut carneo tantum propria sit, sicque maxime ab elastica discrepet; licet ad majorem gradum evecta fuerit, necessario tamen laxitatem non infert, modo aliunde debilitatæ non sint actionis cerebri & nervorum, unde oritur, mechanicæ causæ. E contra vero nimium aut frequentius recurrens elasticæ virtutis exercitium, quoniam semper alternatam ac vehementiorem supponit villorum distractionem, hos tandem infirmare ac laxare debet. Si ergo causa distendens spasmo vel spasmodico motui ansam præbuerit, facilius multo hujus pedissequa erit laxitas; si vero ab effrenato animi pathemate, aut a vellicatione & irritatione ortus fuerit, hunc plerumque major sequitur tensionis & constrictionis gradus. Actionis elasticæ,

tonicæ, ac muſcularis indolem; vim, convenientiam, & diſcrepantiam ſuſius explanare non eſt hujus loci. Ardua hac de re, enucleatius nihil reperire eſt, quam quæ manuſcriptis codicibus continentur, a D. Ferren nunc in Regio Franciæ Collegio peritiſſimo Profeſſore, olim Monſpelii traditis. Annotaſſe ſat erit, ad ſpaſmodicam ſtricturam, non non niſi per accidens & ubi quæpiam prægreſſa eſt diſtractio, elaſticum villorum renixum ſymbolum conferre; ſemper vero, efficienter, ac neceſſario, tonicam actionem, aut muſcularem, aut utramque ſimul concurrere. Alibi forſitan aptius & concinnius idem verſabimus argumentum.

In perquirenda (96.) ſtricturæ ſpaſmodicæ ſede, quæ tanquam potiſſima ſtatuitur choleræ ſiccæ cauſa, illam ſolis non inhærere craſſioribus inteſtinis cenſuimus, quia *ſi res ita eſſet, per ſolam inferiorem viam Fla-*

tulentus exploderetur aer. Cum autem paulo post (97.) Flatus ad superiora revoluti causas expiscaremur, hunc *a nimia infimæ intestinorum partis constrictione & angustia*, sic sursum repelli stabilitum fuit. Quæ ambo quamdam apparentem sic paucis elucidandam contradictionem involvunt. Cum enim spasmodicæ stricturæ cholera sicca præsertim adscripta fuit, non illam intelleximus, quæ constans ac permanens cavum penitus præcludit, sicque crassioribus intestinis insidens, Flatum in gracilia primum, dein in ventriculum & œsophagum repelleret; sed eam tantum quæ ductum quidem arctat, non obturat, & vehementiorem concitando peristalticum motum, ingenti cum impetu Flatus extrudit; quæ certe si in colo intestino occurrat, nec præclusus sit podex, violentam Flatuum per inferiora expulsionem ciere debet. Verum dum nimiæ inferioris

intestinorum partis constrictioni & angustiæ, Flatuum ad superiora recursum acceptum retulimus; tunc mali seu jugis ac præfractæ angustationis partim vere spasmodicæ, partim a turgidis sanguiductibus illatæ, intestini recti extremo sedes affixa fuit: ab hac autem consuetum tum fœci tum ipsimet Flatui exitum negari mirum non est; unde tunc alvus pertinacissime adstricta manet. Sic ergo jam evanescit notata contradictio.

Verum mirarentur fortasse non pauci, in hoc opere singularem prorsus omissam fuisse observationem, qua scilicet Flatus intestinorum accendi posse compertum est (*a*). Hæc enim Flatum ab intestinis emissum sulphureis igneisque particulis onustum esse, lucide per-

(*a*) Garmann. mirac. mortuor. Lib. 2. tit. §. 70. 71. Rudolph. Goclenius phisiol. crepit. ventr. probl. 16. A. N. C. decad. 1. ao 1. pag. 157.

hibet,

hibet, ibique idcirco peculiariter connotari merebatur.

Nihil hic proferre, summa cum sedulitate, curavimus, nisi quod experientia innixum; totidemque observationibus tractatum hunc ditare cordi fuit, quot certas & notatu dignas hinc & inde colligere licuit. Alias tamen non paucas excerpere fas est, v. g. ex Alberto (*b*) Flatulentiæ nimiæ & singularis exemplum; ex Zacuto Lusitano (*c*) Flatus furiosi Historiam miram; ex Blegny (*d*) Flatus susque deque emissi; ex Actis Academ. naturæ curiosorum (*e*), Tympanitis a suppressa Flatulentia observationem. Verum jam fere totum opus prelo sudaverat, cum varios hosce libros

(*b*) Jurisprud. Med. p. 11. pag. 437.

(*c*) Med. Princ. Histor. Lib. 6. Histor. 5. pag. 946. & seq.

(*d*) Zodiac. Gallic. an. 1682. mart. Observ. 8.

(*e*) Act. Acad. nat. curios. dec. 3. an. 3. Observ. 142

præ manibus habere contigit, forteque tædiosæ nimis prolixitatis fuisset, si obvia cuncta observata huc transferre placuisset. Duo tamen hic adjungam, certe recenseri digna. Utrumque ex Act. Acad. nat. curios. (f) depromptum, Flatuum enormem & funestam in humano corpore tragœdiam exhibet. Primum his verbis narratur. *Artis pharmaceuticæ in pharmacopolio Friderico vicino hujus metropolis, hactenus cætera sospes & incolumis discipulus, tyrocinio jam fere absoluto, intrito pane cum cerevisia melle condita calida, satis frugaliter postquam cenaverat, cubitum it, at mane mortuus in lecto invenitur. Nulla tam inopinæ necis causa externe apparente, novaculæ anatomicæ, quo illa pateret, subjicitur. Abdomine aperto nil statum morbidum indicans invenitur, nisi intestina universa Flati-*

(f) Act. Acad. nat. curios. decad. 3. ao 9. Observ. 172. Gustavi Casimiri Garliep.

bus immane distenta, immense turgida, omento sursum ad colum sub ventriculo omnino retracto, mutata, mire contorta, circumvoluta, complicata, confusa, ac extra naturalem ordinem ac situm penitus exturbata, alias rite uti & reliqua omnia tam supremæ quam mediæ regionis viscera, nulla notabili labe ullatenus affecta, nil nisi colicam immanem a Flatibus ortam arguebant, sicque tortores illos subitaneæ illius internecionis reos peragebant. Exemplo huic, maxime consimile est alterum a nobis (61.) relatum, quodque in Actis Britannicis reperiri, aliorum fide (g) notavimus. Altera Observatio sub hac verborum serie exponitur. *Gedani.... civis & mercator.... in atrio aulæ, a Flatu vehementi admodum urgetur, adeo ut conversationi invitus valedicere do-*

(g) Prax. med. Hermann. Boerhaave, seu Commentar. in Aphorism. ejusdem ab anonymo edita art. de Ructu & Flatu.

mumque properare adactus, vix medium plateæ citato emensus gradu, cum vim ejus & violentiam diutius tolerare nullatenus posset, in ædem alienam secedere, ac præfata ab hospite in vestibulo sibi obvia verecunde venia, habenas sphincteris hactenus ægerrime strictas, laxare tandem nolens volens cogeretur; unde tam immensus ventris evasit crepitus, qui quadrantis fere horæ spatio durans, ante non cessavit, quam cum spiritu illo fœtido, vitam quoque simul efflaret. Hæc autem stupenda Historia, ea firmat quæ (104.) de voluntariæ Flatuum cohibitionis periculo notavimus; ideo vero miserum hunc animam cum putidissimo Flatu exhalasse crediderim, quia violenta ac diuturniori pressione, ingentem elasticam vim adeptus aer, totus per apertum podicem prosiliit, ventriculum que & intestina inania reliquit; unde singularis in universo abdomine collapsus, tandemque

ſanguinis, omniumve liquidorum portentoſus appulſus, qui lethalem ſyncopem conſcivit. Hic demum ſilentio premere nefas eſſet, quod ex ipſo ore peritiſſimi medici aulici D. Senac excepimus, ipſum nempe plurium Tympaniticorum cadavera cultro ſubjeciſſe anatomico, in quibus inteſtina partim coercito Flatu turgidiſſima, partim vero arctata, contorta, & quandoque obdurata ac fere cartilaginea invenit. Qua Obſervatione humaniſſime ab autore communicata, plures alias conſimiles in operis contextu enarratas firmare lubet.

Quamvis in explananda Flatulentorum affectuum therapeia, variis caſibus magis accommodata ſtudioſe aptata fuerint præſidia; nobis forte vitio vertetur a nonnullis, numeroſiorem ibi remediorum congeſſiſſe turmam, quæ & medenti confuſionem parere, & ægrotanti noxam inferre poſſet, ſi omnia ad-

hiberentur. Verum cuncta quae proposui, semper in antecessum missis indicationibus subjacent; quapropter in descriptis curandi processibus, empyrica non est pertimescenda obscuritas. Nec inficior hic maxime nocivam esse medicaminum farraginem, quod repetitis vicibus in hoc opere notatum; nunquam enim eo animo adducta sunt, ut singula in uno eodemque morbo vocarentur in usum. De copiosa ergo non conquæraris supellectile. Plura hic habes, ut pauca seligas.

Autores tandem omnes sedulo citavi, ex quibus quidpiam depromere contigit, nec cuiquam debitam laudem detrahendi mens fuit.



INDEX PNEUMATO-PATHOLOGIÆ

SEU

TRACTATUS DE FLATULENTIS HUMANI CORPORIS AFFECTIBUS.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT SECUNDUM.

CAPUT TERTIUM.

CAPUT QUARTUM.

CAPUT QUINTUM.

CAPUT SEXTUM.

Quintuplex

APPROBATIO.

AMplissimi Galliæ Cancellarii jussu, Manuscriptum accurate perlegi cui titulus *Pneumato-Pathologia*, *seu de Flatulentis Humani Corporis Affectibus*; in quo nihil quoad scribendi methodum, sermonis nitorem & perspicuitatem, causarum morbificarum expositionem, rationem medendi, desiderari visum est. Quapropter typis dignissimum opus judico. Parisiis, die 15 mensis Novembris 1746.
BRUHIER.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS PAR LA GRACE DE DIEU, Roi de France & de Navarre; à nos Amés & feaux Conseillers, les Gens tenans

nos Cours de Parlemens, Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand Conseil, Prevôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils, & autres nos Justiciers qu'il appartiendra, SALUT. Notre amé JEAN DE BURE fils, Libraire à Paris, Nous a fait exposer qu'il désireroit faire imprimer & donner au Public des Ouvrages qui ont pour titre: *Lucii Cæcilii Firmiani Lactantii Opera, ad MSS. LXXV. Et Editos XXXIX Codices collata & Emendata. Pneumato-Pathologia, seu Tractatus de Flatulentis humani Corporis Affectibus*, Par le sieur COMBALUSIER. S'il Nous plaisoit lui accorder Nos Lettres de Privilége pour ce nécessaires. A ces causes, voulant favorablement traiter l'Exposant, Nous lui avons permis & permettons, par ces Présentes, de faire imprimer lesdits Ouvrages, en un ou plusieurs Volumes, & autant de fois que bon lui semblera; & de les vendre, faire vendre & débiter par tout notre Royaume, pendant le temps de *neuf années consécutives*, a compter du jour de la date des Présentes. Faisons défenses à toutes personnes de quelque qualité & condition qu'elles soient, d'en introduire d'impression étrangere dans aucun lieu de notre obéissance, comme aussi à tous Libraires & Imprimeurs, d'imprimer ou faire imprimer, vendre, faire vendre, débiter ni contrefaire lesdits Ouvrages, ni d'en faire aucuns Extraits, sous quelque prétexte que ce soit, d'augmentation, correction, changement ou autres sans la permission expresse, & par écrit dudit Exposant, ou de ceux qui auront droit de lui, à peine de confiscation des Exemplaires contrefaits, de trois mil livres d'amende contre

chacun des contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel Dieu de Paris & l'autre tiers audit Exposant, ou de ceux qui auront droit de lui, & de tous dépens, dommages & intérêts. A la charge que ces Présentes seront enregistrées tout au long sur le Registre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, dans trois mois de la datte d'icelles, que l'impression desdits Ouvrages sera faite dans notre Royaume & non ailleurs, en bon papier & beaux caracteres conformément à la feuille imprimée, attachée pour modéle sous le contre scel des Présentes; que l'Impétrant se conformera en tout aux Réglemens de la Librairie, & notamment à celui du 10 Avril 1725. Qu'avant de les Exposer en vente, les Manuscrits, qui auront servi de copie à l'impression desdits Ouvrages, seront remis dans le même état où l'Approbation y aura été donnée, ès mains de notre très Cher & Féal Chevalier le sieur Daguesseau, Chancelier de France, Commandeur de Nos Ordres; & qu'il en sera ensuite remis deux Exemplaires de chacun dans notre Bibliothéque publique, un dans celle de notre Château du Louvre & un dans celle de notredit très Cher & Féal Chevalier, le sieur Daguesseau, Chancelier de France, le tout à peine de nullité des Présentes. Du contenu desquelles, Vous mandons & enjoignons de faire jouir ledit Exposant & ses ayans cause pleinement & paisiblement, sans souffrir qu'il leur soit fait aucun trouble ou empêchement. Voulons que la copie des Présentes qui sera imprimée tout au long, au commencement ou à la fin desdits Ouvrages, soit tenue pour duement signifiée, & qu'aux copies collation-

nées par l'un de nos Amés, Féaux Conseillers & Secretaires, Foi soit ajoutée comme à l'original. Commandons au premier notre Huissier ou Sergent, sur ce requis, de faire pour l'exécution d'icelles tous actes requis & nécessaires sans demander autre permission, & nonobstant Clameur de Haro, Charte Normande & Lettre à ce contraire. Car tel est notre plaisir. Donné à Paris le treiziéme jour du mois de Janvier, l'an de Grace mil sept cent quarante-sept, & de Notre Regne le trente-deuxiéme. Par le Roi en son Conseil.
SAINSON.

Registré sur le Registre onze de la Chambre Royale des Libraires & Imprimeurs de Paris, No. 734 Fol. 650. conformément aux anciens Réglemens confirmés par celui du 28. Février 1723. A Paris le 18 Janvier 1747.

G. CAVELIER *pere, Sindic.*

PNEUMATO-



PNEUMATO-PATHOLOGIA

SEU

TRACTATUS DE FLATULENTIS HUMANI CORPORIS AFFECTIBUS.

I. PNEUMATICORUM mente, qui morborum fere omnium genesim flatibus adscribunt, maxime alieni, seposita omni hypothesi, ac sola observatione duce, Flatulentorum affectuum, quibus conflictatur humanum corpus, duplicem statuimus classem. Prima eos complectitur, qui in tubo alimentario, seu ductu ab

imis faucibus ad anum usque protenso ; sedem obtinent. Altera vero hos omnes comprehendit , quibus reliquæ corporis partes obsidentur. De prioribus , ut pote in quotidiana praxi frequentius obuersantibus , hic tantum differere consultum duximus , de posremis alibi forte dicturi.

CAPUT PRIMUM.

FLATULENTORUM AFFECTUUM HISTORIA.

2. Œsophagum , ventriculum & intestina , præcipuam morbis Flatulentis sedem præbere , a nemine ambigitur , cum id quotidiana evincat experientia ; cuilibet enim pluries in die , post pastum præprimis experiri contingit , Flatus superne aut inferne erumpere , aut hinc & illinc per abdomen divagari. Si nec dolorem nec molestiam invehant , nullave ratione valetudini obsint , extra hujus Tractatus aleas excurrunt ; si vero cruciatu aut satis notabili noxa stipati concitentur , medicam opem exigunt , ac proinde non immerito , diligenti & industria indagine expendendi.

FLATUS IN GENERE.

3. Hic Flatus nomine intelligitur halituosa, aëreo-elastica, & in expansionem magnopere nitens materies, alimentariam qua concluditur fistulam violenter distendens, quæ ibidem modo coercetur & incarceratur; modo patente via per varios hujus longissimi canalis tractus oberrat; modo tandem, concesso exitu, foras explosa prorumpit; sicque dolorem, tormina, turgescentiam, aliaque sœva symptomata parit. Nec forte aptiorem ac concinniorem Flatus ideam tibi fingere fas est; quæ enim paucis sic adumbrata, Flatulentos omnes affectus mox recensendos, commodeque ad triplex designatum genus revocandos, adamussim & dilucide exhibet.

FLATUS EXTUS ERUMPENTES.

4. Agmen ducunt ii in quibus Flatuosus vapor e corpore exclusus erumpit, cœteris plerumque mitiores ac notiores, varia sortientes nomina, pro diversa via qua prosilit Flatus.

Ructus.

a. Si per superiora exurgat Flatus,

Ructus nuncupatur, qui, pro variis quibus inquinatur halitibus, acidus est, amarus, nidorosus, fœtidus, insipidus, vel specificus, ut quibusdam placet, qui ingesti saporem redolet.

Peditus & Crepitus.

b. Si Flatus per anum extrudatur, diversimode vocari solet, pro varia qua exilit ratione. Silens ac placide trajectus, peditus Latinis, Σιγώδης Græcis dicitur; qui autem sonorus seu cum strepitu quodam eliditur, latine ventris crepitus vocatur, græce Ψόφος, Ψοφώδης Βόμβος, aut Τρισμώδης, aliisque insigniur nominibus, prout creber tantum ac minutulus, gravis aut acutus sit stridor, aut Flatus siccior est vel humens, aut tandem insignem in exitu fragorem adjunctum habet.

Cholera Sicca.

c. Si cum ventris inflatione, strepitu, pertinaci adstrictione, torminibus, laterum & lumborum dolore, sursum & deorsum simul violento impetu explodatur Flatus, Cholera sicca audit, quæ a nemine rectius depicta quam ab Hippocrate (*a*).

(*a*) De victus Ratione in acut. Lib. 4.

5. Hactenus descripti affectus, qui exteriori & manifesta Flatuum eruptione se produnt, quorum fortasse accuratior & scrupulosior hic apposita enarratio deridicula ac graveolens nonnullis videbitur; verum fœtoris expers est sermo, ut trito & vulgari fertur adagio, nec unquam cordatum virum languidæ hominum sanitati redintegrandæ inhiantem, & naturæ vestigia sedulo prementem, hujus obvia quæcumque phænomena inquirere ac referre pudebit.

FLATUS INTUS CONCLUSI.

6. A Flatibus in ventriculo aut intestinali tubo coercitis nec erumpentibus, aliæ ac persœpe immaniores sobolescunt ægritudines, quæ statim bifariam dividuntur, prout vagus & mobilis est Flatus, aut peculiari cuidam loco affixus.

Borborygmus.

a. Dum citra dolorem, per intestinorum anfractus strepens circumvolvitur ventus, fictitium ipsi Borborygmi nomen inditum fuit; in quo, modo tenuis & acutus, modo murmurilli speciem referens, modo obscurus, modo latissimarum tibiarum strepitui non absimilis sonus editur.

Colica Flatulenta vaga, Tormen.

b. Si abſque murmure ullo, ſed dolorem vividum inferens, nunc in hanc, nunc in illam inteſtinorum partem excurrat Flatus, Colica Flatulenta vaga, Tormen ſatis apte dicitur, græce verò Στρόφοι, Ἀνείλημα, Είλησις.

Colica Flatulenta ventriculi.

c. Dum quadam in parte ſubito reſtricti Flatus cohibentur, ibique dirum & ingentem pariunt dolorem, vera & fixa adeſt Colica Flatulenta, quæ perſæpe ventriculum affligtans, cum nempe inter ambo ipſius orificia incarcerantur Flatus, tunc ſtomachica vocatur, & innumera truculenta ſymptomata accerſit. Tum ſœva fit tunicarum ventriculi expanſio, ut penitus diſcindi videantur, ægre ſpiritum ducit æger, ſumma urget anxietas, frigent extrema, fatiſcunt vires, contrahitur facies, luridus eſt aſpectus, ſtringuntur fauces, libera inhibetur deglutitio, tinniunt aures, palpitat cor. Nonnunquam ulterius ingraveſcente affectu, icterus, vertigo, ſyncope, imo & ipſamet apoplexia, infauſto omine, accedunt. Quandoque tamen tantopere non efferatur malum, & victricis naturæ vi-

tibus, crebra ac vehemens movetur eructatio, qua illico atrocia hæc ſymptomata miteſcunt, tandemque lætis patientium avibus fugantur.

Colica Flatulenta inteſtinalis.

d. Haud infrequenter in inteſtinis tenuibus vel craſſis concluſi hoſpitantur Flatus; hinc Colica naſcitur inteſtinalis, cujus fere conſimilis acerbitas, pertinaci alvi ſtrictura, inquietudine, extremorum frigore, virium lapſu ſtipata; cordis palpitationem, ſcotomiam, lipothymiam, icterum, miſerandum tandem ileum, non raro infauſte aduocans, quæ ſœpius tamen, ſurſum ac deorſum exploſis flatibus, feliciter domatur.

Meteoriſmus.

e. Si a collectis Flatibus ventriculus & inteſtina derepente ita turgeant, ut exinde præter modum, ac præſertim hypochondria verſus, intumeſcat, & quaſi in ſublime tendat abdomen; hæc acuta, nec ultra limites morborum hujus indolis extenſa intumeſcentia, ſive dolorem comitem habeat, ſive ejuſdem expers ſit, meteoriſmus late vocari conſuevit.

Tympanites.

f. Tandem, si ita perennis ac pertinax sit in ventriculo & intestinis Flatuum genesis & detentio, ut tumor inde exurgat totius abdominis diuturnus, constans, renitens, percussu resonans, jam præsens est Tympanites, a tympano, cujus sonum æmulatur, nomen habens, mirandum morbi genus, cujus paulo inferius elaboratior ac prolixior subnectetur descriptio.

Anadrome, seu Flatuum ad superiora recursus.

7. Non raro præcluditur fere via ad anum tendens, aut saltem ita arctatur, ut cum præfracta alui siccitate & segnitie, ventriculum versus revoluti Flatus, ferme assiduo aut eum acerbe repleant & expandant, aut ingenti cum impetu ex ipso per superiora efferantur; & molestum hunc Flatuum ad superiora recursum, græcâ voce Ἀναδρομήν percelebri viro (*a*) vocare placuit. Qui affectus, hypochondriacis valde familiaris veluti mixtus est, cum partim foras prosiliant Flatus, partim vero ipsis denegetur exitus; unde choleræ siccæ semi-suppressæ

(*a*) Ernest. Stahl Dissertat. de Flatulentia.

nomine haud inconcinne insigniri posset.

FLATULENTIA.

8. Qui gravi ventriculi & intestinorum tensione ac inflatione, diris circa umbilicum, epigastrium & hypochondria cruciatibus, torsionibus, lancinationibus borborygmis ructibus, cardialgia, respirandi difficultate, palpitatione, aurium tinnitu, partium concussione, verbo omnibus supra expositis affectibus, frequentissime & levi data ansa torquentur, hi Flatuosi aut ventosi latine, Πνευματώδες, φυσώδες græce dicuntur; & hæc ipsa indomita summeque implicata affectio, qua malo suo fato cruciantur, congruum Flatulentiæ nomen sortitur, quo igitur intelligenda occurrit insolens, copiosa, frequens, ac molesta, Flatuum concitatio, mirandam symptomatum (a 2 ad 8) syndromem, sibi comitem adsciscens. Horum certe lugenda sors. Cum enim, alioquin vegeta satis valetudine potiri videntur, si paulo magis quam pro solito ventriculum onerent; si mœrore quodam angantur; si levis ipsis incutiatur terror; si paululum excandescant; si corpus nimium exerceant; si frigus patiantur; si paulo largius spirituo-

ſum hauriant liquorem; ſi fructus horæos, piſa, fabas, fermenteſcibilia varia, Flatuoſa vulgo dicta, quæ ab aliis citra ullam noxam aſſumuntur, vel minima copia ingerant, Flatibus nunc derepente, nunc ſenſim collectis undique turgent, ac miſere divexantur. Adde perſœpe in hujuſmodi ſubjectis, quaſi ſponte & nulla ad ſenſum inſtigante cauſa procatartica, Flatus commoveri.

Tres Flatulentiæ ſpecies.

9. Hæc autem ſic delineata Flatulentia (8) merito ac ſollicite triplex in praxi diſtinguenda, ut metuendis ſemper in ea erroribus locus omnis præripiatur; alia nempe torpidior & ſegnior eſt, quæ mitius incedens, tot infenſa & atrocia mala non parturit, in qua Flatus, quaſi quieſcens, ut ait Fienus (*a*), aut ſaltem tardo tantum motu actus, nulla ferme alia ſymptomata inducit, præterquam quod ventrem ſine multo, aut tantum cum levi ac tenſivo dolore, turgidum reddat. Hic tamen affectus, licet magna ferocia exutus, medicamentis auſcultare ſatis præfracte negat, ſociumque ut plurimum habet copioſum Flatuum proventum, necnon

(*a*) De Flatibus Commentar. novus cap. 6. de Flatuum different pag. 24. & 25.

gravem inflationem, appetitus proſtrationem, coctionis depravationem, & quandoque alvi profluvium infert.

10. Alia vero vividior & acrior obſervatur Flatulentia, cujus ſcilicet intenſior ſœvities, & in qua Flatus motus, vagabundus, furens, velut proteus alter, ut mox laudati autoris voces uſurpem, aut perniciſſimo impetu per varios tubi alimentarii tractus rapitur, aut alicubi vi incarceratus ſummopere in ampliora ſpatia diffundi enititur, ſicque immanes cruciatus, torſiones, tormina, palpitationem, cardialgiam, ſyncopem, aliaque ſymptomata generat, ſed præcipue tantam inteſtinorum in infima parte, & extreme ſubjecto podice, conſtrictionem fere ſemper ſibi comitem accerſit, ut quandoque ad clyſterem injiciendum fiſtula in anum immitti nequeat, & plerumque pertinax ſit alvi ſiccitas, nec niſi prædura ſcybala cum ingenti & dolorifico conatu, raro tamen egerantur.

11. Aliam demum addere licet Flatulentiæ ſpeciem, frequentionem forte, duplicis jam deſcriptæ perſœpe ſobolem, inter utramque mediam, nec mitiorem nec ſœviorem, ſed plerumque contumaciorem, in qua Flatus, nec ſemper torpeſcens, nec jugiter ferociens, modo ve-

hementius movetur, & ita nunc intestina moleste inflat, nunc violenter & acerbe distrahit, modo utrumque simul, sed in diuersis hujus canalis partibus præstat, tandemque varia indole dissimilia symptomata parit. Ut subtilior forte & minutior, nec sensibus obvia, habebitur a nonnullis hæc exposita Flatulentiæ divisio; verum jam notatam in hoc affectu diversitatem, licet non parum intricatam, & inattentis ac rudioribus constanter prætervisam, sedulo, sagaci, & perito medico, detegere, & advertere, tantopere arduum non erit.

12. Priori Flatulentiæ speciei (9) potissimum obnoxii deprehenduntur laxiori & spongioso corporis habitu præditi; serosi; phlegmatici (*a*); pueruli; senes; otiosi; desides; molliorem ac sedentariam vitam degentes; somno nimium indulgentes; diuturno mœrore fracti; jam prægressis morbis, ut immodico cruoris profluvio, debilitati; frigida ventriculi intemperie, ut antiqui loqui amant, laborantes; cachectici; mucida, viscida ac oleosa alimenta largius ingerentes; uberiorem lactis aut aquæ copiam hau-

(*a*) Frider. Hoffman. Medic. Systemat. Ration. cap. de Flatulentia. Tom. 4. part 4. Nenter Fundamenta Medic.

rientes; tandemque qui apoplecticos aut paralyticos insultus jampridem experti sunt (*b*).

13. Secunda Flatulentiæ species (10) priori multo frequentior, præsertim in fervidioribus plagis, mulieribus hystericis imprimis familiaris est, in quibus ita diram exercet tyrannidem, ut persœpe ructibus, borborygmis, torminibus, & colica Flatulenta misere dilanientur; ac fere semper paroxysmi hysterici tempore, Flatus ex imo ventre, globi instar, ad gulam usque recurrant, quæ, cum præclusa sit, quasi suffocatæ jacent ægræ; nec strangulatus ille discutitur, nisi, reseratis viis antea occlusis, Flatus, qua data porta, erumpant. Nec minus propria ac gentilitia hæc Flatulentia (10) viris hypochondriaca passione excruciatis, quæ tantam cum hysterica fovet affinitatem, & ab ea, nulla ferme ratione abludit. Nullibi autem uberius ac sœpius concitari flatus attenta docet observatio; superius enim descripta symptomata (8. 10. 11.) simul cum variis tractoriis doloribus, vertigine, pectoris angustia, cephalalgia, copiosiori salivæ fluxu, totius corporis languore, terrore, angore, tristitia, diffidentia, somno turbulento,

(*b*) Georg. Bagliv. Prax Medic. lib. 1. pag. 112,

perversa phantasia & ingenti mortis formidine, passionem hypochondriacam, vera imagine, depingunt. Huic igitur sontico ac fere insuperabili malo, perpetuo & individuo comitatu jungitur Flatulentia, persœpe choream ducens, illud in procinctu stare nuncians, tandemque cum eo unum & eundem morbum constituens: hinc hypochondriaca passio, apto spasmodico-Flatulentæ affectionis cognomine insignitur (*c*). Huic etiam Flatulentiæ speciei (10), præ cœteris subjacent melancholici, atrabilarii, cholerici, litterati, perspicaci ac vivido ingenio gaudentes, scientiarum studio acrius incumbentes, elucubrationibus addicti, salaces, scortatores, & qui gravi quodam animi pathemate, iracundia, terrore, indignatione, vehementius sœpiusque percelluntur; quos omnes hypochondriacos frequentissime evadere quodidiana docuit experientia.

14. In eam adhuc Flatulentiam (10) maxime proclives sunt sanguinei, præcipue qui conamina hæmorrhoidalia patiuntur, aut quibus vel sponte, vel præpropera ac intempestiva medicatione citius cohibitus fuit saluber hæmorrhoidum

(*c*) Frider. Hoffman. Medic. System. Rational. cap. de Flatulent. Tom. 4. part. 4.

fluxus (*d*). Huic etiam habituali affectui facile patent, quæ periodico menstruali profluvio, quacumque de causa, defraudantur mulieres; econtra si, ut par est, hæmorrhoides aut menstrua effluant, mitiores & rariores fiunt, imo & quandoque penitus profligantur, Flatulentiæ insultus. Hæc insuper edaces, helluones, vini & liquorum ardentium potatores, & acria, aut sale, pipere, & aromate nimium condita alimenta copiose ingerentes, haud infrequenter adoritur. Id tandem Flatulentiæ genus nonnunquam pariunt propinata mochlica, catharctica, vehementiora emetica, toxica corrosiva, tum & frequentes frigoris ac caloris vicissitudines, gelidæ potioris largior haustus, insolitæ manuum, pedum, vel alterius partis, refrigerationes, sed potissimum deambulatio nudis pedibus supra pavimentum frigidum.

15. Superius expositæ (a 12 usque ad 15) dissimilis indolis causæ diversa ratione simul concurrentes, aut cum certis ac singularibus circumstantiis, vel peculiari ægrotantis temperie ac prævia quadam dispositione coincidentes, postremam Flatulentiæ speciem (11) inferre paratæ, quam facilius incurrunt nec

(*d*) Stahl Disputat. de Flatulent.

mollem nec constrictam sed potius moderate tensam corporis texturam nacti, nec fervidi, nec languidi, sed temperati; in quam denique, ut plurimum duplex alia, temporis lapsu, haud ægre commutatur, sicut & vicissim hæc in alterutram, paulo tamen difficilius, pro vario causarum concursu, abire apta, ut praxis edocet, fusiusque infra explanabitur.

16. Triplicem hanc Flatulentiæ (9. 10. 11.) speciem promiscue advocant diversi generis intemperantiæ, errata in sex rerum non naturalium usu, & ingesta Flatuosa vulgo dicta, qualia sunt mucida, tenacia, spumidæ ac elasticæ indolis, copioso aëre fœta, in effervescentiam, fermentationem, vel putredinem, prona; fructus horæi, oleracea, dulcia, mellita, lacticinia, pinguia, frixa, pisces marini saliti, panis e clibano calide prodeuns, placentæ, mustum, castaneæ, fabæ, pisa, phaseoli, legumina omnia, ut & alia plura. Hasce causas omnes hic obiter, & historica tantum brevitate, narrare tulit recepti ordinis ratio; alibi enim congrue magis earundem vires elucidabuntur.

17. Qui jam præfata (a 3. ad 17.) intenta mente expendit, perspicit illico descriptos huc usque affectus mox primarios esse & essentiales, seu a propria sua causa,

causa, non vero ab alio prævio morbo manare; mox vero secundarios & symptomaticos, seu alterius prægressi affectus sobolem esse. Sic v. g. Colica Flatulenta (6. *b. c. d.*) a fructuum horæorum ingurgitatione orta, primaria seu essentialis dicitur, ut pote quæ peculiarem sibi caussam sortiatur, e qua, non vero ex alio morbo, subnascitur; quæ vero parentem habet passionem hystericam, hæc merito secundaria vocatur. Sic Flatulentia nonnunquam, ob varios in victus regimine errores, independenter ab ullo alio antegresso affectu contrahitur, & primaria; quandoque vero cohibitæ menstruæ purgationis, intercepti fluxus hæmorrhoidalis, vel alterius cujuscumque morbi est pedissequa, & symptomatica nuncupanda. Ex prædictis etiam proclive est Flatulentos omnes affectus modo simplices esse, seu solitarie, & sine ullius morbi comitatu ingruere, modo compositos vel complicatos, ipsis nempe socios adjungi variæ indolis morbos.

FLATUOSUS TUNICARUM INTESTINALIUM TUMOR.

18. Verum instituto ordini parum obsequiosi videremur, si novum quoddam, nec forsitan a medicis ante visum tumo-

rum intestinalium Flatulentorum genus, a clarissimo Academiæ Scientiarum Imperialis Petropolitanæ socio, observatum ac litteris consignatum (e) hic silentio premeretur. Intestina igitur, in cujusdam cadaveris apertione, per insignem tractum, plurimis extimæ tunicæ tumoribus, vesicæ instar turgidis, obsita deprehensa fuerunt, quorum alii latiores, nonnulli contractiores, plus minus eminentes, quidam annulli instar totum intestini ambitum complectentes, iisque locis, crassitiem notabilem conciliantes, omnes nativo intestinorum colore præditi conspiciebantur. Cœterum extus, & superficie tenus, considerati, diaphana & candida materia turgere, comprimenti digito crepitantium vesicularum sensum imprimere; intus vero post incisionem, cellulas candidas, favum mellis æmulantes, siccas, ac humore vacuas, referre visi sunt. Inverso intestino, super interiori facie, &, quod animadversione magis dignum est, e directo, ejusmodi tumores, pari numero, forma, & amplitudine, qua in exteriori superficie, conspicui

(e) Commentar. Academ. Scient. Imperial. Petropolit. Tom. V. Duvernoy Observat. Anatom, aër intestinorum, tam sub extima quam intima tunica inclusus. Pag. 213. & sequent.

erant; & eorum nonnulli adeo protuberabant, ut fere cavum canalis obturarent. Tumores autem hosce vera esse emphysemata perspicue liquet; ibi enim emphysema Εμφύσημα adest, ubi incluso, ac per partium textum expanso aëre seu flatu, extuberat locus. Sed de hoc alibi.

PROLIXIOR, ET ACCURATIOR TYMPANITIS DESCRIPTIO.

19. Nunc ultimo, merito tamen, inter hosce Flatulentos affectus, peculiariter fusiusque expendendum est perrarum ac stupendum morbi genus, jam obiter delineatum (6. *f.*), quod a græcis, Τυμπανίας, Τυμπανίτης, à latinis vero hydrops siccus dici consuevit. Morbus est summe intricati scrutinii, ad quem hic lustrandum ac indagandum, nos quasi reluctantes, & tanto quæstionis pondere jam gravatos, suscepti operis ratio adigit. Hunc ergo primum examussim pingere decet. Ab omnibus ferme inter chronicos, & recte quidem, annumeratur; licet per breve satis temporis spatium nonnullos ægrotantes hoc peremptos fuisse observatione constet. Non ergo ea ratione, seu ob decursum suum, qui plerumque diuturnus, verum potius ob indomitam sœvitiem, acutissimi denominatione

a peritissimo Baglivio (*f*) insigniri debuit. Ad morbum hunc viam sternunt prævii quidam affectus, cujusmodi sunt hactenus expositi (a 3 ad 19) præsertim Flatulentia, & colica Flatulenta sœpe recurrens; passio hypochondriaca & hysterica; asthma spasmodicum; alvi adstictio; longæ febres continuæ & intermittentes; icterus; partus laboriosus; lochiorum fluxus male succedens, aut omnino cohibitus; omissa, puerperii tempore, sufficiens primæ regionis a sordibus expurgatio; neglecta tunc in certis casibus abdominis deligatio ac compressio, & errores in diæta commissi; imprudens ac violenta secundinarum extractio; abortus; variolæ; morbilli; verminosa colluies; glandularum meseraicarum infarctus &c. Verum proxime imminentis Tympanitis assidui prodromi sunt alvus adstricta, tormina, cruciatus circa umbilicum, & lumborum dolor; quod recte ab Hippocrate animadversum (*g*) his verbis: *Quibus tormina adsunt, & circa umbilicum cruciatus ac lumborum dolor, qui neque medicamento, neque per alia præsidia solvuntur, in hydropem siccum firmantur.*

20. Persœpe clanculum & tacite nas-

(*f*) Prax. Medic. Lib. 1. de Hydrop sicco. pag. 82.
(*g*) Aphor. 11. Section. 4. Coac. 34. cap. 11.

citur Tympanites, ita ut ipsius initia adverti nequeant, & tympanitici, vento revera gravidi, conceptus sui modum & tempus ignorent, ut jocose scribit Willisius (*h*). Sic tamen prodire solet. Post aliquamdiu sœvientem necdum sedatum lumbaris ac umbilicalis regionis dolorem & tensionem, nec non pertinacem alvi adstrictionem, vehementer & utris in modum, sed gradatim expanditur abdomen, induratur, renititur, ac digito percussum, tympani instar, sonum edit. Sic tumens abdominis moles, minus quam in ascite gravis, licet quandoque major aut minor existat, nullum plerumque, modicum nonnunquam, fluctuantis liquidi indicium præbet, sed rugientibus intestinis sœpe obmurmurat; nec in supino ægri decubitu, paululum ad latera decidit & detumescit, nec ad latus in quod decumbit, provolvitur, sed tensa, dura, ac sursum & umbilicum versus elata, constantissime permanet; nec servat admoti digisi impressionem, at pressa, mox iterum attollitur. Arida semper ventris cutis deprehenditur. Ita adstringitur alvus, ut tympaniticos vidisse meminerim, qui per octiduum & ultra, ne unica vice dejecerant fœces; hæ vero stercori caprino

(*h*) De Tympanite cap. 4. Sect. 2. Tom. 2.

prorsus similes, & exsuccæ, in hoc morbo, egeruntur: frequens est ructus desiderium, eoque sicut & flatibus per inferiora, difficile ac violenter per vices extrusis, aliquantulum levari videtur æger; ex hinc tamen tumens non subsidet venter: fere semper ingens in præcordiis fervet æstus: urget plerumque non pellenda sitis, nisi ipsa morbi causa corpore fugerit: tensivus umbilici & lumborum dolor, quo instans prænunciari, nascens stipari solet Tympanites, in hujus progressu, nunc compescitur, nunc vigere pergit, aut saltem per vices reviviscit: raro tument pedes, nisi comes adsit ascites, aut affectu jam desperato, sed solo prominente abdomine, gracilescit, marcescit, & extenuatur reliquum corpus: interim faciei color a naturali parum recedit, pulsus parvus, celer ac subdurus est, non tamen debilis: sœpe febris adest: urina naturali fere proxima: cibi concoctio languet, eumque chylopoea viscera pondere aggravantem diu percipit tympaniticus: ægre tandem ducitur spiritus.

21. Progresso demum, & intensiori facto hoc truculento malo, jugiter aggestis flatibus, in immensam molem excrescens, adeo turget abdomen, ut disruptionis pe-

riculum instet. Hinc symptomata omnia ingravescunt, aliaque non minus sœva, quin imo exitialia magis accedunt. Unde dyspnœa, anhelatio, acerbior dolor, sitis inexplebilis, tussis arida, marasmus, anxietas ingens, ascites, stranguria, ischuria, omnimoda alui obstipatio, vomitus, ileus, inflammatio, syncope, gangræna, sphacelus, mors.

22. Jam igitur, tum imminentis (19), tum exordientis (20), tum progredientis (20), tum denique ultima fata minantis, & reipsa immaniter invehentis (21) Tympanitis phænomena, sollicite ac fideliter exposita habes; ex quibus, si genuina, individua ac perpetua selegeris, jam adumbratam (6. *f.*) hujus affectus definitionem, haud difficile, accuratius & perfectius elaborabis. His ergo sedulo collectis, rite definiendus videtur Tympanites, totius abdominis utricularius tumor, renitens, ad sensum levis, constanter sursum & umbilicum versus prominens, percussione facta tinniens, pressus mox se attollens, ructu, borborygmis, & contumaci ut plurimum ventris adstrictione stipatus, a flatibus oriundus.

23. Verum ut penitius detegatur Tympanitis natura, quæ, instituta in hoc morbo ventris punctione, & cadave-

rum apertione, hactenus explorata prostant, subjungere haud abs re fore duximus. Nemini autem hac in parte tantopere debemus, ac illustrissimo Litre, cujus præclaras & maximam lucem huc affundentes observationes, ex Regiæ Parisiensis Academiæ monumentis (*i*) depromere, & latine recensere congruit.

Observationes D. Littre. circa Tympanitem.

Observatio prima. Tympaniticorum venter æque durus ac tensus est, pariterque tinnit & resonat, celebrata ejusdem punctione, ac antea.

Observatio secunda. Ut comperirem num in Tympanite abdominis cavo conclusus lateret aër, in cavum illud, post ægrotantium mortem, acum tricuspidatam, gallice *trois quarts* dictam, adegi. Hac retracta, cannulaque relicta, accensam candelam illico propius admovi, cum interim circumcirca arcte premeretur venter, nec ullo modo commota fuit flamma; quæ observatio, inquit autor, eorum sententiam penitus evertit, qui aërem imi ventris cavitate coërcitum genuinam esse Tympanitis causam contendunt.

(*i*) Mémoires de l'Académic Royale des Sciences, ann. 1713. sur l'Hydropisie Tympanite, par M. Littre, p. 235.

Observatio

Observat. tertia. Dum recenti Tympanite extincti fuerant ægrotantes, levem tantum in abdomine conspexi madorem, quo viscera humescebant, & in inveterato tres solum aquæ pintas reperi; quæ quantitas parum certe notabilis est, si ad maximam ventris capacitatem, nec non ad portentosam, quam in hoc morbo amplitudinem acquirit, respectus habeatur. Hæc ergo modica aquæ copia, ut tympanitico affectui accidentalis, non ut essentialis habenda est.

Observat. Quarta. In Tympaniticorum cadaveribus, peritonœum, omentum & mesenterium, sedulo inspexi, nec in his, ullum deprehendi aërem. Non igitur ibi quærenda tympanitis causa aut sedes.

Observat. Quinta. Ventriculum & intestina, crassa præsertim, valde turgida & distensa, in tympaniticorum cadaveribus, constanter adinveni. Cœcum & colon, humani femoris crassitiem æquare, sœpe vidi. In aliis abdomine contentis partibus, insolitam numquam adverti intumescentiam. Soli ergo ventriculi & præcipue crassiorum intestinorum turgescentiæ, ingens ille Tympaniticus tumor adscribendus.

Observat. Sexta. Membranæ quibus

Tympaniticorum ventriculus & intestina compinguntur, tenues semper sunt & graciles; satis tamen denso ac firmo contextu pollent, ut aëri exitum denegent, ipsique maxime nitenti ac ruptionem minanti, valide obsistant. Quamvis ventriculus & intestina summe tumeant, ipsis tamen maxima levitas inest, nec mirum, cum copioso aëre turgeant, reliquum autem quod in ipsis reperitur, modicum sit & plerumque mucosum. Unde inferre pronum est, Tympanitem ab aëre ortum ducere, huncque ventriculi & intestinorum hospitem esse.

24. Hactenus loquentem audivimus sagacissimum D. Littre, cujus accuratis observationibus, in maxima saltem tympaniticorum parte, non alibi quam in ventriculo & intestinis, aërem nidulari, haud dubie evincitur. His prorsus affines plures alias, ex variis autoribus mutuari, & in majorem rei elucidationem, hic referre promptum est.

Observationes aliæ, D. Littre observata (23) confirmantes *.

Observatio prima. Ancilla quædam

* Singulas hasce observationes, ut & immediate sequentes, Typis italicis quamvis non excussas, eadem propemodum ratione retuli, qua a variis e quibus excerptæ sunt, Autoribus, conscriptæ fuere.

ex herili filio gravida, promiſſo matrimonio fruſtrata, pepererat, & præ animi ægritudine, in tympaniam hydropem lapſa moritur. Aperto cadavere, univerſa inteſtina, adeoque ventriculus ipſe, flatu diſtenta inventa ſunt, & fere excrementorum prorſus vacua, abſque ullo flatu vel humore in cavitate peritonœi, extra inteſtina conſiſtente, ut merito & vere hydrops ſiccus diceretur (*l*).

Obſervatio ſecunda. Puellæ abdomen in modum tympani extenſum fuerat, idque propter Flatuum in inteſtinis retentorum copiam, qui illis adeo tenaciter adhærebant, ut ſuperiori æſtate, cum aliquoties ipſam purgarem, purgationi nequidem cederent, & poſt mortem, acie ſcalpelli perfoſſis inteſtinis, vix eflarent; non ſolum inteſtina flatu extenſa erant, ſed ipſe quoque ventriculus (*m*).

Obſervatio tertia, Octobris Die 3. anni 1676 diſſectum fuit genevæ, cadaver virginis circiter triginta annos natæ, nomine lagis, per ſeptennium & amplius chloroſi laboraverat.... Sex ante obitum menſibus, diris ventris torminibus, ad lumbos pertingentibus vexabatur, de-

(*l*) Smetius miſcellaneor. Lib. 10. pag. 254. & lib. 5. epiſt. 4.

(*m*) Guillel. Fabrit. Hildanus centur. 6. Obſervatio. 74

mum tympanitica obiit. Diſſecto cadavere, primo occurrunt inteſtina Flatibus turgida, e quibus compunctis, Flatus cum ſibilo & impetu erumpebant. Secundo lien maxime exilis... Tertio in centro meſenterii, ſeu pancreate aſellii, aderat calculoſæ materiæ, tophum conſiſtentia, colore, & poris ſeu foraminibus omnino referentis, inſignis copia, in fruſta diviſa, quorum alia nucis moſchatæ magnitudinem æquabant, alia avellanas referebant, quædam fabas, piſa, lentes &c. Ventriculus maxime turgidus a Flatibus, cutis rugæ obliteratæ. (*n*).

Obſervatio quarta. Puelli cujuſdam tympanitici, coram pluribus Medicis, poſt mortem, inſtituta fuit apertio: mirum ſane dictu! Quantum ventriculus diſtentus erat, in quo nihil præter flatus & aliquid viſcidi humoris conſpiciebatur; inteſtina autem omnia tam pellucida tranſparebant, ut etiam multis in locis compuncta conciderent, ne guttula quidem humoris alicujus in illis apparente, reliquis viſceribus ſe bene habentibus (*o*).

Obſervatio quinta.. Præcedenti obſer-

(*n*) Theoph Bonnet. Anatom pract. Lib. 3. *Sect.* 21. Obſervatio 22.

(*o*) Ephemerid. German. Acad. natur Curioſor. Tom. ſecundus Obſervatio 86. D. Simonis Scholtzii. Puellus tympaniticus

vationi analogum exemplum, recenſet Antonius Benivenius (*p*), ex ſolo vento, in Ludovico Nicolino, Generoſi equitis othonis filio, mortem ſubſecutam ſcribens, quem affectum ibidem, in annotationibus, dodonæus tympaniti ſimilem fuiſſe tradit.

Obſervatio Sexta, et ultima. Plura adhuc hujuſmodi obſervata hic adjicere fas eſſet, verum jam prolata ſufficiunt, quorum agmen claudet, tutiusque veritatem firmabit percelebris Hippocraticæ Medicinæ reſtauratoris Dureti, veneranda & irrefragabilis autoritas, non unica ſed multiplici obſervatione fulta. Hic enim poſtquam ab hectica intemperie, tympanitis ortum deduxit, hæc verba habet. *Hinc hydrops ſiccus, cujus cauſa materialis Flatus eſt, qui fere ſemper continetur in capacitate inteſtinorum, non in abdomine.* . & paulo poſt ſubjungit . . . *ſic multis diſſectis deprehendi ventriculum & inteſtina diſtenta* (*q*).

25. Tot ergo ſimul in unum coëuntibus obſervationibus, inconcuſſum ſtat, in omni fere tympanitis genere, non abdominis clauſtris, ſed ventriculo & inteſti-

(*p*) Exempl. Medic, Obſervat. cap. 81.

(*q*) Dureti annotat. in ſuam enarrationem circa holler. De hydrope pag. 283.

nis Flatum concludi. Num huic ſedi, tympaniticum aërem conſtanter affixit natura, penituſque ab imi ventris ergaſtulo ipſum excluſit? Ita cenſent non pauci, inter quos potiſſimum, emicat D. Littre. Verum his refragari jubent aliæ in contrarium militantes, nunc exponendæ obſervationes.

Obſervationes prædictis (a 23 ad 25) contrariæ.

26. Obſervatio prima. Vidimus ex aperto cadavere, nihil, quod notandum, aquæ exire, ſed craſſo Flatu expirante, totum repente ventrem detumeſcere (*r*).

Obſervatio ſecunda. Puellæ febre continua laborantis, elatum abdomen in tumorem, mirum quomodo tam ſubito hic tumor natus, præ dolore interiit. Acu abdomen mortuæ apertum, magno edito ſono, venter ſubſidit (*s*).

Obſervatio tertia. Vir quidam ſuaſu medentum, paracentheſim a latere umbilici, ſuſtinens, qui hydropicus cenſebatur, ut que aquam elicerent, me juvene ſpectante, extracto Chirurgi phlebotomo, repente ſidit abdomen, & quampri-

(*r*) Valleſ. Commentar. in Lib. 4. de victus ratione in acutis pag, 284. Collado. adverſar. Lib. 2. cap. 60. paragr. 22.

(*s*) Ballon. paradigm. 141.

mum periit; editus autem Flatus immensè putidus, & cadaver olebat (*t*).

27. Postremis hisce illustrium virorum Observatis, fidem denegare nefas. Quapropter inde merito inferendum, non in alimentaria fistula semper, sed & quandoque in ipsomet abdominis cavo, Flatum tympanitis satorem sedem eligere. Quod quidem ipsi galeno innotuisse constat, cujus hæc sunt verba (*u*) *porro colligitur aliquando* (Flatus) *non parum etiam in ventriculo & intestinis, itemque in medio spatio horum & peritonœi.* At si, quod res est, fateri liceat, nos movent multo magis, numerosiores ac diligentius institutæ priores Observationes (a 23. ad 25.) & idcirco tympaniticos Flatus, raro admodum imi ventris capacitatem incolere, autumamus. Ut autem nonnullorum id unquam occurrere negantium pertinacia expugnetur, potens inferius adhibebitur rationis subsidium, nunc vero potentior adjungetur plateri Observatio, qua simul & in alimentario ductu & in ventris cauea, tympaniticum aërem aliquando residere, extra dubium omne ponitur.

(*t*) Helmont. Tractat. ignotus hydrops. num. 44.

(*u*) 14. Method. fol. 88. F class. 7. nonæ juntarum edition.

Obſervatio plateri (*x*). puer ſeptemdecim annos natus, hydropicus, cum quatuordecim dierum ſpatio, excrementa alvi per os evomeret, nec per ſeceſſum quidquam egereret, in hoſpitali anno 1569 expiravit; in hoc, cum poſt mortem, rugitus ventris & illius quædam palpitatio ſentirentur, eoque nomine, de ſepeliendo corpore, ambigeretur, accerſitus, cum ventrem aperirem, Flatus tandem erumpebant, verum inteſtina tantopere diſtenta erant, ut femoris craſſitiem, certis in locis, adæquare viderentur, atque ex compreſſione diſrumperentur, ſtercuſque magno impetu profunderent; aliis vero locis, adeo involuta, intorta & implexa, ut nulla illic, nec excrementis, nec Flatibus deorſum pateret via, ſed & vermibus vivis oblongis, quamplurimis referta erant, qui rurſum aliis minoribus repleti, inæquales illos motus effecerant: præter hæc, hepar corruptum, arenulis & lapidibus infarctum, lienem imminutum, pulmones vitiatos coſtiſque affixos, ut aliis ſœpe accidere dixi, oſtendebat.

28. Verum dum hæc ſcriberem, ac, invitis mox enarratis Obſervationibus, nonnulla quandoque, in mente, circa

(*x*) Plater. Obſervatio pag. 656.

Tympanitem abdominalem, dubia moverentur; hæc porsus sustulit, meque in eo morbi genere stabiliendo, quadamtenus adhuc cespitantem, penitus firmavit casus in praxi oblatus, singularis sane, ac mirandus, cujus accuratam Historiam Gallice conscriptam, cum Regia nostra Scientiarum societate communicatam, & alibi typis excudendam, hic paucis & congrua ad præsentem scopum ratione, contrahemus.

Rarissima Tympanitis abdominalis Observatio.

Mense junio anni 1743. Accitus fui in proximum monspelio oppidulum, melgorium dictum, ut opem ferrem mulieri 32. annorum, rustici cujusdam Arnaud vocati uxori, portentosum Tympanitem asciti sociatum gerenti, cum fervido viscerum æstu, siti inexplebili, sœvissimo in lumbis & tota abdominis peripheria dolorum cruciatu, ejulatibus, agrypnia, difficili spiritu, frequentissimo vomitu, ructibus & borborygmis, pulsu debili, duro ac frequenti, corporis marcore, summaque anxietate. De Tympanitis existentia ambigere vetabant, imi ventris ingens, superiora & umbilicum versus magis vergens, & in variato ægro-

tantis situ, eadem permanens intumescentia; levitas; renixus; prompta post pressionem restitutio; editus a percussione sonus. Huic ascitem junctum esse, suadebant morbi diuturnitas; pedum tumor œdematosus, utut levis; obscurus fluctuationis sensus non tactu sed auditu perceptus, dum jactaretur miseræ corpus; imminuta tandem mictio. Num Tympanites abdominalis, num intestinalis, aut alterius generis esset, sola cadaveris sectione, certo enucleari posse, mens fuit. Malum imperita manu, in suo exortu Tractatum, eo sœvitiei provectum esse censuimus, quæ profligari renueret, vixque pateretur mitigari. Id comprobavit eventus, frustranea enim fuere aptiora hic usurpata medicamina, & elapsis a primo ægræ intuitu novem aut decem diebus, post dirissima tormenta, ultima fata subiit. Nunciata morte, quæ media nocte contigerat, Die Corporis Christi, 13 Junii, melgorium celeres petiimus, ego, amicissimus noster D. Casamajor Doctor Medicus Monspeliensis, & D. Serres peritus hujus urbis Chirurgus, qui defunctam mecum inviserant. Tricuspidatam acum, in prominentissimum abdomen adegit D. Serres, & ea retracta, relictaque cannula, teter sta-

tim ac fœtidus prosiliit aër, tanto cum impetu, ut lampadis manu mea gestæ flammam cito restinxerit, & ita copiose, ut ad mediam amplitudinem illico depressus fuerit venter, qui dein vi magna satis compressus, nihil præter aliquot serosi liquidi guttulas fudit. Sectis musculis, leviterque scapelli acie sauciata vera peritonœi lamella, paululum aëris summe putidi prodiit adhuc. Reseratum postea ac patens abdomen, curiose lustrantibus oculis, non anfractuosum intestinorum volumen, non alia viscera, sed seroso-lymphatici crassioris ac luteo-viridis liquidi ingentem lacum exhibuit, cui hydatides multæ limpido aut flavescente liquore turgidæ diversæque magnitudinis, ac pelliculæ nonnullæ ruptarum hydatidum exuviæ innatabant. Hoc effuso liquido ad plures libras ascendente, nondum conspectui sese obtulerunt intestina, at versus priores lumbares vertebras revoluta, tanquam capsula quadam, omento stricte coërcita tectaque erant, nec eadem sic contracta, angustata & replicata cernere licuit, nisi dum ex hoc præternaturali involucro, scalpelli acumine juxta longitudinem perfosso prodierunt. Fascia quædam densa, tendineæ indolis, quatuor digitos lata, ab omento cui superius

continua, cujusque verosimiliter erat propago, pone peritonœum musculumque rectum sinistrum, cujus figuram æmulabatur, antrorsum protensa, fere ad ossa pubis usque sic excurrebat, peritonœo ibidem accreta. parvus erat ventriculus, & sub jecore amplus latebat saccus, hujus concavæ faciei, stomacho, vicinisque partibus adhærens, eodem quo persusum erat abdomen, liquido plenus, cum numerosa hydatidum turma. Reliqua viscera satis sana reperta fuere.

Ex hujus cadaveris sectione, cui præter D. Casamajor, interfuerunt duo Chirurgi melgorienses D. Jaudot & Larose, bini cives Monspelienses D. Masse & Conrat, tandemque plures alii; liquido constitit, Tympaniticum aërem, in peritonœi cavo nonnunquam immediate nidulari. Unde fluxo innixa talo corruit sententia D. Littre morbum hunc ab intestinorum & ventriculi Flatulenta tumefactione unice pendere asserentis.

Quatuor Tympanitis species.

29. Ex his ergo omnibus fuse satis expositis (a 23 ad 29) deducere proclive est, flatus Tympanitem promoventes ac foventes, fere semper, in ventriculo vel intestinis coërcitos latere; quandoque in ab-

dominis cavo delitescere; aut in utroque loco, simul hospitari. Hinc triplex emergit Tympanitis species, alius nempe intestinalis, alius abdominalis, alius ex utroque coalescens. Quartum denique Tympanitis genus addere placet, ab emphysemate tunicarum intestinalium (y) aut omenti, mesenterii, hepatis, peritonoei, integumentorum abdominis &c. pronatum. Nec quidquam vetat, Flatuosum hujusmodi tumorem, in postremis hisce partibus consurgere posse, cum non solum in priori loco, sed & etiam fere ubique corporis deprehensus fuerit. Num fere constanter intestinalis est Tympanites omnis incipiens? Num persœpe ad interitum usque talis pergit? Num tandem ad certum gradum euectus, secundæ & tertiæ Tympatitis speciei, imo & quartæ, quandoque parens est. Ad hæc suadenda, plura ex prædictis (a 19 ad 29) conspirant. An a liquidi cujuscumque in abdomen effusi, ibi clausi, foti, putrefacti vehementi & interclusum aëra expromente rarefactione; aut ab ipsiusmet aëris e fistulis in imum ventrem vel in tubum alimentarium hiantibus, eructatione, & elastica expansione, Tympanites ortum

(y) Comment. Acad Scient. petropol. Tom. V. pag. 313.

repetere valet? Utrumque fieri posse, dictat ratio, ut elucidabitur infra. Primum aliquoties fuit observatum; ultimum nondum rerum magistra satis docuit experientia. Consultius, ubi de hujus morbi causis quæstio movebitur, argumentum istud versabimus.

30. Non minus, ex jam prægressis (23. 24. 26.) eruere pronum est, Medicos hallucinari, Tympanitem tanquam verum hydropem spectantes, ac sincerum flatum, sub abdomine, citra humoris permixtionem, nunquam esse animadversum sentientes. Hujus enim opinionis falsitatem, aperte euincit autopsia, ut jam dictum (23. 24. 26.) Nec enim unquam notabilis aquæ collectio, in recenti Tympanite defunctorum abdomine, deprehensa, sed levis tantum conspicuus fuit mador, ut sagacissimus hujus rei indagator D. Littre affirmat: Si autem diuturno Tympanite extincti ægrotantis recludatur venter, quandoque vix ulla conspicitur aqua, persœpe certa ipsius copia reperitur ad pintas tres quandoque imo &. multo plures assurgens; quod forte Willisio, asserendi ansam præbuit, Anatomicam inspectionem, vix quidquam in Tympaniticorum, quam in asciticorum cadaveribus detegere, Hanc igitur humo-


ris effusionem ad Tympanitis essentiam non conferre, sed huic per accidens adjungi, simul cum laudato D. Littre, sanior autumat Medicorum pars. Nec sententiæ huic obstat, Tympanitem aliquoties, velut amissa natura sua, in lethalem degenerasse ascitem, adeo ut post obitum, apertum abdomen non tam flatu turgidum, quam aqua perfusum exhiberet. Quod tamen rarius multo contigit quam Willisio uidetur.

31. Ex dictis (19, 20.) Tandem liquet, Tympanitem modo primarium esse & idiopaticum, seu absque ullo alio prægresso morbo, a propria causa exsuscitari, & tunc ut plurimum febre caret; alias vero secundarium & symptomaticum esse, seu aliis affectibus supervenire, tuncque febrem plerumque adjunctam habet; nunc recentem, nunc inveteratum; nunc solum & simplicem, nunc asciti, ileo, asthmati, vel alteri cuicumque morbo nuptum, seu complicatum; nunc dolore, tensione, torminibus semper stipatum, nunc iisdem, certis temporibus orbatum; nunc satis mitem, nunc vehementer sœvientem; variare demum in infinitum, causarum & symptomatum ratione.

32. Spurium quemdam Tympanitem

dari, annotat hercules saxonia (z) in quo intestina flatu omnino distenduntur, nec aliud continent præter ingentem vermium copiam, qui alimentum omne surripiunt, & hujus exemplum refert in nobili patavino decem annorum observatum, qui statim mortuus est, cum tumore ventris Tympanitem æmulante. Secto corpore, omnia intestina flatu erant plena, citra ulla excrementa, in ventriculo autem, triginta tres vermes conspecti sunt, & multi sesquipedales. Observationi huic consimilis prorsus ex platero, superius conscripta fuit Historia (27), nec in praxi talem affectum deprehendere infrequens. Tympanitem etiam mentitur, & ipsius notham aliam speciem constituere videtur, maxima, dura ac renitens ventris intumescentia, quæ sine ullo ascitis signo, puerilem persœpe comitatur atrophiam, & in qua ventriculum & intestina flatibus partim turgere, haud dubium est.

(z) Prælect. Pract. part. 2. cap. 24.



CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

DE FLATULENTORUM AFFECTUUM CAUSIS.

33. PRorſus abſtruſæ, & naturæ arcanis quaſi involutæ jacent Flatulentorum affectuum cauſæ : cum enim his inquirendis operam navant artis Medicæ proceres, in tot diverſas imo & plane diſſimiles ſparguntur ſententias. Quidam nempe a caloris nativi debilitate; alii ab ejuſdem intenſione; illi ab hætherogeneorum & effervescentium humorum lucta; nonnulli a ventriculi & inteſtinorum laxitate & atonia; cœteri ab eorumdem tenſione & criſpatura, flatus ſoboleſcere excogitant. Sed omnes hi extrema nimium conſectantes, ultra recti limites, pari fato, divagari coguntur. Num ſemper hac in re, demerſa latebit veritas? hanc ſi penitus attingere datum non ſit, ſaltem media via incedenti, ac ſedulo ab extremis deflectenti, ſubodorari licebit. Primum autem, jam enumeratas opiniones, obiter expendere juvat, noſtraque dein rectius in lucem proferetur.

ARTICULUS PRIMUS.

In quo variæ Autorum opiniones, circa Flatuum genesim, breviter excutiuntur.

Nativi Caloris infirmitas, Tanquam perpetua Flatuum causa exploditur.

34. Qui nativi Caloris debilitati, obscuros Flatuum natales tribuunt, Galeni (*a*) autoritate innixi, pro eorumdem causa materiali, crudum ac pituitosum humorem agnoscunt, qui cum a calore debili penitus discuti nequeat, ab ipso tamen in vapores & halitus resolui potis est. Licet autem exundans pituitosus & viscidus humor, quadamtenus, ut infra dicetur, ad Flatulentos affectus accersendos, conferre possit; sententiæ tamen huic calculum adjicere, & has binas causas ut perpetuas statuere, plura vetant. Namque, 1°. Cum Flatus sit aëreo elastica, valde rarefacta ac expansa materies (3) & expansionem hanc præprimis concitet calor internus; ab ipsius imbecillitate, flatuum omnium genesim

(*a*) 3. De Symptom. caus. fol. 27. Litt. E. F, G, class. 3. & in aliis pluribus locis.

repetere, prorſus abſonum. 2°. Craſſum & inertem humorem, in halituoſum & elaſticum vaporem, facile & conſtanter reſolui poſſe, gratis ſupponitur; quin e contra, cum reſolutio iſta, non ſine ſumma particularum comminutione & extenuatione, fieri poſſit, & hæ præ intimiori nexu, ægrius a ſe invicem diſſociari patiantur, difficilius ſuccedet deſiderata pituitoſi humoris, in halitum converſio; aut ſaltem huic præſtando effectui, par tantum erit intenſus calor, non vero debilis & remiſſus. 3°. Frequens eſt in hypochondriacis, hyſtericis, herniosis, inteſtinorum vulnera perpeſſis, Flatuum proventus; in quibus tamen, plerumque nec congeſti pituitoſi humoris, nec infracti caloris ſigna adſunt. 4°. Si vera eſſet hæc ætiologia, calidioribus ac potenter reſolventibus Medicamentis auſcultarent Flatulenti affectus, quos tamen his exhibitis perſœpe obſurdeſcere, imo & exaſperari, teſtatur experientia.

Calor nimius non unica Flatuum cauſa.

35. Qui a nimis intenſo, imo & quandoque torrefaciente calore, ortum Flatuum perpetuo deducunt, non minus in errorem impingere mihi videntur. Si enim res ita ſe haberet, morbos Flatulentos

ſemper ac tuto abigerent, aut ſaltem lenirent frigida remedia, & ipſa frigoris externi admiſſio, in his, generatim, non noceret; contrarium tamen conſtat, ſiquidem potus frigidus præſertim largior & aſſumptis ſuperingeſtus, ac refrigerationes externæ, Flatus frequenter advocant; & quamvis refrigerantia Medicamenta, perſœpe Flatulentis maximam opem ferant, quandoque tamen non prodeſſe obſervatur, imo & non raro moderate calida & aromatica, ſumme proficua experiuntur ægri. Adde quod phlegmatici & cachectici, in quibus potius remiſſus ac placidus, quam validus eſt calor, Flatibus quandoque torqueantur, ut ſuperius annotatum eſt. (12.).

Non ſemper ab efferueſcentia aut fermentatione Flatus oriuntur.

36. Non pauci ſunt (*b*) qui ſyluianum commentum, in proſcenium adducentes, a vitioſa ac præternaturali bilis & ſucci pancreatici, inter ſe, vel cum pituita inteſtinali, fermentatione ſeu efferveſcentia, Flatus exoriri, pluribus ratio-

(*b*) Etmuller. Turquet de Mayerne, Zypæus, Schuylius, regnerus de graaf, ſed præcipue Carolus Delafont Univerſ. avenionenſ. Profeſſ. primar. in Diſſertat. de Hydrope Tympanite.

num momentis, evincere contendunt. Hæc autem quæ in proxime elapso sœculo, omne ferebat punctum, in hoc tot strenu s oppugnata athletis (*c*), tot ictibus subversa jacet, ac despicatui habetur, nec fere quidquam in œconomia animali fovenda aut lædenda, præstare, ipsi conceditur. In hac ergo confutanda multum non insudabimus. Primo enim ex physiologicis notum est, bilem saponaceum esse liquorem, nec acidum nec alcalinum, ex oleo, sale & spirituosis particulis aqua dilutis concretum; lympham pancreaticam, pellucidam, nec acidam nec alcalicam, sed ex aqua copiosa, oleo & sale pauco conflatam; & utrumque humorem, sine ullo intestino conflictu, in eodem tubo, sibi æquabiliter placideque permisceri. Cujus ultimi asserti veritas, famoso schuylii experimento alibi recensendo, non infirmatur. Quis autem asserere poterit, in omnibus Flatulentis affectibus, bili & succo pancreatico principia fermentativa inesse, quibus, in statu naturali, penitus orbantur. Unde, quæso, enascentur, in his Flatibus, qui herniis, intestinorum vulneribus, hæmorrhoidalis fluxus aut menstruæ pur-

(*c*) Pitcarn. Hecquet. Boerhaau. Bagliu. Frider, Hoffman. &c.

gationis ſuppreſſioni, & inſolitæ refrigerationi ſuccedunt? verum objicient forte nonnulli fermentationis patroni, in eam prona pleraque alimenta motum hunc inteſtinum facile concipere; at objectionem hanc ſoluit ipſamet Fermentationis Hiſtoria (*d*) qua compertum ſtat, eamdem vegetabilibus tantum nonnullis propriam eſſe; ut ipſa, concitetur, requiri maſſæ fermenteſcentis quietem, liberam aëris acceſſionem, definitum teporem inter ſexaginta & octuaginta gradus ad ſummum; ſpiritum denique ardentem vel acidum, a vera fermentatione gigni, itaut e corpore fermentato, quamprimum vi ignis, aſſurgat. Cum autem varia quibus veſcimur, ingeſta, indeſinenti ventriculi & inteſtinorum motu agantur; cum libere non accedat & emittatur aër; cum thermometro fahreinetiano, vigens deprehendatur, in humano corpore, calor, 90. aut 92 graduum, actuoſa principia potius diſſipans quam promovens; cum tandem acidum aut ardentem ſpiritum, ignis ope, non ſuppeditet illico, lacteus, blandus ac ſubdulcis chylus: quamdiu viget ſanitas, nulla plerumque fermenta-

(*d*) Element. Chem Herman. Boërhaave Tom. 2. operat. Chemic. part. prima in vegetantia, pag. 104. & ſequent.

tio perficitur, sed quandoque leviter tantum incipit, moxque brevi abrumpitur. num ea penitus e corpore, in statu etiam morboso, ableganda? ex universo vasculoso systemate, esto; ex chylopoieticis vero visceribus neutiquam; si enim fermentabili cibo potuve sustentetur vita, in primis viis, nonnunquam exurgere, & ulterius paululum produci poterit fermentatio, maximam tunc Flatuum copiam progenerans, ut inferius evincetur. hæc ergo fermentatio, quæ perperam a plerisque, cum effervescentia confunditur, ut Flatuum causa peculiaris, non vero ut unica spectanda est, quemadmodum prædictis autoribus visum est; nec cum ipsis, in liquoribus digestivis ad alcalescentiam & putrefactionem, potiusquam ad fermentativum hunc motum, vergentibus, accendi existimandum est; sed in alimentis ex vegetabili regno depromptis, quibus solis competit.

Non sola solidorum laxitas, Flatus parit.

37. Veritati consentaneum est, & experientia comprobatum, villorum carneorum & membraneorum ex quibus ventriculus & intestina compinguntur, atoniam seu laxitatem, præsertim inæ-

qualem & vagam, qualis a celeberrimo ſtahl (*e*) admittitur, ſat frequentem eſſe Flatulentiæ præprimis torpidioris (9) cauſam: hanc vero, ut perpetuum ac conſtantem Flatulentorum affectuum fontem aſſerere, reclamant tot hyſtericarum & hypochondriacorum exempla, qui Flatulentis affectibus, mirum in modum, torquentur, in quibus potius tenſæ, criſpatæ ac convulſæ ſunt fibræ, quam laxæ & atonæ; tum dira & torminoſa ſecundæ Flatulentiæ ſpeciei (10) ſymptomata; tum denique ſpaſmodico-Flatulenta pathemata, quæ venenis acribus hauſtis ſuperveniunt, quorum ſubitanea ac deleteria actione, potius immaniter intenditur, quam infringitur fibrarum tonus. Præterea ventriculi & fiſtulæ inteſtinalis conſtrictionem inæqualiter adauctam, perſœpe ingentem Flatuum proventum parere, ratione & experientia, in comperto eſt, ut fuſius infra elucidabitur. Nec quiſquam parem, in omni tubo alimentario, villorum laxitatem, hic admitti poſſe confinget; namque tunc æqualis eſſet ubique, tum tubi in contentum aërem, tum aëris in tubum niſus; & quacumque via, libero patente exitu, nullibi violenta fieri poſſet Flatuum collectio

(*e*) Diſputat. de Flatulent.

aut

aut explosio. Si tandem fibrarum laxitas unica esset Flatuum causa, ad horum discussionem, tutiora essent Medicamenta, tonica validiora, corroborantia, stomachica, adstringente vi prædita; e contra vero, penitus nociva & infensa essent emollientia, anodyna & narcotica; quod tamen falsum esse, quotidiana praxis edocet.

Spasmus non unicus Flatuum parens.

38. Spasmum, seu convulsivam ventriculi & intestinorum constrictionem, ut genuinam ac individuam flatulentorum omnium affectuum causam, agnoscere inhibet, quod in præcedentis num. (37) Limine, prolatum est. Præterea spasmus ille, vel universum tubum, vel quasdam tantum ejusdem partes obsideret; si primum, qui fieri potest, ut æquabili ubique perstante parietum strictura, in ingentem amplitudinem, ventriculus & intestina distendantur, ut persœpe evenit? Partialem autem & vagum spasmum, si tanquam potissimam ac frequentissimam flatuum causam, cuidam, extollere arrideat, nos quidem assentientes habebit; si vero, cœteris in exilium missis, hanc ut unicam jactet, ipsi adversari non levia compellunt rationum momenta. 1°. Enim

quædam est Flatulentiæ species (9), in qua nullus ferme sensibilis dolor, aut spasmus infestat; quæ ab effœto & languido intestinorum tono, infra recte deducetur; ideoque in eam facile incurrunt phlegmatici, cachectici, imo & apoplecticis insultibus conflictati (12), qui plerumque laxum & fractum habent, nativum solidorum elaterem, & paralyticis potius quam spasmodicis morbis affici solent. 2°. Injecta octavo nervorum pari, ligatura, illico Flatibus summopere intumescit ventriculus; quod quidem non spirituosi liquidi confusioni, ac tumultuariæ irruptioni, ut Willisio visum est (*e*), sed rectius intercepto ipsius influxui, ac subsequenti paralyticæ fibrarum ventriculi laxitati, tribuendum. 3°. In mortis agone, sœpe Flatibus turgent ægrotantes (*f*); imo defunctorum abdomina, post aliquod tempus, a flatu, in molem attolluntur, & quasi Tympanitice intumescunt (*g*): quæ quidem, non spasmodicæ constrictioni adscribenda, quam proxime instante obitu, vigere, aut post ipsum, ulla ratione perstare, nemo unquam dixerit.

(*e*) De Tympan. cap. 4. Section. 2. Tom. 2.

(*f*) Frider. Hoffman. Med. syst. ration. Tom. 4. cap. de Flatulent.

(*g*) Willis. ibid. ut supra.

4°. Morbi varii, qui ventriculi & intestinorum robur enervant, ut longæ febres intermittentes, inappetentia, & depravata coctio, ad Flatulentiam, viam sternunt. 5°. Alimenta quædam flatuosa sunt, quæ mucida ac tenaci consistentia, in intestinis hærendo, laxitatem iisdem inducunt, ac molestiam facessunt, eadem vero violenter lacessere & ad spasticam stricturam instigare, prorsus inepta videntur. 6°. Tandem, si solus Flatum commoveret spasmus, antispasmodica, paregorica & opiata, sola essent secura ejusdem remedia; attamen, licet hæc summum ægris levamen afferre, cœterisque præstare, in confesso sit, fere semper aliorum connubio egent, ut sunt moderate calida, stomachica, balsamica, quæ non raro sola propinata, maxime profuerunt.

39. Ex his omnibus (a 33 ad 39) primum colligere est in proclivi, quam graviter errent Medici, qui ad enodandam Flatuum ætiologiam, materiali causæ, contentis nempe in ventriculo & intestinis, unice attendunt, neglecta membranei hujus canalis ratione, quæ tamen præcipue hic inquirenda. Secundo, nec arduum erit deducere, qui tubi alimentarii conditionem indagant, ad eumdum no-

dum ſoluendum, quaſdam tantum Flatulentorum affectuum circumſtantias inſpexiſſe; non vero ſemoto omni præjudicio, cunctas ex æquo penſitaſſe, unde in oppoſitas ſententias ſcinduntur. Hinc tot diverſæ ac intricatæ emerſerunt curandi methodi, quæ tyronis animum, tanta caligine ſuffundunt: quam tamen humano generi noxia ac ſontica ſit hæc opinionum & therapeiarum varietas, artis noſtræ neceſſitatis & præſtantiæ gnaro cuicumque notum eſt.

ARTICULUS SECUNDUS,

IN QUO NOSTRA DE FLATUUM ORTU, SENTENTIA PROPONITUR.

40. Ad ſingula Flatulentorum affectuum phænomena, pariter attendentes; variarum eorundem cauſarum energiam ſtudioſe expendentes; necnon remediorum quæ in horum curatione, proficua aut nociva experta ſunt, vim & agendi modum diligenter ſcrutantes; nulliſue præconceptis opinionibus obcœcati, ſed ingenuo & candido veritatis amore rapti, circa mechanicum flatuum ortum, mentem noſtram aperiemus. Ut autem major eniteat in dicendis perſpicuitas, nonnulla de aëre & fiſtula alimentaria, principio-

rum instar, præmittenda autumamus. Quæ de priori subnectuntur, ut ex purissimo fonte hausta excipe; hæc enim ex aureis Academ. Reg. Scient. Paris. monumentis, ex erudito ac limato egregii Boërhaave Tractatu de aëre, in chemiæ elementis apposito, ex novo tandem & curioso D. Halles Societat. Reg. Londinens. Socii, opere, cui titulus statice vegetantium, potissimum deprompta sunt.

PHYSICO-MEDICA AERIS CONSIDERATIO.

41. Aëris nomine, intellectum volunt physici omnes, inconspicuum illud fluidum, vix ad sensus percipiendum, nisi quatenus corporum in illo motorum velocitati obsistens, vel ingenti suo impetu vento dicto, in alia impingens, se prodit; summe tenue, lubricum & subtile; grave; elasticum; calore expandi, frigore constringi maxime aptum; telluris nostræ superficiei undique incumbens; corpora cuncta ambiens, coercens, comprimens; in horum omnium penetrabiles meatus se insinuans; verum chaos, attenuatis scilicet & hinc & inde obvolitantibus corporum quorumcumque ramentulis, respersum; quo assiduo potitur ac vescitur homo; quo nunquam carere po-

test animal, quin fere illico vita orbetur; cui proinde occultum inhærere vitæ cibum haud inepte dictum; ad concreta omnia componenda, elementi instar, conspirans, seu in horum latibulis, ut in minimis ampullulis inclusum & placide subsistens; ex his tamen solutis, nonnumquam violenter exiliens; menstruum universale; mobile perpetuum, omnia movens, conterens, permiscens; instrumentum tandem catholicum, valdeque energicum, quo varia corpora vivunt, crescunt, vigent, agunt; & sine cujus necessaria ope, nulla fere opera præstare, naturæ fas est. Aëris igitur nativam indolem, præcipuasque dotes, diligenter perscrutari, apud physicos omnes, sed præprimis apud medicos, summæ molis est; meritoque conqueritur doctissimus Arbuthnot (*h*), dum varia studiose perquiruntur exotica Medicamenta, quorum in Medica praxi vix usus est, aërei liquidi humanum corpus perpetuo cingentis, in ipsius penetralia indesinenter illabentis, sicque ad vitam & sanitatem tantopere conferentis, studium posthaberi.

(*h*) Essai des effets de l'air sur le Corps humain par M. Arbuthnot, traduit de l'Anglois par M. Boyer de la Prébandie Docteur en Médecine de l'Université de Montpellier.

42. Ponderat aër, ſeu elementa omnia, quæ ſimul congregata ipſum conſtituunt, nituntur in telluris centrum. Conſtat experimentis a fidiſſimis obſervatoribus (i) inſtitutis, menſurabile ad minimum uſque, totius prementis aëro-ſphœræ pondus, vulgari exprimendum menſura ponderum. Aëra ergo, pondere ſuo & terræ ambitum, & obvia omnia corpora, vi perpetua premit. Compreſſio hæc, ſi Boërhaave ſit fides, adamuſſim æſtimari poteſt ubique ex comperta altitudine mercurii in barometro, & magnitudine ſuperficiei cognita in corpore preſſo. Quo majus aëris pondus, eo arctius premitur corpus; ſimulac de pondere remittit, eo illico corpus minus conſtringitur. Cum autem in aëris gravitate, aſſidua dominetur varietas, ultra decimam totius partem, non excurrens, & aër cuncta innitendo premens, vario momento, a corporibus elaſticis, pro rato reprimatur; perpetua quædam, in omnibus aëri commiſſis corporibus, oſcillatio viget, reciproco illi aëris ponderi aucto vel imminuto reſpondens, quæ alteri corporearum particularum tremulæ vibrationi, a caloris & frigoris aſſidua viciſſitudiue na-

(i) Toricell. Guerich. Paſchal. Boyl. & præſertim Mariotte.

tæ juncta, ſtupendos ac continuos effectus edit.

43. elaſticitas, aëri, inter omnia liquida, quaſi privatim propria ac individua dos eſt, qua certo ſpatio concluſus, ibique definito pondere preſſus, ſemper in ſpatium tanto minus arctatur, quanto graviore pondere urgetur; iterumque ſponte ſua ſe expandens, in ſpatia eo ampliora reſtituitur, quo magis imminuitur vis comprimens. Experimentorum fide compertum eſt, aeris denſitatem comprimenti ponderi ſemper proportionalem eſſe. In infinitum procedere nequit illa preſſio; quænam ſit hujus ultima meta, adhucdum in ambiguo manet: num aëra ultra quam ad $\frac{1}{800}$ naturalis ſpatii denſari nequit? Id quidem ab Halles & Academicis cimentinis ſcriptum, verum nullis evulgatis experimentis evictum. Ea tantum hac de re explorata ſunt, aërem nempe, in ſpatium decies & ſexies minus vere redigi, adeoque tantum condenſari; & in ſpatium trigeſies & bis majus, expandendo ſe, facile & æquabiliter diffundi; quin imo & ultra $\frac{1}{336}$ denſitatis quam habet, ubi mercurium ad 28 pollices attollit, rareſcere poſſe (*k*); hunc a poten-

(*k*) Leçons de Phyſique expérimentale de M. l'Abbé Nollet. Tom. 3. Lec. 10. & 11.

tia tantum ponderis externe applicati, in tam paruum ſpatium coarctari, & tantum a preſſu ablati ponderis liberatum, propria ſua indole, nulla alia præter ſolum ignem, concurrente cauſa, ſeſe in tantum ſpatii effundere, quantum prius per compreſſionem, amiſſum fuerat; hanc aëris compreſſilitatem & dilatabilitatem, ſi ita loqui fas ſit, perpetuo illibatam perſtare, & ad ſenſus noſtros, quam accuratiſſime reſpondere comprimentium ponderum augmento & decremento, ideoque ſpatia occupata ab eadem portione aëris, eſſe in ratione reciproca comprimentium ponderum. Id tandem mirum & quaſi paradoxum annotari meretur, quod ab eximio Boyle (*l*) demonſtratum, elaſticam vim cuicumque aëris portioni inhærentem, toti virtuti integræ columnæ atmoſphoeræ incumbentis, æquivalere, proindeque exiguam aëris portiunculam, ubicumque coërcitam, aptam eſſe producendis effectibus, qui ab ingenti copia, pendent alibi.

44. Nec a ſolo ponderum augmento vel decremento, denſatur aut expanditur aër; verum etiam hunc citius alio quocumque corpore, a frigore contrahi &

(*l*) Experim. *Mechan.* Tom. 1. part. 21. a pag. 1, ad 24.

a calore rarescere, solemne est. Condensationis & rarefactionis hujus mensuræ nondum detecta; quamvis notum sit ebullientis aquæ calorem, aërem expandere ad tertiam partem suæ molis (*m*), & a Boyle inventa maxima inter rarissimum densissimumque aërem distantia sit ut 1 ad 520000. Hæc rata sunt; expansionem, in eadem aëris densitate, caloris applicati augmento, constanti naturæ lege, ubique respondere (*n*); aërem, quo compressu fuerit densior, ad eumdem ignis gradum, magis elasticas vires acquirere, idque in proportione fere recta densitatum (*o*); & quo minus compressus, sicque sponte rarior, eo minus elasticæ virtutis, ab eodem ignis gradu adipisci. Si ergo revera aër, in octingenties minutiora spatia, densari posset; solo ebullientis aquæ calore, immanis in eo vis exurgeret. Aëris igitur elastica potestas, est in composita ratione densitatis suæ & admoti caloris. Id etiam notatu dignum addere decet, corpora eo magis incalescere, quo graviori atmosphoere pondere, horum superficies premitur. Sic v.

(*m*) Histor. Acad. Reg. Scient. Paris. 1699. pag. 101.

(*n*) Ibid. pag. 113. & 1702. pag. 1-5.

(*o*) Id solertissime detexit amonton. Histor. Acad. Reg. Scient. 1702. pag. 15.

g. aqua ſemel ebulliens, licet igne auctiori appoſito, nunquam magis caleſcat, quamdiu manet idem atmoſphœræ pondus; majorem concipit calorem, ſtatim ac prementis aëris gravitas intenditur.

45. Laborioſa ac ſolertiſſima opera, ex omni corpore noto, animali, vegetabili & minerali, educitur aër (*p*); nec ambigere licet, an ſic excerpta ſubtilis hæc materies, genuinam aëris indolem ſapiat; cum omnibus communis aëris dotibus polleat, fluida ſit, pondere compreſſilis, frigore contractilis, expandens ſe calore & ubi premente cauſa levatur, per longam annorum ſeriem, intactam foveat elaſticitatem, nec unquam acerrimo gelu ſolideſcat (*q*). Aër igitur, ad omnia Corporum genera componenda, ſymbolum confert, ibique particulis aliis ſolitarie nuptus, quietus & quaſi fixus deliteſcit, tamdiu nullum vulgaris aëris ſenſibilem effectum edens; verum ſimulac ſui ſimilibus particulis jungitur, ad priſtinum redit ingenium, ac vim ſuam elaſticam prodit. Quo major corporum ſoliditas, eo uberior, in eorumdem ſinu recondita latet aëris copia, ſi

(*p*) La Statique des Végétaux par M. Halles chap. 6.
(*q*) Ibid. Exper. 88 & 89.

halles ſit fides (r), quod potiſſimum calculi veſicæ Mechanico-Chimica analyſi evincere nititur (s); unde cum illuſtri Newton, clariſſimus concludit halles, particulas aëreas ita ſejunctas ac reliquis arctiſſimo connubio cohærentes, quaſi vinculum eſſe, quo inter ſe devinctæ ac concatenatæ detinentur, & ita corporum ſoliditatis cauſam eſſe præcipuam (t); quod forte a vero non alienum, licet hac de re, quidquam aſſerere, datum non ſit.

46. Ex intimis cujuſcumque corporis receſſibus, multiplici ratione, abſconditum proſilire poſſe aëra, in confeſſo eſt. Is enim bullatim ac vehementi cum impetu, e carceribus ſuis, erumpere deprehenditur, notabili prementis atmoſphœræ imminutione, corporis diſſolutione, certo caloris gradu, gelu, efferueſcentia, fermentatione, putrefactione, & combuſtione. 1°. Dum comprimentis atmoſphœræ pondere ſublevatur corpus, debiliori niſu interſe compinguntur ipſius partes, ampliora relinquunt interſtitia, e quibus concluſæ particulæ aëreæ jam

(r) Statiq. des Végét. par M. Halles chap. 6. Exper. 46, 51, 55, 57 & 60.
(s) Ibid. Pag 167.
(t) Ibid. pag. 254.

majus ſpatium nactæ, facileque ſibi obviam euntes, ſe expediunt. 2°. Cum apti cujuſdam menſtrui eſſicacia, corporis diſſolutio peragitur; tum a ſeſe invicem diſſociantur prius cohærentes moleculæ, ſicque reſerantur cellulæ minimæ, quibus interceptus jacebat aër, qui conſequenter inde exilire debet. 3°. Calore corpora cuncta expandi, ac turgere notum eſt; hæc fieri nequit expanſio, quin ſpatiola amplientur, quibus latitant aëris elementa; ea igitur igne commota ſibi occurrunt, rareſcendo repagula diffringunt, quibus eorumdem inhibetur evolutio, ſicque tandem e compedibus ſuis extricantur. 4°. Gelu contrahuntur corporum præſertim liquidorum partes, intercepta ſpatiola arctantur, de his excutiuntur aërea elementa, adunantur inter ſe, in mutuos contactus veniunt, ſicque evoluuntur. 5°. Unde tanta inter confuſa ſimul acida & alcalia, accenditur efferveſcentia? Quare ita copioſus ex his apparenter confligentibus expellitur aër? Hæc fieri veroſimile, quia ob ingentem quæ inter hoſce ſales, dominatur, reciprocam attractionem, aut (ſi vox hæc inaſſuetas lædat aures) affinitatem, hi in certa diſtantia poſiti, vehementi impetu, in mutuos amplexus ruunt, & ea

vi, corpuſcula aërea elidunt, quæ intermedia jacebant; hic ergo amicitia non lucta, attractus non repulſa, ut eleganter ait Boërhaave (*u*). 6°. Fermenteſcens maſſa tumet, rareſcit, aſſurgit; expanduntur ergo ipſius minora loculamenta, ibique latentes aëreæ particulæ quaquaverſum commotæ & exagitatæ, ſui ſimilibus aliiſque valde volatilibus junctæ exploduntur. 7°. putrefactione, uberiorem multo quam alia quacumque jam deſcripta naturali operatione, aëris copiam, e corporibus elidi, extra controverſiam poſitum eſt; illa enim ſummo calore ſtipata, nativum partium fere omnium minimarum nexum deſtruit, omnia, licet proſſus diſſimilia, in unam eamdemque materiam vertit, & cuncta, excepta tantum pauca terra, & tenaciori oleoſa parte, volatilia efficit; debet ergo efficaciſſime aëris latibula reſerare. 8°. Tandem combuſtio, omnium potentiſſime, e corporum textu latentem elicit aërem; nullæ enim igni ardenti imperviæ manent cellulæ, his igitur violenter recluſis ac diffractis, conflagrans corpus, aëreas particulas turmatim dimittere, jamque

(*u*) Element. Chem. Tom. 1 de artis Theoria, de aëre pag. 283 & 284. & Tom. 2. Operat. chem. pars tertia in foſſilia, proceſſ. 136.

flammis exuſtum iiſdem orbari debet.

47. Non tantum in penitiori corporum contextu hoſpitans aër (45), multiplici jam expoſita ratione (46), inde extricatur; verum etiam ſic reſolutus & diffuſus, rurſum concreſcere, abſorberi, imo & in idem unde excluſus fuerat, corpus, redire potis eſt: quem mirandum prorſus effectum præcipue edunt denſi acidi & ſulphurei halitus (*x*); particulæ enim ſulphureæ & acidæ in cohæſionem proclives, maxima forte & reciproca qua in puncto contactus, pollent attractione, ſatis valida vi inter ſe adunantur, ut aerea elementa coerceant & intercipiant, nec tamen exprimant, quæ ſic irretita conſuetam elaſticam vim exuunt. In variis ergo naturæ operibus, quaſi alternata eſt aeris reſolutio & concretio.

48. Cum aer corpora omnia cingens, pondere & elaterio ſuo impulſus, horum penetrabiles omnes meatus expedite pervadat; corpori noſtro pariter circumfuſus, per patula narium & oris cava, non tantum trachæam & pulmones ſubit; ſed & etiam per œſophagum, deglutitionis tempore, in ventriculum & inteſtina urgetur: cui aſſerto favet autopſia, qua hæc ſemper aere turgere deprehenduntur,

(*x*) Statiq. des Végét. par M. Halles chap. 6.

49. Variæ quibus nutrimur ac vitam fovemus, animalium & vegetantium partes, copioso aëre scatent, ut indubitatis experimentis evictum est. Verum cum alimenta hæc, viscerum chylopæorum vegeta actione, comminuantur, & juvante notabili calore, imo & non parum conferente ipsomet externo aëre, menstruo vniversali, pistilli instar, omnia conterente & movente, multiplicis liquoris blandi & aquei ex innumeris rivulis dimanantis, tum & saponacei unius, bilis nempe energia, solvantur; maximam interclusi aëris partem, quamcito reliquo hic proxime vicino & in mutuum connubium nitenti associandam dimittunt. Sic solutus aër non purus est & impermixtus, (nullibi enim talem reperire fas est) sed aqueis, salinis, sulphureis pluribus halitibus refertus.

50. Aërem cum chylo, in sanguinem devehi, ac in singulos ab ipso scaturientes liquores diffundi, certo certius est. Num sic confusus ac dissolutus aër, consuetis suis viribus physicis pollet? Num de liquidis suis intricantibus expediri potest? Neutiquam, saltem quamdiu perstat sanitas. Verum si fervidiori in vasis omnibus urgente æstu, salivalis succus, pancreaticus, biliosus, gastricus & intestinalis,

nalis, ſumme rareſcentes, in alimentarium canalem depluant, ibique intenſior etiam ferveat calor; tunc quidem in hujuſmodi liquidis deliteſcens aër, quadamtenus extricari poterit: quod tamen raro admodum occurrere, ſuadet experimentum, quo conſtat aquam jam calidam ad 90 gradus, dein in antlia Pneumatica, decima parte ponderis atmoſphœræ liberatam, ne tum tamen ſuum aërem bullalatim ejicere (*y*); id vero valde infrequens eſſe, penitus evincit experimentum alterum, quo compertum eſt, urinam calidam, ad 90 gradus, in Pneumatica machina repoſitam, jam educto ad 26. pollices aëre, nullum tamen ebullitionis ſignum præbere, nec niſi poſt ſubductam ad 27 pollices atmoſphœram, bullulas emittere (*z*).

51. Aër hic ex triplici (48. 49. 50.) aut ſaltem ex duplici (48. 49.) fonte profluens, per ventriculi & inteſtinorum cavum, æquabiliter diſtributus, fluiditate ſua, lubricitate, gravitate, elaſticitate, rareſcentia a calore orta, verbo, omni ſua dote, ibi agit, & flexilem hunc canalem expandere, ſeu tunicas ejuſdem, extrorſum ferre continuo nititur, has ſic

(*y*) Boërhaau. Elem. chem. Tom. 1. de aëre experim. 4. pag. 271 & 272.

(*z*) Id. Ibid. experim. 9. pag. 276.

perpetuo tendit, aptatque ad resultum; tubi collapsum præcavet, apertum servat iter, tandemque alimentorum coctioni, ac chyli in lactea vasa ingressui favet. Patet autem, hunc aëris in ductus alimentarii parietes nisum, respondere aëris copiæ & gravitati, sed præcipue conamini illi, quo in ampliora spatia sese restituere affectat. Hoc autem, cum idem sit ac elastica potestas, compositam sequitur rationem densitatis aëris, & caloris, ut superius notatum est (44.), id est eo majus, quo densior aër, & quo fervidior viget æstus.

BREVIS DUCTUS ALIMENTARII DESCRIPTIO.

52. Ventriculus œsophagi extremo propendens, ipsique appensa intestina, unum & eumdem continuum tubum constituunt, immanis longitudinis, mire in gyros convolutum, innumeris fere flexuris incuruum, partim libere fluctuantem nec mesenterio ligatum, partim huic tanquam fimbriæ annexum, variæ in diversis locis diametri, nunc ampliatum nunc angustum, ibi valvulis munitum, alibi iisdem orbatum. Hic quintuplici tunica, in variis tractibus, densitatis ratione, varia constat; membranea scilicet a peri-

tonœo deprompta; cellulosa ruyschii; carnea, duplici fibrarum, orbicularium nempe & longitudinalium ordine conflata; nervea dicta, sanguiductuum villorumque nerveorum myriadibus ornata, textu prædita spongioso, tum & ligamentosorum filulorum rete; villosa denique, hujus veluti propagine, omnium magis intima, glandulosæ, tubulosæ & mucosæ nominibus, passim & merito ob singularem structuram, insignita. Sanguinem arteriosum, per innumerabiles ex cœliaca & duplici mesenterica arteria oriundos, & cavum undique cingentes ramos, excipit; venosum congeneribus surculis, in venam portam, & inde dimittit ad jecur; nervosque ex sympathico majore seu intercostali, ex medio sympathico seu octavo pari, tum & e plexubus quibuscumque mesentericis mutuatur eadem hæc fistula. Sic autem ex variis membranis sibi lamellatim accumbentibus, diversoque vasorum fibrillarumque genere concreta; succis ex intima sua facie, aut ex duplici vicino viscere, aut ex œsophago, jugi fluore stillantibus assidue madida; necnon glutinoso quodam ac blando smegmate, molestæ irritationis præcavendæ gratia, intus obducta; non tantum vi sua elastica haud mediocri, sed & etiam peculiari

tonica, villis omnibus sensibilibus, in vivente, communi, ac musculari carneis solummodo propria actione, motum contractilem, peristalticum aut vermicularem dictum, a suprema parte ad infimam plerumque vergentem edit, quo versus axim ducuntur ipsius latera, & intus contenta premuntur, ac deorsum ut plurimum urgentur. Et ille est motus, cui simul cum uberrima humoris inquilini privatam indolem nostram satis adepti, affusione concurrenti, ingestorum concoctio potissimum tribuenda.

COROLLARIA EX PRÆMISSIS (*a* 41. *ad* 53.) DEDUCENDA.

53. Qui jam fuse exposita, (a 41. ad 53.) & præsertim mox dicta (51. 52.) ponderat, simulque singulare illud, inter coetera, comminiscitur & attente perspicit, quamdam nempe & perpetuam, inter elastica corpora ipsisque incumbentem aërem, vigere oscillationem reciprocæ aëris gravitati auctæ vel imminutæ, & frigoris ac caloris vicissitudini respondentem (42.); hæc, corollariorum instar, exinde eruere, haud cunctabitur. 1°. Vim qua constringitur alimentarius tubus (52.), & nisum aëris in illius latera (51.), tanquam vires contranitentes spectanda esse. 2°. Tubi coër-

centis expanſionem, ſequi niſum aëris directe, & vis conſtringentis momentum inverſe; videlicet eo majorem eſſe, quo intenſior eſt aëris niſus, & quo debilior eſt vis tubum conſtringens; eo vero minorem, quo languidior aëris niſus, & quo vis tubum conſtringens validior.

GENERALIS FLATUUM CAUSA PROXIMA.

54. His ita prælibatis (a 41. ad 54.) cum Flatus nomine, ut ſupra notatum eſt (3.), intelligatur ſubſtantiæ aëreæ, elaſticæ, in expanſionem nitentis & in inteſtinis aut ventriculo contentæ violenta collectio, hujuſce tubi moleſtam diſtenſionem pariens, quæ vel conſtanter permanet in eodem tractu, vel hinc & inde excurrit, vel tandem peracta exploſione diſcutitur; cuilibet attendénti obvium erit, violentæ hujus collectionis & diſtenſionis cauſam proximam & efficientem, eſſe niſum aëris validius agentis, quam robur membraneæ fiſtulæ patitur. Nam cum coërciti aëris niſus, & concludentis fiſtulæ robur, ſeu vis eam coarctans, ſint vires contranitentes (53. 1°.), ſi momentum unius æquale eſſet momento alterius, tunc par utrobique eſſet actio, nec ductus collecto Flatu moleſte diduci

ac turgere posset; si vero vis tubum contrahens, aëris nisum exuperaret, tunc potius coarctaretur tubus. Ut ergo Flatus in eo colligatur, ipseque ab eodem aggesto violenter distrahatur, validior debet esse aëris nisus vi tubum constringente, cujus expansio tunc oritur ab excessu, quo aëris vis parietum resistentiam vincit. (53. 2°.)

ANTECEDENTES ET REMOTÆ FLATUUM CAUSÆ.

55. Validius autem nititur aër, quam tubi membranei robur ferre potest, triplici modo. 1°. Si eadem manente tubi vi, nisus aëris supramodum intenditur. 2°. Ubi eodem perstante aëris nisu, parietum tubi resistentia imminuitur. 3°. Ubi utraque hæc causa, simul concurrit, seu dum augetur aeris nisus, unaque languet parietum tubi resistentia. Nec alio pacto, id unquam contingere concipit, quem non latet fistulæ coercentis expansionem sequi nisum aeris directe, & vis constringentis momentum inverse (53. 2°.)

56. Duplici ratione, intenditur aeris nisus; ipsius nempe densitate adaucta, & caloris augmento. Notum est enim, ex prægressis (44.), aeris elasticam potes-

tatem ſeu expanſivum niſum, eſſe in compoſita ratione ipſius denſitatis, & applicati caloris. Increſcit autem aeris denſitas. 1°. Si nimis exuberet ipſius moles, eodem interim manente tubo coercente; tunc enim cum majori huic aeris copiæ libere admittendæ ſat amplus non ſuppetat locus, particulas aereas in intimiorem contactum adigi, ſeu magis denſari neceſſum eſt. 2°. Denſior evadit aer, ubi conſueta licet quantitate præſens, arctiori preſſu in aliqua fiſtulæ alimentariæ parte conſtringitur.

CAUSÆ QUÆ AEREM DENSANT, EJUSDEMQUE ELATEREM AUGENT, UBERIOREM IPSIUS COPIAM SUPPEDITANDO, SICQUE FLATUS PARIUNT.

57. Cum autem triplex ſit aeris in ventriculo & inteſtinis concluſi ſcaturigo (48. 49. 50.), quænam uberiorem huc devehat aeris copiam, expiſcari nunc congruit. Primum ergo, licet atmoſphoericus aer, interdum ponderoſior aut magis elaſticus, aut ventis nimium impulſus, corporique, tota hac vi, innitendo, incumbens, per apertiora nonnunquam narium, oris, gulæ & œſophagi cava, deglutitionis tempore, in ventriculum, paulo copioſius urgeri poſſit; ingenue

tamen fatendum eſt, nunquam fere ab hac cauſa, tantopere aeris molem augeri, ut exinde ſenſibilis ſubſequatur læſio. Verum varia quibus veſcimur alimenta, cum aere fœta ſint, & alia majorem, alia parciorem ipſius copiam recondant, hunc e conceptaculis ſuis excluſum, modo magis, modo minus emittent, non quidem prementis atmoſphœræ imminutione (46. 1°.), quæ nunquam niſi in boyliano vacuo, & ſummo labore exantlato aere, ſat notabilis eſt, ut id ſuccedat; nec etiam gelu (46. 4°.) in calido loco nunquam occurrente; aut exuſtione (48. 8.) in humido, nec unquam in ipſo cauſo, fere ad flammam uſque flagrante corpore, impoſſibili, hæc aeris excluſio præſtari poteſt: ſed potius quintuplici alia expoſita ratione (46. 2°. 3°. 5°. 6°. 7°.)

Simplex alimentorum, præcipue aëre Scatentium ſolutio.

58. Primo igitur, cum ingeſta jam in ore comminuta, ibique ſalivali ſucco & aere imbuta, chylopoieticis viſceribus excepta, vehementi horum contractione premantur, hinc & inde volutentur, ac minutatim concidantur, a depluente undique ſucco aqueo ſalino efficaciſſimo penetrentur,

penetrentur, & ab ipſomet atmoſphœrico aëre ſubigantur; ſic ſoluta eorumdem compage, ac recluſis cellulis fere omnibus, interceptus expeditur aër. Hinc cuicumque, vigente etiam ſanitate, quo tempore ciborum coctio celebratur, aërem eructare contingit. Verum cum ingeſta omnia aëre turgeant, quare tunc conſtans non eſt morboſus Flatuum exortus? Quia extricato aëri, contractili ſua vi, ventriculi & inteſtinorum tunicæ renituntur, nec non particulæ aëreæ ſic evolutæ, paulo poſt, aut fere eodem inſtanti, copioſis ex alimentaria maſſa elatis vaporibus abſorbentur, & quidem eo magis, quo hi denſiores ac ſulphureis acidiſque particulis magis onuſti (a). Adde excluſum hunc aërem, in ſtatu ſano facile & æquabiliter, per univerſum canalem diffundi. Tunc igitur, alimentorum ſimplicem ſolutionem, Flatulenti ſubſequentur affectus. 1°. Cum ſumma ac vehemens erit menſtruorum, & organorum coctioni famulantium energia; tunc enim perfectius reſerari neceſſe eſt, intercluſi aëris carceres: verum ſic exurgens flatus, cito explodetur ac vix morboſus erit. 2°. Si debiles tubi membranei tunicæ, reſo-

(a) Statiq. des Végét. par M. Halles, chap. 6. expér. 103. 120. 121. &c.

luti hujus aëris nisum languide repellant. 3°. Si propter obicem quemdam, per universum ipsius tractum, libere dispergi nequeat. 4°. Tandem cum uberiore aëre respersa sunt alimenta, e quibus proinde solutis, copiosius erumpere debet; & cum multo minorem fovent sulphurearum acidarumve particularum, in textu suo copiam, unde minor expansi aëris quantitas absorbetur: & de hac ultima ac duplici causa, præprimis hic agitur. Boyle autem experimento, exploratum manet, magno quodam vase, vvis, prunis, cerasis, pisis, grossularia, aliisque fructibus & seminibus variis repleto, ac postquam ipsi appositus fuit exilis tubus aëre plenus, probe obsignato, & Pneumaticæ machinæ commisso, peracta aëris exantlatione, tantam ex vegetabilibus sic congestis, aereo-flatulentæ materiæ copiam emersisse, ut coërceri impotens, vas effregerit, ac sexies supra vim atmosphoeræ intumuerit. Verum ex variis corporibus, determinatam ac stupendam, distillationis ope, eduxit aeris quantitatem, celeberrimus Halles, in præclaro suo statices vegetabilium opere, hujus rei assiduus & indefessus scrutator. Sic sanguinis porcini cubicus pollex, ad siccum usque crassamentum distillatus,

aeris 33 cubicos pollices ſuppeditavit (*b*). Ex ſemi pollice cubico cornuum damæ, Chymica analyſi, 117 pollices cubici aeris, ac proinde ipſius volumen 234 æquantes, 33 grana ponderantes, ideoque ſeptimam circiter totius partem conſtituentes prodierunt (*c*). Ex frumenti turcici nondum perfecte maturi granis 388, exilierunt aeris 270 pollices, aut grana 77; aerea ergo erat quarta frumenti hujus pars (*d*). Piſorum pollex cubicus, ſeu grana 398, præbuerunt aeris 396 pollices, aut 113 grana, id eſt paulo magis, quam tertiam totius partem (*e*). Ex ſeminum ſynapi uncia una, proſilierunt aeris 270 pollices cubici, aut grana 77, ſeu paulo plus quam ſexta totius pars (*f*). Ex craſſioris ſacchari pollice cubico, ſeu granis 373, emerſit aer ad 126 pollices, aut 36 grana, ſeu paulo magis quam ad decimam totius partem (*g*). Si ergo hujuſmodi corpora ingerantur, quamvis in primis viis, tantam e ſinu ſuo aeris ubertatem profundere nequeant, quam analyſi Mechanico-Chimica tam induſtrie

(*b*) Statiq. des Végét. par Halles, chap. 6. Exper 4[illegible]
(*c*) Ibid. Exper. 51.
(*d*) Ibid. Exper. 56.
(*e*) Ibid. Exper. 57.
(*f*) Ibid. Exper. 58.
(*g*) Ibid. Exper. 65.

ab Halles instituta ; nihilominus tamen ; ex his satis notabilis copia extricabitur, ut Flatulentos accersat affectus, præsertim si magna quantitate assumpta fuerint, vel accedant jam designatæ causæ (58. 1°. 2°. 3°.) fusius infra enucleandæ.

Calor altera causa aerem ex ingestis evoluens.

59. Cum explorata omnia corpora ; ne ullo excepto, calore tumescere, grandiora reddi & rarescere compertum sit (46. 3°.) ; calor autem noster vitalis, fahrenheit thermoscopio perquisitus, sit 92 graduum, imo & quandoque ad 94 ascendere observetur (h) : ingesta, ea inprimis, de quibus mox sermo erat (58), tot concurrentium organorum apparatu contrita, comminuta, soluta, tanto caloris momento, notabiliter rarescent & expandentur ; potentius igitur minora diffringentur conceptacula, quibus incarceratus jacebat aer ; & eo uberius is ex ingestis erumpet, quo major in corpore fervebit æstus. Hic tamen inficiari nefas, solum hunc calorem, vix latentis aeris evolutionem præstare posse, cum ab aqua calidissima nempe ad gradus 150, in

(h) Boërhaau. Elem. chem. Tomus primus de art. Theor. de igne. pag. 223.

machina Pneumatica, nullum ferme aerem, nisi post aliquot exantlationes, emissum fuisse constet (*i*). Verum cum huc tot aliæ causæ conspirent, his sociatum calorem, intensiorem præsertim, interclusi aeris resolutioni magnopere favere, extra omnem dubitationis aleam autumamus. Quibus autem de causis, æstus in corpore intendatur, inferius dispiciemus.

Effervescentia.

60. Effervescentiam intellige, motum intestinum, subitaneum, impetuosum, calidum ut plurimum, frigidum nonnunquam, a duplicis heterogenei prius seorsum quiescentis corporis permixtione enatum; quo corporeæ moleculæ, dissimili figura instructæ, quasi confligentes, sibi invicem immediate occurrunt, tandemque amicabili & quieto connubio nectuntur. Aerem autem, ante Effervescentiam, in corporibus latitantem, hujus effectu, ex iisdem eliminari, innumeris experimentis, certo certius stabilitum. Confusis simul aceto stillatitio & lapidibus cancrorum fluviatilium, incredibilis oritur ebullitio, tantumque gignitur elastici aeris, præsertim in vacuo Boyliano, ut

(*i*) Id. Ibid. de aëre Experim, 4. pag. 271.

ibi ſpatium repleat 81 pollicum cubicorum (*k*). Affuſa cretæ drachma, in aceti ſtillatitii uncias duas, tanta naſcitur Efferveſcentia, ut in Pneumatica machina, excluſus aer ſpatium occupet capax 90 unciarum aquæ, adeoque 171 pollicum cubicorum (*l*). Adjecto, in vacuo, ad acetum ſtillatitium, liquore tartari per deliquium, ingens exoritur ebullitio, maximaque aeris copia hic citiſſime producitur. Si ſumantur drachmæ quatuor olei tartari, & drachma cum dimidia olei vitrioli; ex his ſejunctim machinæ Boylianæ immiſſis, omni molimine, totus educatur aer, deinde ſimul ambo, in eadem machina commiſceantur; unico temporis momento, repentina ac violentiſſima exurget Efferveſcentia, particulas confligentes, ſurſum incredibili cum impetu projiciens; horum liquidorum rarefactio, longe ultra duodecuplam magnitudinem prioris molis extenditur, & aer hac Efferveſcentia natus, mercurium deprimit a 29 ad 12 $\frac{1}{2}$ (*m*). Infuſo ſpi-

(*k*) Boërhaau, Elem. chem. Tomus primus de art. Theor de aëre pag. 281. & 282. Statiq. des Végét. par M. Halles, append. pag. 353.

(*l*) Boërhau, Ibid pag. 282. Statiq. des Veget. Ibid. pag. 357.

(*m*) Boërhaau. Elém. chem. Tomus. primus. de art. Theor. de aëre pag. 282.

ritu nitri supra ferrum; aceto supra corallia; confusis simul spiritu nitri & oleo carui; spiritu nitri, salis ammoniaci spiritui instillato; consimiles nascuntur Effervescentiæ. Hac de re, qui plura cognoscere in optatis habuerit, adeat elementa chemiæ Boerhaaue, staticem vegetabilium Halles, & muskenbroech additamenta ad tentamina experimentorum naturalium captorum in Academia delcimento. Si ergo talia assumantur, quæ jam prædictis affinia sint. v. g. Sales cornu cervi cum acetariis, ut olim in batavia mos erat; aut si, dum primæ viæ acido scatent, ut in infantibus frequens, sal quoddam alcalinum exibeatur; vel si digestivi succi a blanda sua indole declinantes, in alcalinam vergant, aut absorbens quoddam oculis cancrorum simile, in ventriculo lateat, tuncque acida certa tantum proportione hauriantur: in his omnibus casibus, Effervescentiam exoriri, seu particulas heterogeneas, non quidem adversis frontibus dimicare, sed certatim in mutuos amplexus ruere, adunari, & ipsa hac adunatione, intermedium aerem, magna vi excutere quid vetat? Si ergo quisquam alcalinum & acidum fomitem, in ventriculo, gereret, perpetuo flatibus turgeret. Hic tamen

fateri congruit, raro ſatis ab hac cauſa Flatulentos promoveri affectus.

Fermentatio.

61. Hactenus æquivoca & ambigua fuit fermentationis vox, qua tandem, ablegata hac confuſione, intelligendum eſſe, ab artis peritioribus hodie ſancitum (*n*), motum inteſtinum ſolis vegetabilibus proprium, quo hæc ita immutantur, ut liquor, in deſtillatione, inde primo vi ignis prolicitus & aſſurgens, ſit aquæ miſcibilis, calidi aromatici ſaporis, in igne olei inſtar inflammabilis, tenuis, volatilis, verbo ſpiritus ardens; vel acer acidus, Flammam extinguens, minus volatilis, aceti nomine veniens. Talis eſt motus, quo recens preſſus uvarum ſuccus, in vinum convertitur, quo iſtud in acetum mutatur. Hoc Fermentativo motu, ſenſim tumet & rareſcit corpus; miris gyris, undique variato impetu rapiuntur particulæ minimæ, & aſſiduo ſurſum tendunt innumeræ bullulæ, cum ſibilo diſſilientes; inde tota mole ſpumeſcente, cum ebullitionis ſono, exploditur ſpiritus quidam, acredine nares feriens, ſubacidulus, mire elaſticus, vaſa fere om-

(*n*) Id. Ibid. Tom. 2. operat. chem. pars. 1. in Vegetantia. Fermentatio. pag. 104.

nia, ingenti ſua vi diſplodens, gas Sylvestre ab helmontio dictus, tam horrendus, ut eo imprudenter per nares attracto, homines fatuos evaſiſſe, apoplecticos corruiſſe & extinctos fuiſſe, obſervatum fuerit. Summam igitur attritionem, inter fermentantis maſſæ corpuſcula omnia velociſſime agitata exerceri, & copioſum innumeriſque diverſæ indolis particulis onuſtum, inde exilire aereum halitum, dubium non eſt. Nonnunquam autem nimia copia aſſumuntur vegetabilia in hanc Fermentationem prona, qualia ſunt ſemina omnia plantarum matura atque ſicca v. g. Hordei, avenæ, milii, oryzæ, ſecales, tritici omnium ſpecierum, lini, cucumerum, cucurbitarum, melonum &c. nuces non nimis oleoſæ, amygdalæ, avellanæ, caſtaneæ, piſtachiæ; fructus pulpoſi, maturo acido-dulci ſucco prægnantes, ceraſa, groſſularia, mora, ſambuci baccæ, vuæ omnes, perſica, poma, pyra, pruna &c. herbæ omnes ſucculentæ, in acidum vergentes; ſucci recentes nativi, preſſi de plantis, aut de ſauciatis arboribus ſtillantes; tandemque ſucci in ſaponaceam ſubſtantiam concreti, manna, mel, ſaccharum, pulpa caſſiæ &c. Si igitur hæc omnia, ſed præſertim fructus horæi maturiſſimi, quibus ingens

ad Fermentationem proclivitas inest, aut succus ex his expressus, mustum v. g. sponte fervens, paulo largius ingerantur; vel etiam, si potus adhuc fermentantes, priusquam deferbuerint, hauriantur, ut cerevisia saliens, & cujus, accurata vasis obturatione, diu prohibita fuit Fermentatio, quæ statim ac aeris accessu gaudet, violentissime fervet, expanditur ac persœpe concludentia vasa diffringit: Tunc quidem ventriculo & intestinis excipi nequeunt, ibique aliquamdiu commorari, quin ob summam proximamque ad fermentativum motum propensionem, illico tumeant, rarescant, ebulliant ac spititum hunc Sylvestrem acidulo-aereum vehementer a calore interno expansum & ferme incoercibilem, immensa vi explodant. Hæc ergo causa, quoscumque fere Flatulentos affectus, colicam scilicet, ructus, borborygmos, imo & alios atroces morbos, vomitum, diarrhæam, choleram-morbum accersere valet. Hic tamen annotare congruit, ab hisce fermentabilibus raro noxam inferri, si parca tantum ant mediocri copia intrudantur; si vegeta sit ventriculi & intestinorum vis contractilis; si libere & expedite ab una in aliam tubi alimentarii partem, devehi queant: tunc enim aut nulla concitabitur

Fermentatio, aut incepta brevi quiescet. Verum si constricto ventriculo, aut convulsis intestinis, prohibeantur exire; vel si horum tonus languidus sit & effœtus; vel si mitis tantum in his ferveat calor, nonagesimum gradum non excedens; aut tandem si ingenti copia sorbeantur enumerata alimenta; descripta accendetur Fermentatio non cito abrumpenda, sed ad certum usque tempus producenda, sicque dira Flatulenta symptomata, ipsamque amaram mortem sœpe inferens. Cujus rei memorabile exemplum, in actis britannicis legitur, juvenis scilicet antea sani, qui multum vini, deinde cerevisiam, in actu Fermentationis suppressam hauserat; lectum petiit, noctuque immani colico dolore correptus fuit, quo medicamentorum omnium vim eludente, vitam cum morte commutavit: aperto cadavere, reperta sunt intestina maxime turgida, ac constricta, & colon ad capitis magnitudinem inflatum.

Putrefactio.

62. Putrefactio tandem, cui subjacet unumquodque vegetans, & in quam summopere proclives singulæ animantium partes, intestinus est ille motus, quo corpus molle & succulentum, alicubi

congeſtum & compreſſum, ſponte ſua calet, fumum emittit, ſenſim ipſa aqua ebulliente multo fervidius æſtuat, tandemque intime reſoluitur in æquabile, cinereum, putidum, tabidum, tetram mephitim exhalans liquamen. Horrenda hæc puls, Chymico igni ſubmiſſa, fœtentem & alcalinæ indolis liquorem, ſpiritum acrem alcalinum volatilem, oleum fœtidiſſimum, pauca & mera terra, ſine ullo ſale fixo relicta, profundit (o). Cum ergo Putrefactione, intima fiat corporis reſolutio, ipſiusque ſingulæ partes, a mutuo nexu diſſocientur, ac fere omnes, quæ prius fixæ, volatiles evadant; nulla forte in rerum natura operatio, ſola excepta combuſtione, accuratius loculamenta omnia corporum reſerabit, ac latentem aera volatilium particularum ingenti ſatellitio ſtipatum, felicius evoluet. Quoniam vero cuncta quibus veſcimur, eduliorum genera, ex vegetabili & animali regno deprompta, proindeque Putredini obnoxia ſunt, & aliunde ventriculo immiſſa, ibi ſatis arcte coercentur, tot ſtillantibus ſuccis ſufficienter humeſcunt, & calore hominis ſani 90 graduum foventur; quæ ſola ad concitandam Pu-

(o) Boerhaau. Elem. chem. Tom. 2. pars 1. in Vegetant. proceſſ. 88. pag. 182.

trefactionem desiderari videntur: alimenta in primis viis putrescere, forte non ita infrequens erit; imo & coctionem omnem, levem & incipientem esse Putrefactionem, a vero alienum non est; cum assumpta prius concisa & attrita, in ventriculo calere, ac sensim magis magisque fervere, & intime resolui debeant. Verum hanc Putrefactionis speciem imperfectam & exiguam esse, nec ulterius protrahi, inuicte comprobat mitis & blanda chyli indoles, nec acres alcalinos sales, nec olea foetida exhibens, sed potius in acorem vergens. Ideo autem jam inceptus ad Putredinem tendens ille motus, pedetentim ad intensiorem gradum non evehitur; quia ciborum moleculæ arctissimo compressu non compinguntur, nec sufficienti tempore, in primis viis hospitantur & hærent; sed potius maxime comminutæ & undique dimanantibus rivulis aqueis dilutæ, laxius sibi invicem incumbunt, e ventriculo in varios intestinalis fistulæ tractus, successive devehuntur, tandemque brevi in chylum conversæ, hiantibusque lacteorum osculis absorptæ, sicque ad penitiores corporis recessus effugientes, ulteriori imminenti Putrefactioni subducuntur. Hinc residua in intestinorum extremo, fœx crassior,

jam non ita diluta, ſed ſufficienter madida, compreſſa, compacta, ac calore fota Putreſcit, & invita ingeſtorum varietate, in unam eamdemque ſumme ſordidam & male olentem, acres alcalinos ſales, oleaque fœtidiſſima, chymico igne, ſuggerentem materiam commutatur.

63. Hæc ergo continget Putrefactio tantam aeris copiam proliciens. 1°. Dum vigente calore, ingenti quantitate, alimenta quæcumque ingeruntur; ea enim omnia Putredini obnoxia eſſe, noto notius eſt, hancque certo concipient, ſi ventriculum & inteſtina mole ſua gravantia, eorumdem efficacia ſubigi nequeant. 2°. Dum præſertim ea uberius aſſumuntur, quæ motui huic concipiendo aptiora, qualia ſunt animalium omnium carnes, præprimis aves rapaces aliis animalculis veſcentes, piſces, ova, vegetabilia omnia aromatica & alcaleſcentia, cœpæ, porri, rapæ, ſynapi, allium, naſturtium, cochlearia, &c. 3°. Si ingens in primis viis ferveat calor, quod evincere haud arduum eſt; calorem namque perpetuum habet comitem, & ab eo tanquam a præcipuo motore, exſuſcitatur Putrefactio ad flammigenam quandoque violentiam aſſurgens. 4°. Si prætermodum incitatus

ac vehementior fuerit vitalis motus, quo Putredinem validissime augeri, nemini in arte medica vel leviter versato notum non est, cum ab ipso fervidiorem accendi æstum, assumptorumve particulas potentissime comminui & extenuari, in propatulo sit. 5°. Si nimium torpeat idem ille motus, & ingesta fuerint prædicta alimenta (63. 2°.); tunc quidem a laxis & debilibus visceribus segnius repulsa, diutius stagnantia, & calore sensim rarescentia ac exagitata fervebunt, propriam sequentur indolem, tandemque non tam cito ac in mox allato casu, sed revera & sponte Putrescent. 6°. Denique si aqueus humor, hinc & inde in ventriculi & intestinorum cava, parciori quam par est, rivulo depluat; ut enim rite procedat Putrefactio, definitus tantum requiritur mador, hæcque brevi interrumpitur, si nimia dilutio adsit.

Flatuum causa Duplex, materialis & efficiens.

64. Ex his (a 58. ad 64.) fusius forte exaratis, aerem in intimo ciborum textu absconditum, multifariam elidi posse, liquidum est; hic autem ita erumpens, non sincerus ac impermixtus, talem enim dari merito physici negant (41.), sed

copiosis, volatilibus ac subtilibus, corporum moleculis onustus. Num corpus, certa lege, in partes minimas solutum, priori amissa indole, vere permutari posset in aerem hunc elasticum, qui dein rursum aliis sociatus & concretus, iterum novis corporibus firmitatem tribueret? Conjecturam hanc, instituto constanti rerum omnium ordini parum consonam, suaderet experimentum, quo constat tartarum vitriolatum ex acidi vitrioli & alcali tartari miscela, & inde orta effervescentia aerem uberrime eliminante natum, aperto igne distillatum, copiosissimum flatum maxime elasticum generare, quo vasa ingentia & fortia dissiliunt (*p*). Hæc Physicis ulterius perquirenda relinquimus. Verum hic attenta mente notandum, fluidum illud aereum multiplici ratione (a 58. ad 64) ex assumptorum sinu emissum, vix Flatus parere aptum esse, quamdiu patentibus, nec constrictis, nec laxioribus ventriculo & intestinis, ab exitu non arcetur, sed vegete repulsum libere exhalat. Hinc Flatus a duplici simul concurrente causa, materiali, aere nempe, & efficiente, seu membranei tubi vitio, fere semper spasmodico, nonnum-

(*p*) Boërhaau. Elem. chem. Tomus primus de art. Theor. de aëre pag. 284.

quam

quam tamen in laxitate sito, plerumque sobolescit; quæ ex præfatis (a 58. ad 64.) perspicue eruuntur. Hinc omnia ferme alimenta, sanus homo ut plurimum innoxie ingerit. Interim diffiteri nefas, quandoque tantam esse, ex effervescente, fermentescente aut putrescente cibo, erumpentis aeris ubertatem, ut concludens tubus, licet consueta vi pollens, immaniter & ad crepaturam usque expandatur, sicque dira Flatulenta mala nascantur. Hinc a sola causa materiali, sed violentissima & copiosissima, flatus ortum ducere potest; quod tamen rarum; tuncenim fere semper acrioribus particulis scatens evolutus aer, summam expansionem simulque spasmodicam constrictionem in variis tubi membranei partibus concitat, quod autopsia compertum habetur; nam hæc, partim turgida, partim arctata intestina, in Flatuosorum cadaveribus exhibet. Ex prædictis (a 58. ad 64.) tandem liquido patet, cur in primis viis, frequentior quam alibi Flatuum ortus; huic enim necessario ansam præbere debent atmosphœricus aer quo ventriculus & intestina turgent, assumptorum mora, dissimilis indoles, spontaneæque mutationes, latentem in horum sinu aera exprimentes,

Aeris e ductibus excretoriis eruptio.

65. Verum alium aeris in alimentaria fistula conclusi, memoravimus fontem (50.), hiantia scilicet innumerabilium vasculorum excretoriorum extrema ora. Ex his quidem, in statu naturali, jugi fluore, stillat tantum aqueus liquor blandum & halituosum vaporem efformans: at si ipsi inhærens & confusus aer, peculiari quadam causa excutiatur, aut si in sanguinis sinu latitans extricetur, hucque rapiatur; hunc ita excussum, jam proprio elatere & calore expansum, & exitum valide molientem, vehementer urgebunt ac projicient excretorii ductus, sicque jam præsentis aeris summa increscet. Id autem, licet raro admodum contingere supra evictum fuerit, absolute tamen succedere posse cóncipitur, si ingens in toto corpore ac præprimis in ventriculo & intestinis, vigeat æstus liquidorum moleculas maxima vi a sese invicem dissocians, sicque consepultum aera exprimens: tunc enim qua ratione, aqua rarefacto aeri confusa, simulque cum eo, caloris appositi vi rarescens, in Flatuosum resolvitur halitum, ex eolypila, summa cum violentia erumpentem; haud dispari, tenuis ille liquor quo interna madet

tubi alimentarii facies, ingenti vi primum exagitatus in vasculoso systemate, evoluto ibidem ac rarescente aere turgidus & impulsus, ac exinde ingenti cum impetu huc prosiliens, iterum imo & magis per amplius spatium expanditur, quasi aereus evadit, & hinc & inde coercentibus tunicis vim infert. Quoties igitur, vel ob fervidiorem æstum, vel ob motum putredini proximum, vel ob pressionis inertiam, vel ob aliam quamcumque causam, nativa solvitur & laxatur molecularum sanguinis cohæsio, itaut coercita aerea elementa jam libera, sibi mutuo occurrere queant; aut quoties eadem e coagulato, densato & compacto nimium liquido eliduntur & obviam eunt; toties sopitum prius & quasi extinctum resumunt elaterem, cujus tum calore, tum loci angustia brevi auctioris vi, vel in laxum ac debilem textum cellularem, vel in patentiores excretorios ductus, sibi viam parant. Hanc Flatuum causam admisit & illustravit Halles (*q*): cum enim in descendentem aortæ trun-

(*q*) Hæmastatique ou la Statique des animaux, par M. Etienne Halles, de la Societé Royale des Sciences, Ouvrage traduit de l'Anglois, par M. de Sauvages, Professeur en Médecine à Montpellier. 19 Expérience sur la maniere d'injecter de l'air n°. 4. pag 120. & 121.

cum, cerevisiam gradu sanguini proprio calentem ac spumentem injecisset; notabilem ejusdem copiam in ventriculum & intestina fluxisse comperiit, hujusve turbidioris, atræ & terreæ fœci similis binos pollices, in intestini parte prius elota & ligata invenit; cumque igne iterum excalefacta fuisset, novam assurgentem spumam vidit. Unde conclusit, non tantum flatuosis cibis, aut anomalæ ac depravatæ coctioni tribuendos esse Flatus in ventriculo & intestinis concitatos; sed & etiam a flatuosa succorum huc depluentium diathesi sobolescere posse. Quapropter, ait ille, latens in sanguine aer, ad secretoria organa ferri & amandari potest. Quoniam vero hæc aeris e liquidis nostris extricatio, Flatulentorum affectuum de quibus hic agitur, causa est satis infrequens, sed Flatuosos tumores seu emphysemata sœpius infert; de hac, in alio opere, prolixius tractare, magis consentaneum erit, ubi scilicet de emphysemate quæstionem movebimus.

CAUSÆ QUÆ, AEREM COMPRIMENDO ET ITA DENSANDO, ELASTICUM IPSIUS NISUM ADAUGENT, SICQUE FLATUS MOVENT.

66. Aeris arctior pressio altera est

causa (56. 2.), qua, eadem perstante copia, ipsius accrescit densitas, proindeque expansivus intenditur nisus: quo enim densior est aer, ad eumdem caloris gradum, eo magis elasticas vires acquirit (44.); eo autem densior evadit, quo in minus spatium arctatur; ita arctari nequit, nisi ab adaucto comprimente pondere; compressi igitur aeris densitas, comprimenti ponderi semper proportionalis est. Cum autem aerem in spatium decies & sexies minus vere redigi posse ratum sit, imo & multo magis, ac juxta nonnullos, usque in octingenties minutiora spatia condensari valeat (43); consueto manente viscerum calore, ingens strictiori pressu, vis elastica aeri conciliari poterit. Constringitur autem & arctatur aer, a fistulæ coercentis angustatione, seu ad obicibus libero ipsius trajectui obsistentibus: posito namque repagulo, expeditum aeris iter inhibente, hunc supra & infra coerceri, congeri, densari, validiorem elasticam vim adipisci, ac proinde vehementius in expansionem niti consequens est. Quod quidem ob oculos ponere fas est: si enim aperto cujuspiam animalis abdomine, binis vinculis stringatur intestinum quodcumque; coercitus elasticus aer, cibis confusus,

præcluso libero itinere pressus, dum interim ubertim in loco calido generatur, multo potentiori molimine expansionem ciet, intermedios hinc & inde ligati intestini parietes distendit, ac cum interclusa simulque attrita alimentorum materia, liquidove intestinali, spumescit; unde sic tenditur, calet, rubet, inflammatur intestinum, tuncque vel levi punctura vulneratum, maximo cum impetu & sibilo, prosilientem ac spumidum emittit aera: laxatis vero vinculis & ita restituta commoda aeris via, brevi placantur hæc omnia cessantque: & hæc sunt phœnomena percelebris experimenti, quod primus, in duodeni parte stillantem biliosum liquorem pancreaticumue excipiente tentavit Schuylius, cujusque velut irrefragabili subsidio, utriusque liquidi effervescentiam evincere gloriabantur Sylviani systematis assertores. Quam tamen vanum ac futile sit hinc depromptum argumentum, ex eo elucescit, quod, quæcumque ligetur intestinalis fistulæ pars, laudatum succedat ex æquo experimentum.

67. Multiplex autem ac varius esse potest obex intestina angustans, & conclusi aeris transitui officiens, externa scilicet abdominis compressio, intestino-

rum intra annulos abdominales, umbilicum, vel vulneris labia coarctatio; tumor quicumque inflammatorius, scirrhosus, strumosus, tunicatus, imo & flatuosus (18.), in eorumdem cavo vel tunicis variis enatus, aut ea extus premens; membranarum durities aut occallatio, variis ex causis orta, & certam fistulæ intestinalis partem obsidens; coacervata & indurata fæx; densa vermium congeries; lentus, tenax & mucosus humor, copiose aggestus, valvulis pertinaciter adhærens, & intestina infarciens, sicque non solum aeris iter occludens, sed & eumdem textu suo irretiens & condensans, unde potentiorem vim elasticam nactus aer inviscantem mucum expansione sua in bullulas attollit; alia tandem quæcumque materia crassior, quasi in acervum collecta, tubum obturare, aerique viam præcludere potis est. His causis addi debent cruda, ponderosa, aut uberiori copia sumpta alimenta, quæ in ventriculum & intestina decidendo, non tantum viam angustant, sed & ipsummet elasticum aerem immediate comprimunt, qui idcirco multo violentiorem nisum edit; quemadmodum in macrocosmo, ab aeris inter binas nubes compressione, ventum oriri observamus. Hinc virgines,

quibus juncea corporis venuſtas cordi eſt, & quæ idcirco præcordia arctiſſime premunt, hernioſi, ileoſi, ſicci, melancholici, ſenio marceſcentes & indurati, phlegmatici, pueruli, guloſi & helluones, Flatibus perſœpe torqueri ſolent.

Spaſmodica conſtrictio, frequentiſſima denſitatis aeris, proindeque Flatuum cauſa.

68. Verum ex variis obicibus, quibus liber præpeditur aeris tranſitus, ſæpiſſime occurrit ſpaſmodica conſtrictio, non quidem univerſum tubi alimentarii tractum, ſed quaſdam tantum ipſius partes coarctans; & hæc ut ſolemnior Flatuum cauſa ſpectanda. Eſt autem ſpaſmodica ſtrictura, ea villorum omnium carneorum & membraneorum contractio, quæ, modum plane excedens & violenta, actionum læſionem infert, ac vel permanens eſt & ſpaſmus, vel alterne repetens deſinenſque, & motus ſpaſmodicus vocatur. Singulæ tubi membraneo-carnei partes ſpaſmodicæ huic conſtrictioni obnoxiæ ſunt; eadem tamen præcipue obſidentur gulæ ſphincter, utrumque ventriculi orificium, coli valvula, ſphincter ani, quæ uberiori villorum carneorum numero gaudent, & in ſtatu ſano maxi-

me

me arctata; jejunum & ileum, flexuræ tandem duodeni & coli, tum majoris angustiæ ratione, tum ob validiorem inde coercitæ & impetentis materiæ nisum. Nec tibi commentitius aut precario huc traductus videatur spasmus; hujus enim frequentem ac ferme assiduam præsentiam arguunt & demonstrant ingens doloris aliorumque symptomatum acerbitas; violenta Flatuum restrictio, a nullis aliis claustris, ut plurimum præstanda; uberrimus eorumdem in epilepticis, convulsis, hypochondriacis, hystericis & colicis exortus; infelix admodum stimulantium fere omnium successus; faustus lenientium & anodynorum effectus; tandemque opii, inter carminantia omnia, principatus. Cuilibet vero perspicuum est, inter partes spasmo contractas, impeditum ac restrictum aerem comprimi, varios densitatis gradus acquirere, motu, calore, propria vi, in expansionem cieri; ita in objectos mediæ partis spasmi expertis sed paulo nimium tensæ parietes, summa vi impetere, ac proinde eos moleste, dolorifice & violenter distendere: & hæc est vera mechanica ratio, qua plerumque colica Flatulenta movetur, sicut & multiplex alius ejusdem generis affectus. Hinc concludere proclive est,

persœpe a spasmis solis, nulla alia, præter solitum aeris penu, materia præsente, Flatus sobolescere.

69. Dum autem spasmodicam hanc stricturam Flatuum uberrimam matrem, non canalem totum, at quædam tantum ipsius loca augustare asseruimus; id non solum sana suggessit ratio, ut superius evictum est, (38) sed & ipsa docuit autopsia anatomica, qua, juxta complurium sed præsertim Wepferi observationem (r), constitit intestina colica defunctorum, sicut & animalium quibus corrosiva aut acriora cathartica intrusa fuerant, non in tota sua longitudine, sed in diversis locis sic constricta fuisse, ut Flatus vel contenta inter binas contractiones intermedia ac coercita, vix ulterius propelli potuerint. Spasmus autem modo fixus hæret in una parte, modo in pluribus partibus, sœpius ab una in aliam migrans vagatur, aeremque successive repellit; quod ultimum cernere licuit helmontio (s) in puero ingenti umbilicali hernia laborante, cujusve intestina sub pellucida pellicula spectare poterat; quoties nova tormina patieba-

(r) Histor. cicut. aquat. pag. 91.
(s) In capitulo de Flatibus n°. 38. pag. 339. 340 & de Lithiasi cap. 9 n°. 132. pag. 734.

tur miser ille puer, ilei spectaculum præbebat introspicienti helmontio, adeo ut intestinum istud, tanquam sibi obambulando ebulliisset, contorqueri & convelli videretur. In eodem ægrotante, tempore a doloribus vacuo, successivum alium motum perlustravit, quo se intestina exercebant, & ad anum usque propellebant excrementum simul cum Flatu; sed hic, ut ipse ait, retrocedebat illico ad pristinum locum. Vagum hunc & partialem spasmum, consimilemque Flatuum expressionem & collectionem ulterius evincit & quasi oculis subjicit, huc in subsidium accedens comparativa anatome. Narrat enim Alexander Stuart (t) se cuniculi, intacto thorace, abdomen aperuisse, in quo plurimas passim portiones intestinorum contractas & pallidas vidit, dum aliæ passim interjectæ portiones aere & alimentis tumidæ erant; aer inter duas partes contractas, in loco distenso, diu quasi in bilance vaccillans, leni motu, quasi undulatim, nunc sursum nunc deorsum ferebatur; tandemque contractionis inferioris partem proximam, vel si brevior fuit, totam vincens aer, se insinuabat lente in locum ante contractum: tum

(t) Differt. de Mot. Muscul. mechan. art. de mot. intestin.

portio ab illo relicta detumescens contrahebatur & pallescebat ; e contra portio ab aere & alimentis tunc occupata tumebat. His ergo, in vivente cultri anatomici acie secto animali, peractis observationibus stat comprobatum, spasmodicam & violentam intestinorum constrictionem, inaequaliter & successive varias hujusce tubi partes obsidere, aeremque sic ab una repulsum, in aliam migrare. Plura inferius adjungentur, quae de spasmo flatulento mox dicta firmabunt, nunc ejusdem causas sedulo perscrutari congruit.

Constrictionis Spasmodico-Flatulentae causae.

70. Haec tonica, contractilis, muniisque obeundis compar vis, quam in statu naturali, ventriculus & intestina, sicut & reliquae corporis partes obtinent, ab actione cerebri & generis neruei, seu a legitima spirituosi liquidi segregatione ac distributione, haud dubie proficiscitur. Spasmodica igitur, seu praetermodum excedens constrictio, utriusque hujus actionis majorem intensionem, necessario supponit. Ea ergo, tubi alimentarii spasmos vel spasmodicos motus inferre apta sunt, quae liquidum spirituosum, in ejusdem nervos uberius aut intensius urgent,

Id autem præſtant, quæ cerebrum vehementer commovent; quæ in eodem, æquabilem ſanguinis commeatum perturbant; quæ tandem ſtamina nervea, potiſſimum primis viis conſentientia, aut proſpicientia, aut aptius adhuc ipſis inſperſa, nimium vellicant & ſuccutiunt.

71. Præternaturales ac violentas in cerebro motiones concitant, adeoque inde prodeuns univerſum ſyſtema nerveum quatiunt & exagitant vehementia omnia animi-pathemata, ea præprimis quæ quidquam effrænati & indomiti conjunctum habent, iracundia, indignatio, furor, repentinus terror, anxietates, ſollicitudines, zelotipia, veſanus amor, vividæ ideæ amatoriæ, flagrans rei venereæ appetitus, litterarum ac ſcientiarum acrius & protractius ſtudium, elucubrationes; quæ quidem omnia, uberiorem aut velociorem ſpirituoſi liquidi in nerveos ductus, affluxum promovendo, ad ſpaſmodicam in primis viis conſtrictionem accerſendam, proindeque ad Flatulentos affectus pariendos, maxima pollent energia, præſertim ſi his diætæ errores, & alimenta pravæ indolis, ſociam junxerint operam.

72. Æquabilem ſanguinis per cerebri vaſa circuitum pervertunt, ſicque non-

nullas arteriolas leviter infarciunt, earumdem inordinatam promovent vibrationem, inæqualiter cerebrum premunt, & uberiorem in nonnullos nervos spirituosi succi derivationem cient; quæ sanguinem aut copiosiorem, aut æstuantem & nimio impetu raptum, aut minus comminutum, sicciorem ac viscidiorem, in cerebrum urgent; vel quæ hujus vascula laxant, comprimunt, aut rigidiora reddunt. Hinc plethora, ejusdem causæ omnes, impeditus per alias partes, superflui sanguinis fluxus vel exitus, hujus repulsio ad superiora; vehementes animi contentiones, immodica exercitia, quæ liquidis æstum nimium conciliant; quæ horum mobiliora & fluxiliora dissipant; cerebri tumores, anevrismata, varices, hinc tam sœpe pendens epilepsia; spasmos primarum viarum, Flatusque inducere valent. Hinc melancholici, atrabilarii, hypochondriaci, quibus sicca, crassa & velut adusta sanguinis diathesis, partim hac ratione, partim vero nervorum siccitate, tensione ac vibratilitate, spasmis vagis, Flatibusque excruciantur.

73. Stamina nervea, extra cerebrum, vellicantur & succutiuntur, si maxime tensa & sensilia sint; vel si valida sit in eadem irruentis materiæ actio; licet inter-

dum incognitus irritationis modus, plura præſtet quam ejuſdem intenſio. Hæc generis nervei tenſio vel ſenſibilitas, in ſpaſmodicam diatheſim tantopere proclivis, nonnunquam nativa ac hæreditaria eſt, perſœpe a cauſis ſuperius enumeratis (71. 72.), ab iis omnibus quæ corpus exſiccant, ſeroſum laticem abſumunt, liquida incraſſant, acuunt, acriora reddunt, inæqualiter commovent, aliiſque mox recenſendis naſcitur; ac paſſioni hyſtericæ & hypochondriacæ adeo individua & familiaris eſt, ut utriuſque hujus indole facieque conſimilis affectionis genuinam eſſentiam ponat. Hanc affinitatem evincunt, peculiaris utriuſque ſubjectorum natura; nota cauſarum procatarticarum efficacia; perſpectus paroxyſmorum ritus; expenſa ſymptomata omnia pleraque ſpaſmodica ac convulſiva, non unico loco affixa, ſed varias partes promiſcue obſidentia; cadaverum apertio nulla ſœpe prægreſſi morbi veſtigia exhibens; tandemque ſedulo obſervata juvantia & lædentia. Ne mireris igitur, viros hypochondriacos, ac mulieres hyſtericas, quaſi perpetuo Flatibus turgere.

74. Vel ab externis vel ab internis cauſis ſuccutitur ac commovetur ſyſtema

nerveum. Externæ in solidas partes, vim suam primum ac potissimum exerunt, easdem premendo, stringendo, stimulando, lacessendo, pungendo, dissolvendo; hinc sinapismi, vesicatoria, dolorem cientia; intempestivæ refrigerationes; partium quarumcumque, præsertim nervearum, tendinearum & membranearum læsiones, vulnera, puncturæ; animalium ictus & morsus, spasmodicam ac persœpe rigore stipatam constrictionem, villis omnibus sensibilibus impertiuntur. Verum insurget hic quispiam, numquid causa corporis tantum exteriora attingens, vim suam alte infigere, ac ventriculo & intestinis spasmum inferre potis est? Dubium illud soluit comperta propaginum omnium nervearum communio, ratione cujus concepta impressio, in alios etiam dissitos nervos ascendens, quasi reflectitur, aut ad cerebrum usque propagatur. Facilius igitur spasmodice constringentur ventriculus & intestina, si hi nervi succutiantur, qui cum pari vago, intercostali, plexibusque mesentericis, majorem ac proximiorem fovent consensionem. Hinc deambulatio nudis pedibus, supra pavimentum frigidum peracta, nocivam inducens fibrillis nerveis crispaturam, brevi ad mesentericum

plexum, consensus ratione, traductam, & abdominis vulnera, flatulentos sœpissime spasmos pariunt. Hinc eumdem effectum, cito & expedite præstat nonnunquam complexus venereus, aut præmaturus, aut immodicus, aut frequentior. Hoc enim aphrodisiaco œstro, paruæ epilepsiæ nomine haud inepte nuncupato percitis, tremula, quasi convulsiva, ac obsuavissima, ideoque reliquos sensus obnubilante titillatione, totum concutitur nerueum genus, universumque corpus, ad imas usque medullas, jucunde colliquescit. Cum autem partes genitales, a sacris & lumbaribus mutuentur nervos, cum intercostali plexubusque mesentericis, proxime consentientes (*u*); in hos illico transferetur violentior hæc amatoria succussio, facilique negotio spasmus suborietur Flatulentus : quod ab Hippocrate observatum & conscriptum legimus (*x*). *Quibusdam, ubi venere utuntur, venter inflatur, quod damnagoræ accidit, quibusdam vero in hoc strepitus; arcesilao vero etiam intumescebat.* Et paulo post sic loquitur divinus senex (*y*). *Postquam*

(*u*) Winslou exposit. Anatomiq Traité du bas ventre n° 585. & 623.

(*x*) Lib. 6. de morb. popular. sect. 3. pag. 170 Litt. C. & D. class. 1. edit. Mercurial.

(*y*) Ibid pag. 171. Litt. B.

venere uti inceperint aut hircire, sanguis ipsis e naribus erumpit, in accessibus alii quidem strepitum edunt, velut arsecilaus. Alii vero accessuri, horridi fiunt ac rugosi. Alii postquam accesserint, ventre inflantur velut damnagoras.

75. Nerueum systema prætermodum movent & quatiunt internæ causæ, nimiam ipsi distensionem aut irritationem inferendo. Liquida mole, pondere, impetu, concludentia vasa distendunt; acrimonia pungunt & irritant. Quæ igitur plethoram, humorum immeabilitatem, horum motum nimium & æstum, acrimoniam acidam, alkalinam, muriaticam, oleosam inducere apta; ad nervea stamina succutienda, comparata sunt, quorum quidem inquisitioni inhærere non licet. Hinc sœpenumero spasmodico-flatulenti motus enascuntur ex arthritide, scabie, maculis, pustulis, aliisque cutaneis affectibus ab acri & salina humorum dyscrasia ortis, & interiora versus repulsis; cum enim maximus inter spiracula cutis & colatorium intestinale, consensus intercedat hippocrati jamdudum notus & ita expressus, *cutis densitas alui laxitas, alui densitas, cutis laxitas*; tunc ad intestina commode refluit cohibitus acris ille humor, ibique nerveas

fibrillas fodicans, ſpaſmos Flatuſque acceſſit.

76. Jam in horum indagationem ſponte ducimur, quæ deglutitionis aut injectionis via, in ventriculum & inteſtina prolabuntur aut truduntur, ibique topice agendo, ſi fas ſit ita loqui, nerveas fibrillas vellicant, pungunt, ſicque conſtrictonem ſpaſmodicam Flatuſque generant. Talia ſunt auſtera, aſpera, adſtringentia; acria efferveſcentia (60), acida, alcalina; fermenteſcibilia (61.) e quibus erumpit ſpiritus ille ſylveſtris, infenſa acredine moleſtiſſime mordens; putreſcentia (62.), quorum particulæ ferme omnes, volatilem acrem alcalinam indolem nactæ, perniciſſimo motu raptæ, nervulos inteſtinales laceſſere ac ſtimulare non deſinunt; liquores ſpirituoſi & ardentes; quorumcumque alimentorum ingurgitatio nimia; inde pronatæ ſordes & cruditates acidæ, bilioſæ, putridæ, acres; acidum arrodens, cujus miſcela in puerili ætate, tam ſæpe vireſcunt fœces; vermes, aut vivi hinc & inde repentantes, & inteſtina rodentes, pungentes, aut mortui putridum vaporem generi nerveo ſumme noxium ſpargentes; piperata ſalita, aromatibus condita; cathartica & emetica draſtica, ac cauſticæ indolis,

esula, euphorbium, colocynthis, elaterium &c.; improvidus stibiatorum, mercurialium & aloeticorum usus; venena omnia corrosiva, mercurius sublimatus, arsenicum, praecipitata mercurii, aqua fortis &c. quorum tam horrenda ac deleteria vis, ut ab eorum attactu, spasmodica statim, Flatulenta, ingenti anxietate & dolore intolerabili stipata, ac crepaturam minans, ventris turgescentia nascatur; ea tandem omnia ingesta, vel per anum infusa, quae stimulum quemcumque in sinu suo recondunt: innumeris enim & inconcussis Vepferi (z) experimentis in aprico est, intestina a stimulante non attingi, quin cito in ipsa parte lacessita, vel etiam in proxima spastice constringantur & Flatibus in vicinia intumescant. Spasticam vero hanc stricturam suscipere, tantopere promptus est intestinalis tubus, ut minima olei vitrioli guttula viventis adhuc animalculi intestino extus admota, illico in hac parte sic contrahatur intestinum, ac si ipsi injectum fuisset vinculum, & etiam post mortem vigente adhuc peristaltico motu, acria intestinis applicata, non tantum irritatae parti, ac saepe simul vicinis pluribus locis, tam insignem spasmodicam constric-

(z) Histor. cicut. aquat. pag. 89.

tionem inferant, quæ contentis in alimentaria fistula transitum negat. Cautus ergo debet esse, in hisce morbis, quorumcumque purgantium usus; hæc enim quadam semper acrimonia vim suam exerunt ac persæpe Flatus aut concitant, aut exasperant. Cujus rei præclarum præbet exemplum Hippocrates anglus, in Historia pauperculæ hydropicæ sic loquens (*a*): *secundo notatu dignum erat, quod curatione fere absoluta, si quando vapores a catharticis commoti tumultuarentur, venter maxime versus superiora intumescebat, tanquam novo aquarum proventu denuo repletus foret, quod tamen fieri non posse sciebam, cum ita parce bibisset; ac proinde tumorem illum a Flatibus quos peperit ataxia a catharticis provocata, tantum oriri: quod meum judicium eventus comprobavit. Licet enim vel congium eo Die quo purgagabatur ejecisset, mox tamen, cepit intumescere, nec remittebat tumor ille ad guttur usque assurgens & dyspnœa affligens, donec corpus a purgantium molestia liberatum, statum naturalem ac quietem reciperet, quo facto & tumor & cœtera symptomata derepente evanescebant, donec a succedente catharsi, de novo irritarentur.*

(*a*) Thom. Sydenham opera, Tractat. de hyprope, pag. 342 Tom. I.

Si igitur ſub hydropis finem, quo laxatur & infringitur ſolidorum tonus, Flatulenta a catharticis mota fuerit turgeſcentia, hæc, ubi nulla toni remiſſio adeſt, ab eorumdem uſu metuenda magis.

77. Varia autem hæc (76.) recenſita, pravos ſuos inprimis edere effectus, imo & quæ ex ſe innoxia ſunt, a blanda ſua natura deſciſſere, & alienam, nocentem ac virulentam induere, exploratum eſt; ubi diutius ſtagnant & hærent. Quæ igitur tubi alimentarii partes, ingeſta magis retinent; quæ in medio excavatæ, amplæ, in extremis arctæ ſunt; quæ inflexæ, arcuatæ, anguſtatæ; quæ numeroſioribus majoribuſque valvulis inſtructæ; facilius multo ac frequentius, ſpaſmodica conſtrictione obſidentur. Ventriculus ergo; duodenum reliqua inteſtina amplitudine ſuperans, ſaltem in ſuperiori ſua parte, fundo & flexura aeri in cadaveribus vix pervia munitum, multiplici glandularum prole ditatum, duplicis bilioſi ſcilicet & pancreatici liquoris jugi fluore intus irroratum, meſenterio non annexum, lacteis proprie dictis carens, & idcirco non immerito parvus alter ac ſuccenturiatus ventriculus, vocatum (*b*); pars

(*b*) Frider Hoffman. Diſſertat. Phyſ. Med. XIV de duodeno plurium morborum ſede.

ilei extrema in valvulam coli desinens; duplex coli flexura, & extremum recti, potissimam hac ratione, spasmis Flatulentis sedem præbent: verum nulla hujus membraneæ fistulæ pars, ab his prorsus immunis perstat.

78. Quo magis arescunt in humano corpore canales, eo magis arctatur eorumdem diameter; quo minus emollitæ nerveæ propagines, eo plus vibratiles evadunt. Si ergo plurium causarum jam recensitarum (a 70, ad 78.) efficacia, morbis prægressis, diarrhæa nempe biliosa, dysenteria, cholera-morbo, victu sicco & ardente, exhausta per profusiores evacuationes, serosi liquidi scaturigine, maxima sit, in intestinali tubo, humidi emollientis & lubricantis inopia; sicque præ siccitate, marcescant & corrugentur ipsius tunicæ, nervulique jam non humescentes, intensiorem adipiscantur tensionem ac vibratilitatem; altera subrepet spasmodicæ constrictionis species, duplicis jam prolatæ causæ genuina proles, qua inæqualiter arctata intestinalis fistula, coercitis, densatis & expansis Flatibus, sæpissime tumebit, nec non pertinacem fovebit alui siccitatem. Quod Hippocratem non latuisse liquet, cum hæc dixerit (c) *aluum non subducen-*

(c) Lib. de Loc. in homine pag. 17. D. & 18. A.

tia, sed sistentia sunt, quæ Flatum exhibent, humida enim dum resiccantur, Flatum faciunt, & quæ adstringunt, & quæ a calore compacta sunt, & friabilia, & sicca. Non ergo stupendum sed potius pronum erit, ab intestinalis fistulæ ariditate, ejusdem indolis morbum hydropem siccum pronasci, qui idcirco, juxta sapientissimi aretæi memorandam inferius observationem, in ætate senili frequens.

79. Hic insuper, summa cum diligentia, connotari meretur frequentissimum aliud spasmi genus, plethoricum aut sanguineum nuncupatum, sagacibus practicis (*d*) haud prætervisum, a sanguine in intestinalia vascula uberius exundante, eaque pondere gravante, ac mole expandente ortum. Hæc enim ita expandi ac turgere nequeunt, quin fistulam intestinalem, quam cinguli instar ambiunt, necessario stringant. Regurgitat autem sanguis in intestinalia vascula, si in ultimis venæportæ propaginibus, aliquantulum lentescat; tunc enim non ea proportione, per meseraicas venas revehitur, qua per congeneres arterias defertur; si ipsi uberius affluenti, consuetus per hæmorrhoides aut uterina colatoria, exitus denegetur; tunc namque remeantem san-

(*d*) Stahl, Frider. Hoffman. Boerhaau. &c.

guinem,

guinem, in arteriarum meseraicarum extremis cumulari, ibique stagnare necessum est. His adde tunicas intestinales, a congesto sanguine tensas, irritationi cuicumque suscipiendæ aptiores evadere, proindeque maxime proritari earumdem vim contractilem. Hinc dilucidum est, quare fluxus hæmorrhoidalis critici ac salubris, menstruæque purgationis imminutio, aut totalis cohibitio; viscerum abdominis, sed præsertim hepatis obstructio, Flatuum proventui tantopere faveant.

Frigus altera Densitatis aeris ac flatuum causa.

80. Aerem, alio quocumque corpore citius frigore densari, jam superius notatum (44.); hac ergo ratione, frigido potui assumptis præsertim superingesto, varii Flatulenti affectus, dolores, tormina, superveniunt; tunc enim particulæ aereæ in potione & in ventriculo aut intestinis contentæ, statim a frigore, in minora volumina contrahuntur, paulatim vero a circumjacentium viscerum calore, expulso frigore vehementius rarefieri, quaquaversum expandi, & in membraneos tubi parietes, summo nisu, arietare debent. Quod a Joanne-Baptista

Mazino (*e*) docte annotatum huc transtulimus.

81. Forte & ipsamet aeris in alimentis conclusi densitas, quandoque Flatibus ansam præbet. Quamvis enim aer ibidem reconditus, alia plerumque aerea elementa non attingat nec colligatur, proindeque solitam vim suam elasticam exerere impar sit; verumtamen quemadmodum aqua gelu concrescens, aereas particulas exprimit & adunat, hincque mox bullas elasticas format, quibus debetur glaciei raritas; nonne & alia plura corpora, quæ prius fluxilia aut mollia erant, concrescendo seu intimiori particularum suarum adunatione, aerem in iisdem solitarie latentem excutere, unire ac bullatim in textu suo colligere poterunt. Quo igitur strictius compressæ ac densatæ sunt in nonnullis cibis aereæ bullulæ, eo majori vi extricantur, restituuntur ac elaterium suum excercent. Adverte id tantum de quadam aeris portione intelligendum esse; omnem enim aerem in corporis sinu delitescentem, ita in bullas colligi posse, verosimile non videtur. Interim causam hanc, tanquam probabili solum conjectura innixam, minusve adhuc explora-

(*e*) Morbor. Mechanic. dissert. 3. paragr. 29. pag. 54.

tam accipe. Inde vero, ſaltem majori cum perſpicuitate liquebit, quare ingeſta glacies, ſœviſſima flatulenta ſymptomata promoveat.

Calor fervidior elaſticum aeris niſum intendit, ſicque flatus movet.

82: Nimiæ aeris, in tubo alimentario, copiæ & denſitatis cauſas, attentis luſtravimus oculis. Cum autem intenſior vitalis noſter calor alia ſit cauſa, qua elaſticus & expanſivus aeris niſus increſcit (44), quæve proinde Flatus exſuſcitare potis eſt, undenam hæc caloris intenſio, in corpore noſtro, repetenda ſit, indagare jubet inſtituti operis ratio. Sanior autem Phyſica docet, calorem ſeu majorem ignis collectionem & motum, mutuo ac reciproco corporum attritui deberi; eo validiorem concitari, quo duriora ac rigidiora ſunt corpora, quæ conteruntur; quo eorumdem appreſſio inter ſe major, & præcipue quo velocior ac frequentior horum agitatio; ab interterpoſitis fluidis, tardiorem eſſe hunc ignis ortum; ſola percuſſione, ſolo itu & reditu elaſticorum, ſimplici ictu, ignem non naſci quidem, ſed moveri & colligi; ea multo magis caleſcere corpora, quo-

rum pori adeo exigui ſunt, & ſuperficies ita ad ſe mutuo congruunt, ut nihil omnino, niſi ſincerus ignis ab iiſdem admitti queat; item & ea quæ pluribus igniculis redundant; tandemque ſæpe maximum calorem, a fermentatione, putrefactione, efferveſcentia & variorum corporum miſcela oriri. Validior igitur in alimentario ductu fervebit æſtus, quo ipſemet denſior, rigidior, ſiccior; quo vehementius irritabitur, violentius contrahetur, & contentæ materiæ, fortius ac velocius apprimetur; quo magis arctata vaſa, ex quibus compingitur, ſimulque denſior in eadem advectus liquor, validior ipſius a corde propulſio, reſiſtentiæque circa vaſorum fines, majores. Tunc enim immaniorem partium omnium ſolidarum & fluidarum, fiſtulæ alimentariæ & concluſæ materiei, inter ſe attritum fieri neceſſum. Hinc inflammatum abdomen portentoſe intumeſcere, non ita ſtupendum; hæc enim turgeſcentia, non tantum vaſculorum ab impacto ſanguine expanſioni, ſed & ingenti ob caloris incrementum, nato interni aeris elateri, adſcribenda. Intenſior præterea, in canale alimentario æſtuabit calor, ſi ipſius vigente periſtalſi, dura, rigida, tenacia, elaſtica, aeria, ſpirituoſa, ſulphurea, in-

flammabilia, ad alcoholis naturam accedentia, effervescentia, fermentescentia, putrescentia ingerantur; aut si simul ea hauriantur, quorum miscela calorem generari, ex Chymicis novimus, ut alcohol cum aqua cujus admixtu notabiliter incalescit (*f*); acetum stillatitium & oleum terebinthinæ (*g*); acetum & alcohol (*h*); oleum Tartari & oleum terebinthinæ (*i*); alcohol & sal Tartari (*l*); aquam & sal Tartari (*m*); acetum & corallia; (*n*): plura hic recensere fastidiosum esset. Hæc autem ultima rarissime sumuntur, ac fere nunquam flatulentos promovent affectus.

83. Id notatu dignum occurrit, fervidiorem in infantibus ardere calorem, utpote nonnunquam 94. graduum, ut diligentissimus observavit Fahrenheit: quod quidem jam dictis, majori ex parte, videbitur adversum, cum infantile corpus laxius, humidius ac debilius sit: verum hujus phœnomeni Mechanicam suppeditant rationem, vasculosi syste-

(*f*) Boerhaau. Elem. Chem. pars altera de art. Theor. de igne experim. 2. Tom. 1 pag. 197.
(*g*) Ibid. Exper. 9. pag. 200.
(*h*) Ibid. Exper. 10. pag. ead.
(*i*) Ibid. Exper. 11.
(*l*) Ibid. Exper. 14. pag. 201.
(*m*) Ibid Exper. 15.
(*n*) Halles Statiq. des Végét. pag. 353.

matis, in puerili ætate, brevitas; uberior humorum copia; citior eorumdem ad cordis thalamos reditus; celerior tandem ac frequentior cordis & arteriarum vibratio; calorem enim non tantum fortiori corporum collisioni, sed & magis adhuc velociori & frequentiori eorumdem agitationi proportionalem esse, compertum est. Iisdem ferme rationum momentis impulsi, cum pitcarne (o), existimamus, fœminas licet humidiores, viris tamen generatim calidiores esse; cum enim ut plurimum corpore sint minus procero, in his angustius breviusque, & ideo cordi proximius est valculosum omne systema, proindeque major in humorum reditu, in cordis & arteriarum oscillatoria undulatione, velocitas ac frequentia. Sed data hac majori velocitate, sanguinis motum increscere notum est, pro ipsius molis augmento; uberiorem autem, respectu magnitudinis, in muliebri quam in masculino corpore, sanguinis copiam foveri, fere nullus ambigit. Major ergo & præprimis celerior, in illo, circumacti sanguinis motus, proindeque fœminas flagrantiori æstu intus exuri; quotidiana non tantum experientia, sed &

(o) Archibald. pitcarn. oper. omnia Med. Element. Med. Math. Lib. 1, cap. 3. pag. 11.

Physico-Mechanicis Legibus inconcussum stat. Infantes igitur & mulieres, Flatulentis affectibus ita subjacere mirum non est.

84. Interim tamen, quamvis ob succorum redundantiam, majoremve vitalium motuum frequentiam, in fœminino, ut & in infantili corpore intendendus sit calor; hunc quandoque debiliorem esse non diffitendum, propter laxiorem ac infirmiorem solidorum compagem, & aquosiorem liquidorum diathesim. Quamobrem certam ibi & perpetuam non licet ponere Legem, & modo major, modo minor est in muliere aut in puero calor, pro diversa causarum hunc augentium vel deprimentium energia. Constat autem infinitis experimentis, aerem a calore, aliis quibuscumque notis corporibus, promptius magisque expandi ac rarescere, tantamque esse hanc dilatationem, ut nondum mensura ipsius inveniri potuerit. Quoties ergo causarum expositarum (82) efficacia, intendetur in alimentario ductu calor, toties summopere increscet inibi contenti aeris expansivus nisus, caloris augmento examussim respondens, semperque eo magis gliscens, quo aer compressu fuerit densior. Calor autem (p)

(p) Prob. 85. Herman. Phoron.

est ut impressiones particularum corporis calidi in quopiam objecto corpore calorem excipiente; hæ impressiones sunt in ratione composita ex duplicata celeritatum particularum calidarum, & simpla densitatum earumdem. Si ergo magnopere invalescant hæ omnes causæ, aeris scilicet densitas, ejusdem copia, partium omnium calidarum ambientium densitas, tandemque præcipue earumdem velocitas, cujus in hac computatione, quadratum assumendum est; portentosa inde enascetur aeris expansio, immanem coercenti tubo vim inferens. Nec obtrudat quisquam, jam rarefactum aerem minori vi pollere; non enim de aere jam expanso, nec in ampliorem dilatationem nitente, sed de aeris actuali in expansionem molimine hic agitur, cujus, ex mox recensitis, si calculus exacte subduci possit, totale momentum habebitur. Hic tandem advertendum, ab intenso calore, Flatus facile exoriri posse, adeo compertum esse, ut perspicuam hanc veritatem non diffiteatur ipse galenus, licet passim in amplis operibus suis, nativi caloris imbecillitati Flatuum genesim adscribere nitatur; hæc enim apud ipsum legere est (q): *Quod si exigua quæpiam circa*

(q) Lib. 3 de Symptom. cauf fol. 25. D class. 3.

concoctionem,

concoctionem, eorum sit actio, tum ciborum natura vel medii temperamenti vel frigidioris, acidi ructus fiunt; sin calidiore temperie sint; aut etiam natura Flatuosi, ventriculus halituoso impletur spiritu. Et alibi (r) refrigerantia auxilia suadet, tanquam apta *intemperiei calidæ refrigerandæ, & ventosi Flatus allationi repellendæ ac retundendæ.*

CAUSÆ QUÆ TUBI ALIMENTARII RESISTENTIAM DEPRIMUNT, ET ITA FLATIBUS ANSAM PRÆBENT.

85. Intensioris aeris nisus causas, diligenti huc usque scrutinio, expiscati sumus; superest ut eæ inquirantur, quæ ductum alimentarium debilitant, ipsiusque robur & resistentiam minuunt. Languent autem hujus canalis vires, si consuetus ejusdem infringatur tonus, sicque remittatur motus ille constrictorius, in statu sano summe vigens (52), quo omnia in ipsius parietes impetentia repellit. Hæc toni remissio, tunicarum ex quibus componitur tubus, laxitatem supponit, quæ oritur à villorum & canaliculorum debilitate, & a liquidi hos alluentis inertia. Fibrarum vasorumque

(r) Lib. 2. de Compos Pharmac. secund. Loc. fol. 135 G class. 5.

debilitas, frigidis & cachecticis congenita, quiescentibus, fœminis, infantibus, junioribus, crescentibus propria (s); a pinguium, oleosorum, aqueorum, tenacium, viscidorum, lacticiniorum, offarum, pulticularum immodico usu; liberaliori aquæ haustu; vita sedentaria, nimiaque alimenti cujuscumque ingurgitatione infertur: his enim prætermodum emolliri, laxari, gravari, elongari, proindeque debilitari alimentariæ fistulæ fibras, luculentum est. Atrocibus diutiusque perseverantibus spasmis, hanc intestinorum flacciditatem sæpissime succedere, docet experientia, firmatque ratio, quibus constat nimia aut frequentius recurrente tensione, ex quacumque causa, villi tonum tandem infringi, ita ut cessante causa tensionis effectrice, laxior & longior evadat, quam aliter extitisset. Appellentis liquidi inertia, ab ipsius minuta copia, fluiditate aquosa aucta & debiliori vi urgente pendet (t). Si ergo in ventriculum & intestina, arteriosus sanguis & liquidum nerveum, vel parciori rivulo, vel nimis effœta, vappida, aquosa, aut tandem

(s) Boerhaav. Aphor. de Cognoscend. & Curand. morb. sect. 30.

(t) Id. Ibid. Sect. 43.

debilius confluant; consuetum tonum inibi fatiscere, proindeque peristalticum seu constrictorium motum languere consequens est. Hinc perspicuum est, quare diarrhææ diuturniori, longiori febri intermittenti, paralyticis insultibus, cachexiæ, hydropi, immani sanguinis per hæmorrhoides, abortum, partum, lochia, menses, vulnera, profusioni; morbo cuicumque vires adimenti, sanguinem depauperanti, ac spirituosum liquidum exhaurienti; presso pede superveniant tubi alimentarii atonia, Flatulentique affectus: qui quidem citius consurgunt, si sic fractis viribus accesserit intemperantia; quod his verbis annotavit Galenus (u): *Ex crudis namque humoribus, qui a morbis immodice se satiant, Flatuosi ac toto corpoirs habitu turgidi redduntur.* Hinc etiam liquido patet, cur in fine morborum, persœpe exurgant Flatulentæ abdominis distensiones, quæ extremum virium lapsum indicant, instantemque mortem prænunciant; quod novit Hippocrates, & Nicolao filio ex potationibus febrienti, variisque divexato symptomatis contigisse sic refert (x); *septima mortuus est, verum*

(u) 3. de Sympt. caus. F. 25. C. class. 3.
(x) Lib. 7. de Morb popular. pag. 204. Litt D. class. 1.

alvus ante mortem elevata fuit, & mortuo posteriores partes rubefactæ sunt. Inde adhuc intelligitur, quare paulo ante obitum, crepitus quandoque erumpant, ut Hippocr. in servo apud Hyppolochi villam ægrotante, cui in præcordiis utrinque quid collectum erat durum, observavit, & ita scriptum reliquit (y). *Circa septimam a decubitu diem, ... jactabatur & aliquantulum convellebatur. Desinente autem convulsione, citra animadversionem extinctus est. Ante hoc vero urinam acervatim minxit, & Flatus cum crepitu prodierunt, & supernæ partes minime sunt evacuatæ.* Hinc tandem perspicuum est, cur defunctorum abdomen, persœpe a Flatu in molem attollatur, & quasi tympanitice intumescat, quod a Willisio notatum superius retulimus. (38). Hac autem laxitate, inæqualiter plerumque afficitur membraneus ille ductus, seu nonnullæ ipsius partes languent & debilitantur, dum interim nativo fere similis aut saltem non ita infractus perstat in cœteris peristaltici motus tenor. Id enim suadent & comprobant hujus canalis longitudo; miræ ipsius complicationes & flexuræ; varia membranarum densitas; diversa diametri angustia; major

(y) Lib. 4. Epidem. pag. 145. A, Class. 2,

in una quam in altera parte, alimentorum mora; valvularum & ſphincterum ſtructura.

86. Poſita igitur hac inæquali & vaga toni remiſſione, quoniam aer in tubo coercitus, ipſius latera continuo expandere nititur (51.), & eo major eſt tubi expanſio, quo minor eſt vis ipſum conſtringens (53.); in laxas & atonas partes ut pote minus reſiſtentes confluens, & a cœteris minus languidis repreſſus aer, rareſcentia & motu, membranaceis parietibus, gradum diſtenſionis inferet, gradui defectus conſtrictionis, proxime proportionalem; & hinc enaſcentur non quidem ſœvi ſed moleſti flatulenti affectus. Verum non ea tantum ratione, Flatus concitat languidus ille primarum viarum torpor, ſed & quia læſa exinde coctione, ac ſegneſcente alvi exoneratione, ſordes ibi & cruditates cumulantur, quæ diuturniori mora, a naturali ac temperata indole magis deflectunt, fermenteſcendo aut putreſcendo, uberiorem e ſinu ſuo fundunt aeris copiam, noxiamque contrahunt acrimoniam, qua tunicam nerveam laceſſendo, ſpaſmodicas provocant, in partibus præprimis minus laxis, ſtricturas, quibus in debiliores & ſpaſmis vacuas violenter compellitur aer.

Spasmum igitur atoniæ, atoniam spasmo supervenire, perspectum manet.

87. Quantum vero ad Flatuum exortum & coctionis læsionem, conferat ventriculi non tantum & intestinorum, sed etiam circumambientis peritonœi debilitas, galeno abunde notum fuit, cujus verba hic conscribere congruum ducimus (z) *quarta vero utilitas peritonœi hujus operimenti exacte circumextensi & constringentis omnia, est ne ventriculus & partes ventriculo propinquæ prompte flatibus prehendantur. Utilis autem est ipsis ad hoc, & propria facultas, qua utentes (ut alibi demonstratum est) semper circumplectuntur ea quæ in se continent, eaque undique constringunt. Haud vero contemnendum est, neque hoc quidem peritonœi auxilium, quando (si quidem imbecilliora hæc & infirmiora fuerint, quam ut amplectantur undique cibaria) vaporoso & Flatuoso spiritu, a quibusvis impletur ventriculus, & quæ circum ipsum, sunt partes; quamobrem evidenter ac necessario consequitur, alimentum non concoqui, & tardam fieri distributionem: robusta vero si fuerint universa, & amplectantur undique ventriculus, intestina & peritonœum, etsi valde flatuosa quæ comesta sunt, fuerint, co-*

(z) Lib. 4. de usu. partium fol. 137. H. Class. 1°

quuntur tamen ac distribuuntur facile. Partem namque Flatus, ipsi ructus vacuant: alia autem deorsum penetrant: quod autem vaporosum simul & utile fuerit, in venas assumitur. Ad ea igitur omnia utile est peritonœum. Ex hoc pulcherrimo ac nitidissimo galeni loco colligitur, non solum peritonœum, sed & alia claustra abdominalia, robore suo, primarum viarum Flatus retundere; & inde elucet, quare totius abdominis debita compressio, tum ad præcavendos tum ad reprimendos Flatus, tam efficax sit auxilium. Quo pacto vero Flatuosæ intumescentiæ a laxitate natæ succedat dolor, sic alibi (*a*) explanat celeberrimus idem artis magister. *Cujus* (Flatus) *generationis, in locis circa ventrem, causam invenimus, tantam caloris inopiam, ut ex cibis & potibus, vaporosum & ventosum Flatum generet: propter infirmitatem vero comprehensivæ facultatis, interna ita affectarum partium capacitas infletur & expleatur, ut propter expletionem quidem distendatur, propter tensionem vero dolore afficiatur.*

(*a*) 2. De Compos. pharmac. secund. loc. fol. 135. G. H. Class. 5.

Corollaria quæ ex ſtabilita Doctrina ſponte manant.

88. Qui jam expoſita (a 54. ad 88.) diligenter & attente penſitabit, dubio procul ingentem cauſarum varietatem mirabitur; ipſique luculenter patebit, tot diſſimiles & plane oppoſitas, eumdem effectum, diverſa tamen ratione, parere; unius præſentiam, perſœpe alteram diverſæ indolis advocare; ſicque non raro plures, licet contrarias ſimul coincidere, v. g. inteſtinalem fiſtulam, in una parte, ſpaſmis obſitam eſſe, & in altera conſtrictorium motum languere; aliam cauſam graviorem, pertinaciorem, Flatuumque magis feracem eſſe, ut inæqualem inteſtinorum atoniam, vel conſtrictionem, aut utramque ſimul, qua poſita aſſumpta fere omnia flatuoſa evadunt; tandemque aliam leviorem, magis fugacem & parciori copia Flatus ſuggerentem, qualis eſt Flatulenti cujuſdam cibi ingeſtio, aut ſaburra ventriculum gravans.

Traditam de Flatuum geneſi Theoriam, ulterius firmant juvantia & Lædentia in his morbis.

89. Hinc (88.) elucet, quanti inter-

ſit, cauſarum omnium indolem, vim & efficaciam, exacte rimari; prout enim diſcrepant, hæc vel illa medendi methodus calcanda, diverſaque uſurpanda medicamina, quorum quidem auſpicatus aut infelix exitus, ab aſſignatis ſupra variis fontibus mox ſeorſim, mox conjunctim occurrentibus, Flatulentos affectus dimanare evincit. Etenim medici plures expertiſſimi, variis in ſcriptis, ſtomachica, tonica, attenuantia, & calida, adverſus Flatulenta mala præſcribunt, ſummumque ægris attuliſſe levamen, ſancte aſſeverant; dum emollientia & anodyna aut plane omittunt aut parce adhibent: alii vero, quorum ut & priorum nomina, brevitatis ergo, reticemus, ultima hæc remedia, eximiis commendant encomiis, maximoque compluribus Flatulentis auxilio fuiſſe, ſincere perhibent: non pauci tandem, confuſa ſimul bina hæc præſidiorum genera, feliciter uſurpaſſe, candide narrant. His tamen omnibus eadem ferme fuit in medendo diligentia & ſagacitas, nec eorumdem teſtimonio, hodierna refragatur experientia, qua compertum habetur, Flatuoſos nonnunquam, licet rarius, ſolis juvari ſtomachicis & tonicis medicamentis; perſœpe vero ab eorumdem uſu lædi, & emollientibus

tantum refrigerantibus ac anodynis levari; frequentissime tandem hæc ambo remediorum genera sejunctim usurpata noxam, sibi invicem associata solatium afferre, non secus ac ea quæ duplici hac virtute anodyna scilicet & tonica superbiunt. hinc demum intelligitur, quare tantus sit carminantium numerus; tot enim annumerare expedit, quot variæ occurrunt præcipuæ Flatuum causæ.

SINGULARES FLATULENTORUM OMNIUM AEFECTUUM CAUSÆ.

90. Jam satis superque, de Flatuum causis, generatim actum est. Nunc Flatulenti cujuscumque affectus mechanicam rationem exponere, ipsique strictim propriam adscribere causam, suscepto ordine urgemur. De his autem primum hic disserere congruit, qui in alimentario tubo coerciti latent, nec foras prorumpunt, quos inter, statim obtutui nostro sistit se colica Flatulenta (*6. b. c. d.*), de qua, cum jam superius nonnulla obiter prælibata sint (68.), pauca nunc addenda supersunt.

Colicæ Flatulentæ causæ.

91. Hanc autem ab aeris vel consueta copia præsentis, vel uberius ex conten-

tis materiebus extricati, inter partes ſpaſmo conſtrictas, cohibitione, compreſſione, incarceratione, violento elaſtico ac expanſivo niſu, oriri prolatum eſt; & hæc quidem cauſa ipſam frequentiſſime parit. Quandoque tamen ſed raro, toni remiſſio (85. 87.) ipſi leviori tunc ac mitiori locum præbere poteſt, modo quædam concurrat ex cauſis ſupra enarratis (a 58 ad 64.), quarum etiam ſolo acceſſu, colica Flatulenta, ob victum ab exuberante aere coercentis tubi elaterem, imo & ſpaſmodico-Flatulenta, propter acre evoluto aeri ſociatum, facile concitari ſolet. Prout autem inter ani ſphincterem & ſiniſtram coli flexuram; inter ſiniſtram & dextram; inter hanc & valvulam tulpii; inter iſtam & inteſtinum jejunum vel duodenum; inter hujus arctiorem flexum & pylorum; vel tandem inter ambo ventriculi-orificia, reſtringitur aer: aut in ventriculo aut in variis inteſtinorum partibus, Flatuoſa hæc colica ſedem habet. Denique prout ſpaſmodica ſtrictura, aut Flatuoſa ſaburra, uni loco conſtanter affixa hæret, aut per ductum alimentarium hinc & inde movetur & oberrat, colica fixa vel vaga eſt.

Meteorismi causæ.

92. Non multum diversa ratione exurgit Meteorismus (6. *e.*) frequentissimus febrium acutarum comes; in his enim, alimentariæ fistulæ hospes aer, phlogodæa aut spasmodica nonnullis in locis diathesi, forte cohibitus, aut etiam nonnunquam ex coercita materie uberius extricatus, præ fervidiori æstu, prætermodum incalescit ac sese expandere conatur; sic autem rarescens & æstuans, intensioremque eapropter elasticam potestatem nactus, concludentes ventriculi & intestinorum tunicas extrorsum ferre, proindeque abdomen in tumorem & quasi in sublime attollere debet.

Borborygmi causæ.

93. Nunc de Flatibus semper & ex natura sua, per abdomen vagantibus (6. *a.*) aut ex eo erumpentibus (4.) jure instituendus sermo. Primum igitur, Flatus per intestina discurrens, seu nunc in hanc, nunc in illam partem, cum strepitu oberrans, qui Borborygmus dicitur (6. *a.*) perlustrandus est & paucis enodandus. Hic autem multifariam consurgit, vel dum ex duobus claustris aerem coercentibus, sponte laxatur unum, aut in-

genti tunicarum inteſtinalium renixu panditur, viamque incarcerato aeri largitur; vel dum ſpaſmus varias ſucceſſive inteſtinalis ductus partes occupat, ſicque concluſum aerem, ab una in aliam celeriter compellit; vel dum pars, ratione atoniæ, a Flatibus diſtenta, reſtituta ad tempus vi tonica, Flatus ultro propellit. Spaſmum vero per tubum hunc membraneo-carneum vagari poſſe, facile concipiet ad nervulorum inteſtinalium ortum, diſtributionem, nexum, numeroſamve cohortem attendens: moleſte enim laceſſita una parte, cito ad vicina imo & diſſita loca, nervorum communione, tranſmittitur hæc ſuccuſſio. Sonum autem quem edit Flatus ita revolutus, a celeri ipſius per anguſtatam viam trajectu, tremulaque ac undulatoria membraneorum parietum concuſſione, ortum ducere, ex phyſicis dilucidum eſt.

Ructus cauſæ.

94. Conſtricto utroque ventriculi ore, mediæ parti moleſtam diſtenſionem infert coercitus aer; ſi vero ſuperius laxetur orificium, membranei parietes eo majori vi ſeſe conſtringunt, quo antea magis expanſi fuere, & cum ſono ac impetu, per ſuperiora exploditur aer, ſeu fit ructus

(4. a.), qui quidem ab aliis expositis causis, ingestorum scilicet effervescentia (60.), fermentatione (61.), putrefactione (62.), aerea & Flatuosa indole (58.); aut ab intensiori calore (59. 82. 84.), imo & etiam ab ipsa ventriculi atonia (85.), cum pyloro sat angustato occurrente, exoriri potest. Quare autem acidus sit, amarus, nidorosus, insipidus, hic inquirere, nostri non esset instituti. Hujus tamen discriminis rationem exhibent causarum diversitas, variaque assumptorum indoles. Insipidus erit, si nullis peculiari sapore præditis particulis respersus, sed ferme purus sit aer, aut aqueo tantum latice scateat. Acidus est in frigidis, debilibus, puerulis, qui farinosis alimentis, fructibus horæis crudis aut maturis, & lacte vel vino acido vescuntur, verbo dum in fermentationem & acescentiam vergunt assumpta. Amarus est, si in ventriculum regurgitet exuberans biliosus humor; si alimenta alcalescentia & amara ingesta fuerint, ut plantæ aromaticæ acres, & animalium carnes; si calor ingens; viscerum chylopoietricorum intensior actio, & putredo incipiens. Nidorosus ab iisdem causis sævioribus ac pertinacioribus inducitur, sed præcipue si vere putrescens, aut jam pu-

tridus fomes in ventriculo niduletur.

Crepitus peditusque causæ.

95. Si contractis superioribus intestinis, vel saltem constricta coli valvula, aut alterutra ipsius flexura, in crassioribus colligantur Flatus, & eorumdem vi tonica renitente, ac juvante musculorum abdominalium & diaphragmatis simultanea pressione, laxetur sphincter ani, ac levatorum contractione dilatetur; per inferiora extrudetur aer, idque cum strepitu fiet, si subitanea ac celer sit aeris haud fracto elatere pollentis expulsio, ipsique exilienti non valde patens & emollita, sed tensa satis & angustata præbeatur via. Si vero e contra, lentius languidiusque exprimatur aer; aut si particulis humidis sulphureisque nimium refertus sit, & ita solito orbatus elaterio; tandemque si maxime hians, lubricus ac mollis pateat ipsi exitus; nullus edetur sonus, sed placide taciteque Flatus emittetur.

Choleræ siccæ Origo.

96. In Cholera sicca (4.*c.*) sœva fit, per superiora & inferiora, Flatuum expulsio, cum dolore & torminibus: nascitur ergo potissimum, ab ingenti intestinalis fistulæ irritatione ac spasmodica constrictone,

quibus tum ſurſum tum deorſum vehementer extruditur Flatus. Nil liquidi vel per os vel per alvum, in hoc affectu, erumpit, fauceſque areſcunt & exaſperantur: ponit igitur ductus alimentarii ſiccitatem magnam. Ægrotantem premunt ſitis & æſtus: fervidior ergo, in Cholera ſicca, viget calor, quem aliunde, eo cœteris paribus intenſiorem eſſe compertum eſt, quo magis aridæ ac denſæ ſunt partes. Verum quænam diri hujus affectus præcipua ſedes? Num ſoli ventriculo inſidet moleſta hæc ſpaſmodica ſtrictura? Neutiquam; tunc enim non ſurſum & deorſum ſimul, ſed per ſuperiora tantum prorumperet Flatus. Num ſola craſſiora inteſtina obſidet? Minime profecto; ſi namque res ita eſſet, per ſolam inferiorem viam, Flatulentus exploderetur aer. Hærent ergo præprimis, in tenuibus inteſtinis æſtus, ſiccitas, immanis ille morſus, ac ſpaſtica conſtrictio, individui Choleræ ſiccæ parentes, & inde ad ventriculum & extrema inteſtina, facile propagantur. Aridis autem, æſtuantibus, laceſſitis, ac convulſive arctatis inteſtinis gracilibus, rareſcens & effræne liquidum Flatuoſum, tum superne tum inferne repelli ac violenter protrudi neceſſum eſt. At gravi huic affectui

tui inducendo, ſymbolum conferre peculiarem & infenſam halitus aerei acrimoniam, cum aſſentiente practicorum choro, ſtatuere par eſt. Si enim nonnullos (*b*) & quidem non infimi ſubſellii, ut decet, audiamus, acris ille vapor, & partes internas, in quibus genitus eſt, ventriculum ſcilicet & inteſtina mordet ac inflat, & eas per quas in eductione pertranſit, exaſperat & affligit. Sic autem loquitur galenus Hippocratis oracula commentans (*c*). *Ut enim cholera humida ex acribus oritur humoribus, qui ex eſorum corruptione prodierunt; ſic arida, ex ſpiritu Flatuoſo acri; quo fit, ut quæ prope ventrem ſint nervoſa corpora mordeantur, intendanturque & dolorem pariant.* Quæ ergo primas vias exſiccare; exurere; digeſtivos ſuccos molli & aqueo vehiculo orbare & acriores reddere; bilem accendere, aſſare, atram efficere valent; tum & alimenta prava, fermenteſcentia, efferveſcentia, aut putreſcentia, quæ uberiori acriorum miaſmatum penu, concluſum aerem inquinant; tanquam totidem Choleræ ſiccæ cauſæ remotæ vel antece-

(*b*) Galen. Comment. in hypp. lib. 4. de vict. Rat. in acut. petr. ſalius lib. de affect. partit. cap. 13. ſennert. lib. 3. prax. part. 1. Sect. 2. cap. 15.
(*c*) Ibid. Comment. 4 F. 146. D. claſſ. 7.

dentes ſpectanda ſunt. Sic acre laſerpitium, Choleram ſiccam gignere, maxime ſi cum multo caſeo, aut bubularum carnium edulio miſceatur, obſervavit divinus ſenex (*d*).

Anadromes ſeu Flatus ad ſuperiora Revoluti Cauſæ.

97. Pertinax Flatuum ad ſuperiora recurſus (7.), qui anadrome nuncupatur, & Flatulentiæ mox enucleandæ ſymptoma, potius quam ſingularis morbus, conſultius forte diceretur; a nimia infimæ inteſtinorum partis conſtrictione & anguſtia, concluſum aerem ex his ſedibus repellente, ſurſumque urgente, exordia ducit. Ideo autem hypochondriacis & hæmorrhoidariis familiaris eſt, quia a ſtagnante ſanguine, cui per hæmorrhoidalia vaſa denegatur effluxus, inteſtinum rectum & inferior coli pars, ſummopere anguſtantur; hinc flexura coli ſiniſtra, cohibito uberiuſque ex putreſcente fœce evoluto aere, verſus lumbarem regionem, vehementer expanditur; & ita ſœvi emergunt dolores, qui inſonti lieni perperam tribuuntur: altius vero repulſo aere, ſtrepunt borborygmi; tandemque ad ventriculum confluente, in-

(*d*) Lib. 4. de vict. Rat. in morb. acut.

commoda fit quaſi ex æolipilis Flatuum eructatio. Alui ſiccitas non parum adhuc, huic Flatuum ad ſuperiora revolutioni famulatur ; tunc enim inferior inteſtinorum pars, præ cœteris aridior eſt, propter minorem ibi liquidi emollientis copiam, tum etiam ob inductam ab aggeſta, indurata & exſucca fœce, moleſtam vellicationem, ipſiuſque diuturniorem moram, vehementius conſtringitur & anguſtatur ; & hæc anguſtia non Flatulenta tantum mala, ſed & ipſam mortem, inferre poteſt. Sic triſtiſſimo fato, vidit Boerhaaue (*e*), periiſſe hominem illuſtrem, cui ſupprimenti naturæ molimina, fœcum alvinarum globi tanta ubertate collecti erant in cœco ſacco inteſtini, ut humano capite, in reſecto cadavere, non minor viſus ſit.

FLATULENTIÆ ÆTIOLOGIA.

98. Flatulentiam (8.), ſeu habitualem copioſum ac facilem Flatuum quorumcumque proventum parit ac fovet ea ventriculi & inteſtinalis tubi conditio, vi cujus ſpaſmodicæ conſtrictioni inæquali, aut partiali atoniæ, aut utrique ſimul frequentius patent ; & hæc diſpoſi-

(*e*) Boerhaau. prælect. in inſtitut. Med. edid. haller. pag. 513. vol. 1.

tio sita est in inaequalitate toni totius alimentariae fistulae, qui in una parte languet, dum in altera satis viget; aut alicubi nimium intensus est, dum alibi in naturali statu perstat; aut tandem dum simul in una parte increscit, & in altera fatiscit ac dejicitur. Si enim unum ex his occurrat, tuncque flatuosa alimenta (58. & a 60. ad 63.), vel alia quaecumque nimia copia ingerantur; vel frigidus hauriatur potus; vel aliae causae superius enarratae superveniant; brevi exurgent Flatulenti affectus supra descripti, colica, dolores varii, tormina, borborygmi, ructus tandem & crepitus, quibus solvitur malum.

99. Verum in indaganda praecipua & efficiente Flatulentiae causa, hospitans in primis viis materies immerito forte temnitur; nonne haec Fatulentiam movere potis est? Huic asserto refragatur & imparem causam respuit ipsamet morbi indoles; cum enim habitualis ac constans sit, non a fugaci quotidieque varianda materie, verum a fixo, permanente, proindeque alimentariae fistulae inhaerente vitio sobolescit. Quae ergo primis viis coercentur, ut causae tantum remotae, procatarticae & antecedentes habenda, quae tamen concursu suo cum primaria &

efficiente (98.), aut etiam ſola nonnunquam, diverſi generis Flatulentos concitant affectus.

100. Prioris Flatulentiæ ſpeciei (9.) præcipuam cauſam conſtituit partialis & torpida inteſtinorum atonia (85.); illam enim moleſta diſtenſio, nullus autem aut levis tantum comitatur dolor. Spaſmodicam vero & inæqualem inteſtinalis fiſtulæ conſtrictionem, ut potiſſimam alterius Flatulentiæ (10.) cauſam ſtatuimus; talem namque arguunt, cruciatus, tormina, aliaque ſœva quibus id affectionis genus ſtipatur ſymptomata. Tertiam tandem Flatulentiæ (11.) ſpeciem, ſpaſticæ ſtricturæ cum intermedia laxitate conjunctæ adſcribendam eſſe cenſemus. Cujus duplicis cauſæ concurſum ſimultaneum declarat mira ſymptomatum varietas, ſicut & affectus pertinacia.

Spaſmum & atoniam ſimul occurrere poſſe evincitur.

101. Verum hic obſtupeſcent fortaſſe plurimi, ſpaſmum & atoniam, quæ ſeſe mutuo videntur excludere, ita tamen inter ſe convenire, ut in una ſede morentur. At vero tale quid fieri poſſe concipient, mirari deſinentes, ſi utrumque illud vitium in uno quidem alimentario ductu,

ſed in diverſis non in iiſdem ipſius tractibus, ſtatui advertant; ſi ad jam prolata (a 85. ad 90.) animum intendant, & hypochondriacorum ac hyſtericarum ſymptomata expendant, in quibus haud infrequens eſt, partem quamdam villorum ac canaliculorum ſtrictura coarctari; dum proxime vicina tumens, quaſi reſoluta ac congeſtis fluidis expanſa conſpicitur. Præterea nonne in epiala febre, alget ſimul ac fervet in diverſis punctis, externus corporis habitus? Nonne partem quandam convulſivis motibus quati, calere, ac dolere; vicinam autem laxam, frigidam, flaccidam & quaſi paralyticam eſſe, in praxi quandoque deprehendere contingit? Quod ultimum a ſolertiſſimo Williſio annotatum legimus, dum ait (*f*) *porro ſœpius obſervavi, ob diverſimoda hæc materiæ morbificæ miſcellanea .... una motibus convulſivis & paralyſi laborantem infeſtari*. Et alibi verba hæc magis ad rem conferentia habet (*g*); *quoad ſpeciem priorem* (affectionem convulſivam univerſalem) *facile occurrit ejuſmodi affectus non ſimplices ſed complicatos eſſe, nimirum ex ſpaſmo & paralyſi*. Quare igitur in aufractuoſa, mire in gyros convo-

(f) De morb. Cerbr. cap. 9. De paralyſ.
(g) De morb. convulſiv. cap. 9.

luta, inflexa, & subjecti longitudinem sexies adæquante fistula, locus quidam spasmo constringi, alter vero laxior restricto aere tumere nequiret? Id obtinere posse, verosimiliter censuit galenus, cum hæc dixerit (h); *quin etiam didicistis, quod inæquales intemperantiæ dolores excitare sæpenumero solent: similiter spiritus crudi flatuosique copia, qui arctatus aliquando partes ipsum ambientes distendit, aliquando vero violenter egreditur.*

102. Ambigis adhuc, & jam adductis parum motus, graviora requiris rationum momenta? Ut te victum profitearis, ecce præsto adsunt.

1°. Intestinalem tubum mox ampliorem mox angustiorem esse, modo deorsum ferri, modo reflexo itinere sursum assurgere, tandemque pluries diversa ratione inflecti docet anatome, ut supra notavimus (52.). Solutæ igitur assumptorum partes, necdum tamen ultimum passæ elaborationis gradum, latiora & minus declivia loca diutius incolere, eaque vel nimia sua mole gravare, vel aquea, oleosa aut viscida substantia laxare & ita debilitare debent; dum interim consuetus aut saltem non ita fractus perstat in cœteris partibus tonus. Hic er-

(h) 4. de Loc. affect. F. 27 O. 4. class.

go ductus ea ratione, non quidem ſpaſmo & laxitate ſimul vere obſeſſus, ſed maxime inæqualis erit.

2°. Numeroſioribus ibi, paucioribus alibi carneis villis ditari ductum inteſtinalem, nemini vel leviter in anatomicis verſato, notum non eſt. Facilius ergo nonnullæ partes, quæ ſcilicet majori fibrarum carnearum numero gaudent, ſpaſmis ſtringentur, qui per alias non ita expedite propagabuntur. Inde igitur ulterius comprobatur toni in fiſtula alimentaria inæqualitas Flatulentiæ (11.). parens.

3°. In inteſtinis non raro congeruntur mucidi lentores, viſcidaque alimenta, quæ juxta Stahl obſervationem, intus latentem ſtimulum gerunt, ac proinde faſtidioſo torpori, ubi primum hærent, inducendo, necnon paulo poſt, eductis plurium cauſarum vi aculeis, ſpaſmo proximis in locis accerſendo, apta ſunt. Jam ergo quæſitam habes utriuſque vitii ſocietatem.

4°. Fiſtulam inteſtinalem ſpaſmodice & inæqualiter conſtringi, jam ad nauſeam uſque evicimus; verum ſœpe ac diu ſpaſmis arctari nequit, quin repreſſus ac denſatus aer, ſummo ſuo expanſivo niſu, vicina loca magis ac magis diſtendat & extrorſum ferat, ſicque membranaceas fibras nimium

nimium aut diutius elongans & distrahens, earumdem tonum infringat & dejiciat. Hic ergo comes spasmis adjungetur laxitas.

5°. Nonnulla intestinorum loca, haud raro, paulo magis laxari & infirmari, extra omnem dubitationis aleam positum est; in his autem nidulans ac diutius stagnans materia, sive a vegetabili sive ab animali regno suggesta, sola caloris interni vi, & mora, a blanda desciscens natura, noxiam & acrem induit, sicque vicinas partes paulo magis tensas lacessere ac spastice constringere, idonea evadit. Socius ergo laxitati additur spasmus.

6°. Sœvi instar tyranni, medicamentorum fere omnium vim pertinaciter eludit Flatulentia, sœpeque solis exhibitis tonicis, aut laxantibus cedere abnuens, his simul usurpatis quadamtenus mitescit. Quod prædictum utrumque una occurrere vitium ægre debellandum, nec nisi duplici caute sociato remediorum genere leniendum, aperte eloquitur.

7°. Tandem reseratis Flatulentorum cadaveribus, intestina nonnullis in locis arctata, in aliis maxime turgida, constanter fere autopsia exhibet. Quod ex plurium autorum testimonio elucescit, ut ex relata Plateri (27.) observatione,

aliaque ex actis britannicis deprompta (61). His consimilem affert Welshius (*i*), se namque deprehendisse perhibet, colon totum flatibus distentum, sub insertione vero in intestinum rectum, adeo contractum, ut coaluisse videretur. Quæ observationes, spasticæ constrictionis & laxitatis concursum, post ipsam mortem, aliquatenus conspicuum declarant ac certius firmant.

103. Ex his (101. 102.) ergo, præpotenti maximeque in rebus medicis optato, experientiæ & rationis concentu innixis, exploratum perstat, alternantibus aut concurrentibus simul spasmo & atonia, Flatulentiam præprimis hypochondriacam, utplurimum perennari, cunctisque ipsam concomitantibus symptomatis enucleandis, clarissimum fundamentum præberi. Cui sententiæ favent gravissimi autores, Etmullerus, Needhamius, Wedelius, Conringius, at præ cœteris Fridericus Hoffman (*k*), qui hypochondriacæ tantum affectioni complicatam hanc tribuit causam, non vero simplici Flatulentiæ, cui tamen rectius adhuc congruere videtur; hicque mox

(*i*) Disputat. de Malo hypochondriaco.

(*k*) Medic. system. Ration. tom. 4. cap. 6. de Malo hypochondriaco.

expoſitas rationes (102.) nullatenus attingens, ex hac ſtabilita minus quam ſuppoſita cauſa, omnia tantum hypochondriaca ſymptomata deducit.

104. Varias antecedentes & remotas Flatulentiæ cauſas ſilentio premere, conſentaneum eſt, ne jam coctam crambem tœdioſe videamur recoquere. Verum obſervare non ſupervacaneum erit, ſummam eſſe harum cauſarum varietatem, nec ipſum Galenum (*l*) inficiari, hypochondriacum Flatuoſumque morbum fieri, *affecto prius calidis diſpoſitionibus cerebro*, *aut æſtuatione*, *aut phlegmonoſa paſſione*, *aut etiam phrenitide*, *interdum vero a ſollicitudine*, *mœſtitia cum vigiliis*. Quapropter *frequentibus balneis*, *victuque humido boni ſucci*, *nullo adhibito alio præſidio*, hujuſmodi morbum ſe curaſſe, monet ibidem. Hic autem notatu dignum, voluntariam Flatuum cohibitionem præprimis in corpore ſanguineo & plethorico, torminoſis ac convulſivis contentionibus, & uberiori ſœviorique Flatuum proventui anſam dare. Hinc non immerito ſtoici, Cicerone teſte, cenſebant crepitus æque ac ructus liberos eſſe opportere, & Claudius ceſar, ut poſt Suetonium (*m*)

(*l*) 3. De loc. affect. F. 19. D. claſſ. 4.
(*m*) Cai. Sueton. Tranquill. Claudius V. n. 32.

narrat Fienus (*n*), dicitur edictum meditatus, quo veniam concederet efflatum crepitumque ventris in convivio emittendi, cum periclitatum quemdam, præ pudore ex continentia, reperiisset. Mortem hac pudibunda Flatuum cohibitione obtigisse, rara quædam exempla docuerunt. Japones autem & pleræque aliæ gentes, ut refert Ten-Rhyne (*o*), eructationes tolerant, intestinorum crepitacula abhorrent, nisi surdus ano exeat Flatus, displicet enim illis sonus, non ita fœtor. At vero immodeste affectata Flatuum emissio, non raro originem præbet hujusmodi assuetudini, ut deinceps invita voluntate, facile cooriantur Flatus non sine periculo reprimendi, dum liberæ exclusionis occasionem præripit pudor. Præstat ergo & sanitati confert, nimium urgentes laxare Flatus, simulque inviolata servare verecundiæ jura.

105. Flatulenti intestinorum tumoris superius descripti (18.) causas peculiares expiscari, nostri non est instituti; non enim de Emphysemate ad quod revocari debet, hic agere suscepimus; verum id alibi fortasse præstabimus. Hoc solum-

(*n*) De Flatib. Comment. novu. & singul.

(*o*) Willelmi Ten-Rhyne Dissert. de Arthritide pag. 32.

modo advertere ſat erit, tunicas inteſtinales tali occupatas tumore, fiſtulam arctando, variis Flatuoſis affectibus; abdominalia autem integumenta ferendo extrorſum, cuidam Tympanitis ſpeciei locum præbere poſſe.

TYMPANITIS PRÆSERTIM INTESTINALIS ÆTIOLOGIA.

106. Nunc tandem accedendum ad enucleationem Flatulenti abdominis tumoris non tranſitorii ſed ſtabilis & continui, qui Tympanites vocatur, & jam ſuperius (a 18 ad 33.) examuſſim depictus fuit. Hunc heterogeneorum humorum fermentativæ luctæ tribuunt nonnulli, inter quos potiſſimi ſunt Carolus Delafont Univerſitatis Avenionenſis Profeſſor(*p*), & meritiſſimus Monſpel. Academiæ anteceſſor (*q*), qui cauſam hanc ingenioſe adſtruere niſi ſunt. Huic autem jam oppugnatæ (36.) ſententiæ adſtipulari non licet. Quamvis enim, ut ſupra expoſitum (60. 61.), in primis viis concitari poſſent Efferveſcentia & Fermentatio, quæ minus recte ab ipſis confunduntur;

(*p*) Diſſertat. Medic. de hydrop. Tympanite ſtudio aroli De la Font.

(*q*) D. Henrici Haguenot, queſt. Medico-Therapeut. an Tympaniti carminantia.

probabile tamen non videtur, tumorem hinc enaſci continuum, diuturnum, ac conſtantem, ſed brevem potius & fugacem. Nec penitus oppoſitam in bilioſo & pancreatico ſucco, naturam fingere fas eſt; ſi enim bilis alcalinam ſapiat indolem, acida pollere nequit pancreaticus liquor ex eodem fonte, ſanguine ſcilicet ſcaturiens: ſimul ergo confuſa hæc liquida non efferveſcent, & tametſi utrumque cum cœteris digeſtivis liquoribus, ad acorem vel alcaleſcentiam vergeret, non tamen aſſumptorum omnium miſcela, Efferveſcentia aut Fermentatio exurgeret, præſertim ſi ſufficienter vigeret alimentariæ fiſtulæ tonus, eademque nullibi arctaretur; tuncque ſi ob ſummam ingeſtorum proclivitatem alterutra inciperet, certe brevi deſineret, & per patentes vias exploſis Flatibus, cito diſcuteretur Flatulentus tumor. Fermentatio ergo, vel Efferveſcentia ſimul cum aliis cauſis, Tympaniti fovendo, aut etiam remote inducendo quadamtenus concurrere poteſt, ſola tamen hunc proxime & efficienter inferre prorſus impar.

107. Nec magis arridet Williſiana opinio (*r*), cui calculum adjecere non pau-

(*r*) Thom. Willis opera *Med.* Tom. poſter. ſect. 2. cap. 4. de Tympanite.

ci gravissimi optimæque notæ medici (s) recum Willisio, Tympanitis causam reponentes in spastica tunicarum omnium intestinalium strictura, qua pori angustantur, & intus retinentur vapores exhalandi. Hoc autem unico argumento subvertitur, quod si pertinaci strictura, intestinales omnes tunicæ obsitæ essent, in ingentem amplitudinem nunquam expandi possent, ut fit in Tympanite. Hæc ergo causa vel ut prævia & disponens, vel ut inæqualiter alimentarium tubum obsidens, seu quasdam tantum ipsius partes occupans admittenda.

108. Verum injurius profecto essem erga ingeniosissimum D. Littre, e cujus penu, tot tantaque circa Tympanitem mutuatus sum, nisi peculiaris ipsius de hujus affectus ortu expenderetur sententia (t). Existimat autem, gravibus ac diuturnis morbis, quibus succedit Tympanites, sanguinem depravari, & subtili spirituosa ac balsamica parte spoliari, inde parciorem & languidiorem esse ad

(s) Bagliu. prax. Med. lib. 1. de hydrope sicco pag. 81. Frider. Hoffman Medic. system. Ration. tom. 4. pars 4. de Flatulentia, *D.* Hecquet in sua *Medic.* natur. & passim in aliis operib.

(t) *Mémoires* de l'Académie Royale des Sciences, ann. 1713. sur l'Hydropisie Tympanite, par M. *Littre.* page 235.

ventriculum & intestina nervei liquidi appulsum; sicque eorumdem tonum maxime infringi, dum interim pravi depluentes digestivi succi, mora acescunt, ingentes commovent *fermentationes*, & aeris elaterem intendunt, a quo ventriculum & intestina facile expandi, necnon abdominis integumenta extrorsum attolli, tandemque Tympanitem concitari consequens est. Opinioni huic subscribere, non pauca prohibent. Tympanites enim nonnullos quandoque sequitur affectus, ut passionem hystericam, colicam Flatulentam, menstruorum suppressionem, quibus dubio procul, spastice potius arctatur, quam flaccescit canalis alimentarius. Tympanitem præsagit & comitatur contumax alvi siccitas, quæ certe non tam intestinorum atoniam quam ariditatem & stricturam arguit. Hunc proxime instantem prænunciant dolores & cruciatus in abdomine sœvientes, qui paulo post, confirmato affectu, ut plurimum mitescunt, imo & quandoque penitus cessant. Si autem vera esset D. Littre Ætiologia, num imminente aut incipiente Tympanite, lenta ac facilis tubi ob victum ipsius elaterem expansio, vividum moveret dolorem? Nonne potius hic in principio, aut nullus, aut levis, ad maxi-

mum gradum evecta in morbi progressu canalis distensione, intenderetur; quod experientiæ prorsus adversum. Interim tamen, si unquam fuit Tympanitis species, doloris & cruciatuum expers, præprimis in initio, hanc a sola intestinorum atonia, ortum duxisse censemus. Si tandem alimentariæ fistulæ laxitas Tympanitem potissimum pareret, tonicis, calidis & roborantibus, non ita præfacte obsisteret, iisdemque potiusquam lenientibus & anodynis auscultaret. Contrarium tamen sedula edocet observatio. Licet autem his omnibus rationum momentis, nervose satis explodatur D. Littre sententia; partialem tamen & inæqualem tubi alimentarii debilitatem, ex causarum Tympanitis antecedentium censu, procul excludendam esse, ne arbitreris. Id enim nefas esse firmabitur inferius.

109. Priusquam vero Flatulenti hujus affectus, causa stabiliatur; notanda sese offert ingens ipsius infrequentia; morborum quibus supervenit Tympanites, advertenda indoles; quæ imminentis hujus ægritudinis prodromi sunt aut præsentem stipant, symptomata, sollicite expendenda; quæ prosunt vel nocent, sedulo exploranda; aperta tandem Tympaniticorum cadavera attentis ac curiosis

perlustranda sunt oculis: & hæc omnia, si probe trutinentur, maximam, ad detegendam Tympanitis causam, lucem affundunt.

1°. Tympanitis infrequentia, causæ efficientis rarum occursum designat.

2°. Inter morbos, qui in Tympanitem abeunt, alii sanguinis circuitum, per ventriculi & intestinorum tractum perturbant, ut lochiorum fluxus, post partum vel abortum, non rite succedens aut cohibitus, catamœniorum aut hæmorrhoidum fluoris suppressio, hepatis obstructiones, icterus; quidam spasmodicam tunicarum intestinalium crispaturam inducunt, ut colica Flatulenta, Flatulentia (10.), passio hypochondriaca & hysterica, verminosa colluvies, partus laboriosus; nonnulli tandem infringendo & debilitando motui peristaltico maxime conferunt, ut febres longæ, præcipue intermittentes & quartanæ, immaniores hæmorrhagiæ, diuturni affectus corporis robur summopere conterentes, neglecta tandem post partum, abdominis deligatio, qua musculorum abdominalium vis pene fracta, proindeque ipsamet intestinorum vis contractilis fulciri solent.

3°. Symptomata quæ proxime instan-

rem Tympanitem antecedunt, sunt alvi constipatio, tormina, cruciatus circa umbilicum, & lumborum dolor; quæ omnia fibrarum intestinalium siccitatem, tensionem, constrictionem, ac violentam distractionem arguunt: subsequens vero ingens abdominis inflatio, hancque concomitans difficilis Flatuum eruptio, & doloris mitigatio aut absentia, fatiscentem & aeris nisui cedentem intestinorum tonum, maxime in expansis partibus denotant. Æstus, sitis, pertinax alvi segnities, fœcum siccitas & durities, maximum intus fervere ardorem, valdeque aridam esse fistulam alimentariam suadent.

4°. Nocent plerumque in hoc affectu, calidiora carminantia, & cathartica; juvant vero demulcentia & refrigerantia, serum lactis, lac asininum, nitrum, & carminantia leviora; quod æstum, fibrarum tensionem & crispaturam, in Tympanite, indicare videtur.

5°. Tandem reserata Tympaniticorum cadavera, ventriculum & intestina, in quibusdam locis, summe turgida, & in aliis contorta ac convoluta exhibent (27): unde inferre licet, Tympanitem a ventriculi & intestinorum, in quibusdam partibus, coarctatione; in aliis, nimia

diductione foveri. Non raro detexit autopsia, in hoc morbo extinctis, glandulas mesenterii aridas & calculosa materia infarctas; hinc inferri potest, interceptum per venas lacteas, liberum chyli, ipsique permixti aeris commeatum, huic affectui inducendo quadamtenus conducere, aut saltem ab ipso pendere. Sœpe etiam eadem autopsia deprehensum est hepar obstructum; unde verosimiliter concludendum, lentescentem in mesentericis vasis sanguinis circuitum, simulque impeditum bilis in intestinorum cavum fluorem, Tympanitici affectus exortui favere. Hæc tamen ultima, quandoque non Tympanitis causas, sed tantum effecta esse, caute notandum.

110. Ex his (109) æqua lance libratis, licet apparenter inter se pugnantibus, mechanicam tamen Tympanitis rationem eruere minus operosum erit. Hæc vero haud dubie quærenda est, ut superius (54.) innuimus, in nisu aeris validius simulque perpetuo & constanter agentis, quam tubi membranei vires ferre queunt: nec enim in ingentem amplitudinem ductus ille evehi potest, quin contenti aeris nisus immaniter robur ipsius exsuperet; quod quidem duplici pacto evenire diximus (55.), vel si reip-

ſa nimis intendatur aeris niſus, vel ſi, hoc eodem perſtante, tubi reſiſtentia nimis fatiſcat. Si quotidie, conſtanter & copioſe, hujuſmodi ingererentur alimenta, quæ uberrimo aere ſcatent (58.), quæ facile & levi data cauſa effervescunt (60.), fermentationem ineunt (61.), aut putreſcunt (62.); & interim requiſitæ ad intimiorem aſſumpti ſolutionem, effervescentiam, fermentationem & putrefactionem, conditiones ponerentur; certum quidem eſt, contingente tunc immani & perenni aeris evolutione, Tympaniticam tandem affectionem naſcituram eſſe. Verum inficias ire non licet, perraro rem ita ſe habere, & hac quadruplici ratione adauctam aeris molem, tanquam Tympanitis cauſam adjuvantem & ſecundariam tantum, neutiquam vero, velut præcipuam & primariam, utplurimum admittendam eſſe; cum enim affectus iſte, continuus, diuturnus ac contumax ſit, cauſam ipſius conſtantem ac pervicacem eſſe, conſequens eſt; proindeque alimentario-ductui, non vero fugacibus & mire variatis alimentis, firmiter inſita hæret. Adde hæc nec efferveſcere, nec fermentari plerumque poſſe, ſaltem quamdiu ingenti copia non aſſumuntur, niſi in quantum prævia concur-

rit primarum viarum labes ; unde ſanis omnia ſana eſſe , vulgari fertur adagio.

111. Expanſivum igitur aeris niſum, a ſpaſtica, inæquali, vehementi, ac pertinaci ventriculi & inteſtinorum ſtrictura, & ab immodico calore intenſiorem, ceu frequentiſſimam Tympanitis cauſam ſpectare, plura impellunt fuſe enumerata (a 19 ad 33. & 109.). Sic e. g. cruciatus & tormina, quæ imminentem prænunciant Tympanitem, & hunc incipientem imo & progredientem comitantur; his adjuncta alia, ſitis, æſtus, alvi obſtipatio, fœcum ſiccitas, pulſus tenſio & durities, nonne ab hac violenta cauſa, aerem coerceri, reſtringi ac expandi, luculenter oſtendunt? Nonne & idem comprobant morbi nonnulli, quibus ſupervenit Tympanites, (109. 2°.), & præſcriptorum medicaminum effectus (109 4°.). Poſita ergo hac vehementi & ſpaſtica ſtrictura, vel in utroque ventriculi orificio; vel in duodeno & in fine ilei; vel in coli valvula & extremo podice; aut ſimul in his omnibus locis; unaque vigente fervidiore calore; coercitus ac compreſſus aer portentoſe rarefiet, ac moleſtam promovebit partium intermediarum expanſionem, quæ, ob ſtricturæ contumaciam, conſtans ac contu-

max remanebit, & continuo a distendente aere, debilitatis & ultra tonum delatis intestinis, magis ac magis obfirmabitur. Tunc autem flatuosa evadunt ferme omnia, quia inter partes spasmo arctatas cohibita, pro varia sua indole effervescunt, fermentantur, aut putrescunt, vel saltem, summa caloris vi tumentia, resolvuntur, & interclusum dimittunt aera.

112. Spasmodica hæc constrictio, sicut & immanis calor, ab his inferuntur, quæ alimentarium canalem diu ac vehementer vellicant, lacessunt, mordent, exagitant, exsiccant, sicque hecticam ipsi intemperiem conciliant, ut veneranda loquitur antiquitas, & fibrillas nerveas tendunt, succutiunt, magisque vibratiles efficiunt; item & ab his, quæ liberum per intestinalia vasa, sanguinis commeatum inhibent. Hinc perspicuum fit, cur senilis ætas, præ inæquali tubi intestinalis ariditate & quasi occallatione, Tympaniti obnoxia sit, quod oculatissimum Aretæum non latuit, qui de ascitis ac Tympanitis causis disserens, hæc ait (u), *Verum ad humoris multitudinem contrahendam, apti non sunt* (senes); *ipsis igitur Tympanias accidere consuevit.*

(u) De sign. & caus. diut. morbor. lib. 11. pag. 36. art. Med. princip. vol. 1.

Inde etiam elucet, qua ratione supra descriptæ causæ (a 56. ad 65.) sed validiores, continuæ & constantes Tympanitem pariant; & cur variolis, morbillis, febri ardenti, partui laborioso, abortui, passioni hystericæ & hypochondriacæ, colicæ, cohibito lochiorum, mensium vel hæmorrhoidum fluxui persœpe superveniat.

113. Alter hic commemorandus est obex, aeris nisum intendens, de quo jam verba fecimus (109. 5), nempe glandularum meseraicarum infarctus, succo chyloso & aeri transitum denegans; tunc enim aerem, uberiori copia in intestinis colligi, ac proinde majori vi, in ea impetere necesse est. Forte & sordes in primis viis accumulatæ, remeansve chylus, caloris vi, ex parte in Flatus resolvuntur; & inde nonnunquam repetendam esse autumamus Tympaniticæ affectionis speciem, qua pueruli corripiuntur (32.). Hæc tamen frequentius multo, glutinoso pingui ac pituitoso humori, ventriculum & intestina infarcienti, eorumdem fibras laxanti, aggravanti, quasi paralyticas efficienti; vasorum lacteorum & absorbentium oscula occludenti, proindeque aeris vel alterius cujuscumque liquidi introitum in eadem inhibenti, ortum debet; hinc

hinc marceſcente & gracileſcente reliquo corpore, tantopere tumet ipſis abdomen, & ita ſpurio Tympanitis genere detinentur.

114. Tympanitem ab imminuta inteſtinalium tunicarum reſiſtentia, ſeu earumdem inæquali laxitate, & motus conſtrictorii imbecillitate, partim exoriri poſſe, ſuadent morbi aliquot (109. 2°.) ultimo recenſiti, qui eſfectum hunc præſtant, & Tympanitem poſt ſe trahunt. Nec aſſerto huic ipſa refragatur ratio, innuit enim, firmiter hærente in alimentario ductu vaga & partiali atonia, concluſum aerem a partibus paulo magis tenſis verſus debiliores aſſidue compellendum, reſtringendum & coacervandum eſſe, a quo immanem & conſtantem ventriculi aut inteſtinorum, vel amborum ſimul, proindeque ipſius abdominis extenſionem, ſenſim cieri neceſſum eſt. At vero vagum ſpaſmum, hic partiali atoniæ ſociari, nec rem aliter ſe habere poſſe, ſidelis eloquitur morbi hiſtoria, dolores, tormina, æſtum, alvi adſtrictionem ob oculos ponens. Et hac potiſſimum ratione, ſpaſmi ſcilicet & laxitatis firmo ac indeſinenti concurſu, a diuturna & pervicaci Flatulentia, Tympaniticum affectum promoveri, ex ſupra exaratis (100.

101. 102.) asseverare proclive est.

115. Si tamen eruditissimo Friderico Hoffman (x) hac in re, sit adhibenda fides, sola intestinorum atonia, a biliosi succi inopia aut parciori penu nata, Tympanitem inferre par est; quod evincere nititur singulari & prorsus rara observatione, quæ in actis societatis regiæ britannicæ (y) legitur, sicque latine refertur ab eodem. *Acceperat nimirum miles, vulnus, ex quo, post varia symptomata septimo die, mortuus est; in ejus cadavere, nulla penitus læsio ullius partis internæ, excepta sola vesica fellea, inventa fuit, ut pote quæ in fundo leviter perforata, ob effusionem bilis omnimodam, collapsa & flaccida deprehensa est; nullius visceris inflammatio vel levissima apparuit, canalis tamen intestinorum valde inflatus atque extensus, & colore flavo, a bile effusa abdomen innundante, tinctus observatus, vulnus etiam externum siccum..... Inter symptomata notatu digna, in isto vulnerato annotata, primo omnium referri meretur inflatio abdominis, quæ statim ab accepta plaga, secuta est, & talis absque no-*

(x) Med. syst. rat. tom. 4. pars 4. de Flatulent. & Tympanit.

(y) Transact. philos. societ. Reg. Londinens ann. 1730. n, 414.

tabili incremento & decremento, & post mortem etiamnum apparuit, qua homo ascitici aut Tympanitici faciem retulit, nihilo tamen minus præsente hac canalis alimentorum distensione, inflationis abdominis causa, nullum ructum vel Flatum per superiora reddere potuit &c. Ex quo peculiari casu, concludendum esse asserit laudatus autor, sanitati tuendæ multum favere non interruptam secretionem bilis, quæ amaritie sua temperate balsamica blande stimulando, intestinales tunicas roborat, motumque peristalticum exsuscitat ac conservat, & ad gravissimorum morborum, maximeque Tympanitis genesim conferre ipsius defectum: non enim in hoc casu, ab alia causa, quam a totali bilis effusione, juxta ipsum, deducenda est canalis alimentarii inflatio, quia, penitus deficiente bile, constrictorium motum omnino amisit, sicque a contento aere, ultra tonum extensus est. Icterus ergo, aliæque hepatis obstructiones, bilis secretionem intercipiendo, Tympaniticæ inflationi producendæ, juxta Friderici Hoffman sententiam, conducere queunt.

116. Num ex tali observatione, deducere ita promptum est, a sola intestinorum atonia, verum ac legitimum Tympa-

nitem induci posse? Neutiquam; illa enim subitaneam & symptomaticam abdominis inflationem, ac proinde meteorismum, potiusquam genuinum Tympanitem exhibet. Aliunde qui fieri potuit, ut nativus & a cerebri ac generis nervei actione oriundus intestinorum tonus, ob momentaneum cysticæ bilis defectum, illico remiserit ac pene victus fuerit? Nonne vero proximius est, & humani corporis naturæ magis congruum, a violenta musculorum epigastricorum & folliculi membraneo-nervei perforatione, derepente, ob nervorum propinquitatem & consensum, spasticam nonnullis intestinalis tubi partibus, illatam fuisse stricturam, qua coercitus ac restrictus fuit aer; id namque denotat ingens celertias, quacum statim ab accepta plaga, sequuta est abdominis inflatio; arguit & pariter pertinax alvi obstipatio, nec fortissimis purgantibus, nec clysteribus per omnem morbi decursum, submoveri patiens; tandemque dilucidius idem designant vomendi conatus & singultus, convulsivæ prosapiæ affectus, qui pridie ante obitum, juxta historiam ab ipso Hoffman traditam, accesserunt. Parcant egregii viri manes, cujus summa nos semper tenebit reverentia; huic adversari profecto non

vacaret ibi, nisi tanti ponderis esset in rebus medicis, ipsius authoritas, nec mirari unquam desinam, gravissimum hunc scriptorem, ubi de Tympanitica affectione agit, Willisianæ sententiæ (107.) statim litantem, paulo post in enucleando militis casu, spasmi sauciatas partes membranaceas subsequentis, ita oblitum fuisse, ut ad biliosi succi penuriam solum adverteret.

117. Ex præfatis (a 106. ad 117.) elicere pronum est, quædam in Tympanite spasmum, nonnulla vero laxitatem arguere. Quid autem in hoc utrinque decertantium rationum conflictu, stabilire fas est? Num in Tympanitis genesi, constans prædominium tenet spasmus? Num quandoque prævalet atonia, aut consimilis utriusque concursus? Si quod menti inest, expromere & ingenue fateri liceat; existimare non alienus essem, summe vigentem ac prædominantem, in principio, supra descriptam alimentarii tubi stricturam; cum aliquali incipiente & intermedia laxitate, aut paulo majori saltem respective ad partes constrictas debilitate, successu temporis, magis ac magis invalescente; Tympaniti plerumque natales præbere. Id certe, & rationi, & nativæ symptomatum indoli, sed præser-

tim supra notatae observationi consonum est, qua constat dolorem initio acutiorem, postea ut plurimum mitescere, imo & penitus nonnunquam cessare. Nec forsitan ab alio fonte, quam ab utriusque causae singulari & constanti concursu repetendae sunt Tympaniticae affectionis infrequentia, summaque in ea abigenda difficultas. Si tamen talis occurrat Tympanites, in quo levior praeprimis initio sit dolor, parumque soeviant alia symptomata, major erit laxitatis quam stricturae excessus. Si tandem diuturna ac constans exurgeret abdominis flatulenta inflatio, sensimque ac lente, sine ullo dolore & torminibus increscereet; haec spuria Tympanitis species, quam contingere non repugnat, at in praxi deprehendisse, nondum, quod sciam, scriptis mandavit ullus, haud dubie, a sola ventriculi & intestinorum flacciditate & atonia nasceretur. Quod quidem jam supra notatum (108.), re adhuc exigente, iterum proferre toediosum non videbitur.

Tympanitis abdominalis causae.

118. Hactenus de solo intestinali Tympanite actum fuisse, cuilibet sponte obvium fuit. Si autem inter coarctatas fistulae alimentariae partes, restricti Flatus

summopere expandantur ac vasorum lacteorum oscula in intestinorum cavum hiantia, violentissimo motu subeant, per tenuissima hujusmodi vascula, præprimis si obstructa sint, elastico molimine excurrentes, hæc graviter diffringere queunt; sicque chylus, serum & aer, in abdominis cavum effundi, & Tympanitem abdominalem asciti sociatum constituere possunt, qui ab intestinali & confirmato tunc oritur, nec ita frequens est ac vulgo existimant plerique. Et causam hanc jam ab aliis (z) prolatam, ut possibilem sed insolitam admittimus.

119. Tunicæ intestinales, ab immani Flatuum aggestione & cohibitione, ad ultimum expansionis gradum evectæ & summopere extenuatæ, tandem absolute divelli, & coercitum aerem, qua data porta, in abdominis cavum diffundere possunt, præsertim si suppuratione quadam jam erosæ, aut ab acri quocumque exesæ fuerint. Et hoc modo Tympanitem abdominalem, infaustis patientium avibus, seu morte instante, intestinali comitem adjungi posse, rationi non ad-

(z) Plater. tom. 3. prax. lib. 1. cap. 3. Carol. Delafont dissert. Med. de hydrop. Tympan. cap. 8 pag. 165 & seq. Joann. Bapt. Mazino Mechan. morb. pag. 68 & 69.

versatur, idque innuere videtur observatio superius ex Platero desumpta (27.). Verum causa hæc non secus ac mox exposita (118.), tanquam possibilis & rarissima habenda. Notum est enim, ut jam annotatum (23. Observ. 6.), ventriculi & intestinorum membranas portentose plerumque tumere, imo & gracilescere, simulque concluso valideque nitenti aeri, pertinaciter impervias perstare.

120. Summam, in putrefactionem, liquidis omnibus humanis, proclivitatem inesse, norunt experti. Noxius ille motus, miti ac placida humorum per vasa sua circumgyratione, eorumdem assidua fere ab affuso lactescente chylo renovatione, tum sufficienti diluentis vehiculi copia, tandemque cita liquidi jam ad putredinem vergentis, per cutanea spiracula, sed inprimis per colatoria renum, excretione, caute præcavetur & avertitur. Si ergo ex discissis vel alia quacumque ratione præternaturam apertis vasculis, sanguis, serum, lympha, chylus, adeps, bilis, urina, pus, ichor, in abdominis cavum effundantur; ibi clausa & a circulationis orbe devia, arteriarum vicinarum oscillatoria vibratione, alternata musculorum abdominalium & diaphragmatis contractione, plurium aliorum

rum organorum motu indesinenter pressa, succussa, conquassata, at præcipue notabili calore fota, leviter putrescere poterunt; sic horum particulæ fere omnes alcalinæ volatiles evadent, interclusum laxabunt aera, & ipsæmet huic intermixtæ & confusæ, nec non aeream ferme indolem nactæ, rarescentem quemdam constituent vaporem, a quo Tympaniticam enasci posse abdominis turgescentiam suadet ratio, nondum tamen frequenter experientia evicit. Hinc intelligitur, quare asciti quandoque supervenire potest Tympanites.

121. Ex huc usque dictis liquet, Tympanitem raro primarium esse morbum, sed fere semper secundarium, maximeque obscuros esse ipsius natales. Num intestinalis a sola aeris e vasorum excretoriorum osculis eructatione nimia, aut ejusdem ita erumpentis intenso elaterio, quandoque deduci potest? Id nec rationi nec experientiæ videtur adversum; si namque aer, in emphysemate, quasi relicto cœterarum partium connubio, ab involventibus liquidis expediri, colligi, sibique intensiori elastico nisu viam sternens, in textus cellularis vesiculas violenter irruere, easque in tumorem efferre valeat; quorsum aer idem, causarum similium


efficacia extricatus, excretorios ductus in intestinorum cavum patentes, procliviori dato nonnunquam itinere, æstuque in primis viis vehementiori urgente, subire, exinde affatim prosilire, coacervari, & concludentes tunicas attollere impar erit (50. 65.)? Num Tympanites abdominalis consimili liquidi aerei, ab exhalantibus & in imi ventris caveam hiulcis fistulis, eruptioni tribuendus? Causam hanc, ubi præsertim simplex est affectus ille nec asciti nuptus, non ut verosimilem tantum, & mox adducto ratiocinio innixam, sed tanquam observatione iterata (26. 27.) exploratam hic statuimus.

122. Id tandem ibi reticeri nequit, quod jam in prægressis (29.) propositum fuit & stabilitum, emphysema scilicet in abdominalibus integumentis, in cellulari peritonæi textura, in tunicis intestinalibus, in omento vel mesenterio, quin imo in aliis visceribus ortum, Tympaniticum movere posse affectum; id enim obtinere posse, invicte comprobat deprompta ex petropolitanæ Academiæ monumentis observatio (18.); firmat & alia a charissimo fidissimoque amico D. Pons Doctore Medico Monspeliensi, per litteras suggesta, viri cujusdam, cui, cum habituali Flatulenta, ac Tympanitem minante colica, mox in universo ab-

domine, nunc in epigaſtrio, nunc in umbilicali, nunc in lumbari regione, ſœviente vexaretur; leves, elaſtici, percuſſu ſonori, mobiles, verbo Flatuoſi tumores oui gallinacei grandioris magnitudinem excedentes, pluresque, in abdominis plaga parti intus dolenti respondente, exurgebant, fugato tamen paroxyſmo evaneſcebant. Accedit in ejuſdem rei probationem, huic exemplo quadamtenus affinis, puellæ Tympaniticæ inferius (152.) ſubjungenda Hiſtoria. Præterea ſi ubicumque cellularis membrana adeſt, Flatum colligi aliquando contingat, cur in prædictis partibus hac tunica inſtructis, talis Flatulenta non fieret collectio? Nec ſollicita anxiaque cura, peculiares hic indagabimus cauſas, quarum vi concitatur emphyſema, aut ab exhalantibus excretoriiſve canaliculis, in cava quædam proſilit aer; arduam enim hanc provinciam ſuſcipere, magis congruum erit, ubi id Flatuoſorum affectuum genus attingemus, quod extra primas vias, ſedem eligit. Nec conſentaneum ducimus, Tympanitis partim inteſtinalis partim abdominalis ſingulares cauſas, hic ſtudioſe inquirere, ut pote quæ ex jam elucidata ætiologia ſponte fluant, & cuicumque vel leviter advertenti occurrant.

P ij

123. Qui jam fuse & accurate prolata (a 3. ad 123.) attente perleget ac serio pensitabit, ad hæc varia quæsita, haud titubans respondere par erit. Quinam Flatulentis affectibus obnoxii sunt? An pituitosi, cachectici, an vero sanguinei, cholerici, atrabiliarii? An Flatus a contentæ materiei aut tubi coercentis vitio enascuntur? An hujus laxitas aut strictura incusanda? Quænam ex his frequentior? An binæ hæ causæ simul concurrere queunt? Utra harum, & in quo casu primaria & præcipua est? An alterutra sola quandoque occurrit? An multiplex extat Flatuum species? An ab infirmo vel a fervidiori calore sobolescunt? Quænam sunt alimenta Flatuosa? Quot & quæ sunt genuina Flatuum remedia? An felicem præstant effectum, crassum tantum ac viscidum humorem incidendo & debilem exsuscitando calorem; aut atonas partes refocillando, spastice constrictas laxando, & æquabilem intestinorum tonum restituendo; aut aerem absorbendo, ipsiusve elaterem refrænando, tandemque flagrantiorem compescendo æstum?



CAPUT TERTIUM.

DE FLATULENTORUM AFFECTUUM SYMPTOMATIS.

124. Tot miranda & anomala in Flatulentis affectibus ſymptomata occurrunt, ut ea omnia hic ſigillatim enucleare, præſcriptis limitibus male congrueret, ſimulque ſupervacaneum ac tœdioſum foret. Qui enim de Flatuum cauſis jam præfata ſtudioſe expendit, huic citra altiorem indaginem, illico obviæ fiunt horumce ſymptomatum rationes mechanicæ. Ex his tamen intricatiora nonnulla raptim explanare expedit, ne a ſuſcepto officio divertere videamur.

Varius & irregularis Flatuum ortus

129. Primum quidem, frequenter in hyſtericis & hypochondriacis, abdomen Flatibus derepente collectis, incogitante ægro & ſine ullo collectionis hujus ſenſibili prodromo, turgere deprehenditur. In hoc enim duplici proteiformi affectu, tanta eſt totius ſyſtematis nervei tenſio, & ad inordinatas ſuccuſſiones ſuſcipiendas

aptitudo, ut leviori nec ad ſenſus percipienda cauſa, paulo ſcilicet vehementiori animi-pathemate, minima iracundia, animi contentione, anxietate, modico terrore; alimento paulo lentiori, aut acriori, aut uberiori aerearum particularum penu munito; ciborum reliquiis vel ventriculo vel cuidam inteſtinorum valvulæ diutius inhærentibus; ſtatim inæqualis & ſpaſmodica concitetur vel ventriculi, vel inteſtinalis tubi, vel utriuſque ſimul ſtrictura, a qua Flatus ex improviſo oriri, mirum non eſt. Verum ſœpe ex adverſo, ſenſim colliguntur Flatus, dum nempe adeo expedita non eſt totius generis nervei, ad promovendam ſpaſmodicam tuborum conſtrictionem proclivitas, & paululum validiori aut diuturniori cauſarum antecedentium (a 70 ad 78) actione indiget, ut inordinate concutiatur; dum hæ cauſæ in acceſſu leviores, paulatim & ſucceſſive tantum intenduntur; dum denique ab inteſtinorum aut ventriculi laxitate & atonia natales ducit affectus. Hinc intelligitur quare in iiſdem ſubjectis, modo lentus, modo repentinus ſit Flatuum exortus; non enim ſemper in his, una & eadem eſt corporis conditio, nec conſimilis cauſarum procatarticarum energia.

Dolor a Flatu.

126. A violenta dissolutionemque minitante, necnon ad animæ sedem traducta, villorum nerveorum distractione, enascitur dolor; qui idcirco nervulorum tensioni, virium distrahentium momento & animæ attentioni directe; tempori vero in distractione insumpto, & nativæ fibrarum nervearum crassitiei, densitati ac longitudini, reciproce seu inverse respondet (*a*). Non mirum ergo dolorem in Flatulentis morbis exurgere, in quibus tot tantisque causis moleste, ac cito distenditur membraneus tubus, innumeris ac plerumque satis tensis nerveis fibrillis instructus. Dolor autem, pro causarum Flatus concitantium &coercentium diversitate, varius erit. Cum vero ventriculus & intestina, nervorum communione, per intercostalem nervum & par vagum præcipue, cum reliquis totius corporis partibus consentiant; gastricis & intestinalis nervulis illata hæc Doloris parens distractio, ad dissitas partes momento propagabitur, indeque diversi generis symptomata pullulabunt, dolores varii,

(*a*) Theoria inflammat. a D. Sauvages profess. Med. Monsp. pag. 49.

ſpaſmodici motus, aurium tinnitus, palpitatio &c.

127. Si maxima vigeat in villis nerveis tenſio, & ſic exquiſitus ſit inteſtinalis fiſtulæ ſenſus; ſi tantopere in nonnullis locis conſtringatur, ut concluſi, preſſi & expandi annitentes Flatus, in tunicas coercentes vehementer impetant; ſi rigidæ, ſalinæ, acres, causticæ alimentorum, medicaminum, vel toxicorum moleculæ, nerveæ tunicæ infixæ, Flatulentos induxerint affectus; aut ſi quacumque de cauſa, vel ſubito vel ingenti copia, collecti Flatus, immanem ac repentinam inteſtinorum diductionem pepererint: tunc quidem diris cruciatibus torquebitur æger. Si autem e contrario, præ minori nervulorum nativa tenſione, paulo obtuſiori ſenſu inteſtina polleant; ſi tanta non ſit eorumdem conſtrictio, nec Flatus ita rareſiant & pertinaciter incarcerentur; aut ſi inteſtinalis tubi atoniæ ortum debeant; aut ſi aquea, mucida, viſcoſa, pinguia, Flatulentæ huic collectioni anſam præbuerint; aut tandem ſi nec ſubitaneus nec copioſus ſit Flatuum proventus: tunc modico dolore urgebitur æger, vel moleſtam tantum patietur diſtenſionem.

Diversa Flatuum solutio.

128. Cur in quamplurimis ægrotantibus, ructu, crepitu, peditu, Flatulentus discutiatur affectus, jam superius enucleatum fuit (94. 95.); verum hunc quandoque, maxima licet abdominis turgescentia stipatum, placide & citra exteriorem ullam Flatuum eruptionem, mitescere, mirum forte videbitur. Id tamen praxis edocet, & tunc contingere autumamus, cum nondum dejectus intestinorum tonus, quamvis nimiam vim passus, in priorem restituitur æquabilitatem, seu dum constricta claustra laxantur, & expansæ nimium partes, lente, blande ac sine maximo impetu resiliunt, sicque aer prius ab una parte exclusus & in altera congestus, nunc pariter ab omnibus libere excipitur, quin foras urgeatur. Illud facilius occurrere advertendum, cum in tenuibus intestinis sedem habet affectus. Sic v. g. Si Flatibus turgeat ileon, nonne soluta constrictione qua coercebantur, jam expeditus aer, in jejunum & duodenum, vel in latissimum colon, diffundi poterit, quin extus erumpat. Num generatim in hoc casu, ita restrictus & compressus aer, pondere, calore, elastico ac expansivo nisu, tandem-

que tunicarum concludentium renixu, in hiantia venarum lactearum ostia adigitur? Conjecturam hanc suggerit, ingens e chylo Boylianæ machinæ commisso, erumpens aerearum bullularum copia, viam aeri saltem chylo succisque digestivis intermixto, ab intestinis in lactea vasa, tritam ac regiam patere innuens; fulcit & insuper peculiaris observatio (*b*), qua aperto cujusdam Tympanite intestinali necati cadavere, auriculam cordis sinistram, dextrumque thalamum aere turgere, compertum fuit. Simile quidquam a clarissimo Ruyschio, in mulieris cujusdam subito mortuæ cadavere annotatum fuit, in epistola anatomica & problematica 16. pag. 11. Hunc tandem liquidi aerei, e primis viis in sanguineos rivulos, commeatum arguunt & ulterius evincunt superius enarratum (122.) Flatulentæ colicæ exemplum, in cujus sœvis paroxysmis, multi ventosi prominebant in abdomine tumores; & puellæ Tympaniticæ infra (152.) delineanda historia, in qua, per intervalla, summe ingravescens abdominis turgescentia, nulla contingente Flatuum eruptione, persœpe subsidebat; tuncque pro detumescentiæ ratione, do-

(*b*) Acta Phys. Med. vol. 1. observat. 46. Anatomia Tympanitici.

lore in variis corporis partibus ſœviente, vertigine, Flatuoſis tumoribus hinc & inde in imi ventris peripheria conſpicuis, aliiſque ſymptomatis vexabatur. Hiſce duobus exemplis non multum diſſimilis eſt obſervatio hippocr. in hiſtoria terpidæ matris ſic loquentis (*c*), *& cum quidem juxta ventrem dolores eſſent, alvus elevabatur, cum vero ſedarentur, cordis dolor coincidebat*, &c.

Globus hyſtericus, Vertigo.

129. Hic famoſum illud, & quaſi pathognomonicum hyſtericæ affectionis, jam antea deſcriptum (13.) ſymptoma, Flatuoſam ſcilicet intumeſcentiam Globi æmulam, ex imo ventre ad fauces uſque aſcendentem, ibique ſtrangulationis ſenſum inferentem, prætermittere non licet. Hanc autem eruendam eſſe cenſemus, a ſpaſmo inteſtina primum, dein ventriculum & œſophagum ſucceſſive coarctante, ſicque aerem ab imis viſceribus, verſus gulæ ſphincterem convulſive præcluſum urgente. Hic enim ita repulſus, compreſſus, & in expanſionem ſumma vi nitens, œſophagum immanius diſtendet, ſicque incumbentem trachæam preſſu ſuo arctabit. Hinc nonniſi ſedata hac

(*c*) Lib. 7. epidem. pag. 205. Litt. C.

œſophagei muſculi convulſiva anguſtatione, & eructatis Flatibus, ſtrangulatio fugatur, & hyſterica ab orci faucibus velut erepta reſtituitur. Œſophagum autem, modica vi, ab aere aut aqua diſtendi poſſe, experientia compertum habuit Halles; quapropter merito aſſerit (*d*), aere e ventriculi cavo repreſſo turgidum hunc canalem, deſcendenti aortæ, ubi inter hanc & cor tranſmittitur, preſſionem inferre, unde quamcito validius uberiuſque ſanguis ad caput truditur; ſicque momentanea concitatur Vertigo, cui ſœpiſſime ſubjacent Flatuoſi.

Anxietas, Palpitatio, Syncope, Tumores &c.

130. Preſſio hæc ſanguiferis vaſis majoribus, thoracicis aut abdominalibus, ab œſophago, ventriculo, vel inteſtinis Flatu tumentibus illata, peſſima gignere poteſt ſymptomata: ubi enim ſic arctantur grandiores cordique proximiores arteriæ, jam non amplius libere per eaſdem urgetur ac trajicitur ſanguis, & ob vicinum hunc obicem, conſuetus inhibetur hujus liquidi e thalamis cordis egreſ-

(*d*) Hæmaſtatique ou la Statique des animaux, par M. Halles, traduit de l'Anglois par M. de Sauvages, 23. exper. ſur la force de l'eſtomac. nº. 9: pag. 150.

ſus; unde moleſta naſcitur anxietas, palpitatio, aut ſyncope: ſi vero turgeſcentium partium preſſu, majores anguſtentur venæ, ob impeditum ſanguinis ad cor reditum, hujus motum pro tempore intercipi, & animi deliquium accedere neceſſe eſt, præſertim ſi ad certum uſque gradum arctata fuerit vena cava. Sic autem venoſi ſanguinis ad cor remeantis iter præcludi nequit, quin ſub impedimento, coacervato ac redundante ſanguine per arterias jugiter advecto, nec per venas eadem proportione reducto, aggraventur partes; lymphaque venoſo ſanguini pro more confundi, ac cum ipſo ſolitam relegere viam impotens, reſtagnet ibidem, ſuaque vaſcula vel plus æquo diſtendat, vel ubertate ſua divellat & in vicina ſpatia effundatur: inde partium ſubjacentium inflammationes, œdemata, tumoreſque varii enaſci poſſunt. Pulcherrima apud doctiſſimum nitidiſſimumque Boerhaave commentatorem (e) Obſervatio legitur, ægrotantis cujuſdam, cui binis ante mortem ſeptimanis, crus ſiniſtrum primum doluit, dein maximo œdemate intumuit, cum digitorum pedis frigore & livore, ac proinde cum proxime immi-

(e) Wanſwieten Comment. in aphor. Boerhaav. de Cognoſc. & Curand. Morb, tom. 1. parag. 422.

nentis gangrænæ metu; peritus autem Boerhaave discipulus, & simul cum eo opem ferens Chirurgus expertissimus, latentem abscessum venam iliacam aut cruralem prementem, pro tumoris causa suspicabantur, nec licuit ipsis detegere ubi hæreret. Fomentis antisepticis pars tota fuit involuta; *sequenti die mirabamur*, inquit citatus autor, *crus multum detumuisse, magisque calere: narrabatque æger, & qui illi adfuerant, quod plurimos Flatus summo cum impetu, & maxime sonoros ano explosisset, perrexit omni hora minui affecti cruris tumor, & bidui spatio, lenibus frictionibus simul adhibitis, totus evanuit. In cadavere, uti dictum fuit, nihil puris in cavis corporis majoribus inventum fuit, sed in abdomine inveni intestinum colon non subjacens ventriculo, ut solet, sed illi incumbens, Flatibus distentum: illa autem ejus pars, quæ in latere sinistro, a liene descendendo, pone intestina tenuia locatur, sic contracta erat, ut pollicis vix æquaret crassitiem; simulac vero sub intestinis tenuibus, emergebat illud intestinum, iterum inflatum apparebat. Unde admodum vero-simile videtur, colon, illo in loco, iliacæ venæ incumbens, Flatibus distentissimum illam compressisse, inde tumor cruris ejusdem lateris secutus*

fuit, qui Flatibus his explosis, iterum evanuit. Nisi hæc certe in cadavere vidissem, fateor quod vix unquam credidissem, a flatibus sic comprimi posse ingentem talem venam, ut gangrænæ inde periculum immineret.

Ventriculi vel intestinorum Inflammatio.

131. Flatuosus ipsemet aer, gastricos aut intestinales sanguiductus proxima sua pressione arctans, liberum per eosdem inhibere potest sanguinis commeatum, sicque inflammationem parere, quæ facilius multo succedet in plethoricis, sanguineis, & solito cruento profluvio orbatis, aut etiam ubi febrilis æstus accenditur.

Partium vicinarum mutatio in situ, nexu, textu, mole, figura.

132. Persœpe ingens Flatuosa intumescentia, vicinas Partes insigniter premendo ac repellendo, has e nativa sua sede deturbavit, solitum earumdem immutavit textum, molem contraxit, alias aliis strictius ac præter naturam colligavit. Sic, in Actis Academiæ naturæ Curiosorum, ni fallor, observatum fuit uterum e loco suo extrusum & exteriora versus prolapsum fuisse, ob immanem

vim tum uterino corpori, tum ipſius ligamentis latis, a Flatulenta inteſtinorum turgeſcentia illatam. Eadem ratione, veſica, omentum, inteſtina ipſa, aliaque viſcera, e ſede ſua quadamtenus dimoveri queunt. Vidimus ſupra (28), in ſecto Tympaniticæ cadavere, quomodo ab aere, abdomen ſimul cum ſubjecto liquidi lacu attollente, ſurſum ac poſtice detruſa & incarcerata fuerint inteſtina, denſatumque omentum eadem ſic replicata capſulæ inſtar concluſerit. Hujuſmodi caſus frequentius certe occurrerent, ſi cadavera reſerare ac perluſtrare fas eſſet, hiſce morbis defunctorum.

Formido mortis, Flatulentiæ ſymptoma.

133. Ea lege a ſummo rerum opifice devinciuntur mens & corpus, ut hujus affectiones in aliam quaſi ſerpant, & vice verſa. Cum igitur Flatulentia tot variis ac diris ſtipata ſymptomatis incedat, cum nobiliora & ſelectiora parvi-pendat medicamina, & contumaciter ab ipſis placari plerumque renuat; ſtupendum profecto non erit, jam hac de re mœſtum & ſollicitum evadere animum ſocii corporis tutelæ acriter & quantum in ipſo
eſt

est, invigilantem; trepidabit ergo vehementius, quo gravior urgebit Flatuum insultus, tandemque ne universa machina in perniciem trahatur, constanter metuet. Quid autem præstare penes ipsum erit, ut apparenter impendentem corporis avertat ruinam? Pauca sane; deficiunt arma, quin imo ipsa vividior ejus contentio aut nisus malum exasperat ac periculum auget. Solus ergo eum manet pavor, quo summe perculsus, anxius & consilii inops, errabit ac perturbabitur. At sollicitudinem deponat, alio feratur, & rem totam viribus corporis mechanicis præsertim committat, quibus fere solis perita Medici manu adjutis, Flatulenta mala lenire datum, si quid tamen ibi corrigere fas sit; nec unquam auspicatior observabitur successus, quam ubi ab hoc proposito aversus, aliisque pluribus intentus erit ægrotantis animus, Hic tamen addere consentaneum est, hanc formidinem & perturbationem, ab intensiori & inordinata fibrarum cerebri succussione præprimis foveri, quæ præsertim nimiæ earumdem ariditatis & tensionis soboles, cujusque genesi, diuturnior mentis ipsius attentio non parum favet.

Falsa intus Latentis Animalculi Imaginatio.

134. Tam abnormis quandoque ac perversa fibrarum cerebri oscillatio, notabilisque hanc subsequens trepidantis & anxiæ mentis error, ut Flatum ab uno in alium locum subrepentem, pro vivo animalculo, horrendo sane hospite mox sursum mox deorsum reptante, & viscera depascente firmiter habeat æger. Cujus mirandi symptomatis peculiare exemplum, mutuabimur ex Ephemerid. German. Academiæ natur. Curios. tom. 2. Observ. 173. L. Augustini Hermanni, cui titulus est, *humores acres & Flatus, pro verme ventriculi habiti*, & his verbis refertur. *Vir sexagenario major, macer & pallidus, a quatuor annis, circa hypochondrium dextrum, dolores varios sensit, passus quoque vomitus, singultus, ructus, solidos cibos non potuit assumere, solis jusculis vescens, acrioribus ut & dulcibus lædebatur; variorum hominum imploravit opem, a quibus purgantia valida præscripta sunt, unde malum ingravescebat. Conquerebatur inprimis de verme vivo in ventriculo hospitante, & per intervalla sursum, unguibus uncis, per œsophagum reptante, cum anxietate & lypothimia: hujus as-*

censum se impedire posse dicebat, si pectus comprimeret, istumque vermem sibi fingebat sub idea lacertæ bicipitis, cum corpore ovali & cauda tortuosa, figuramque delineavit, paulo ante mortem, simulque obsecravit, ut ipsius aperiretur cadaver. Aperto abdomine & thorace, hepar concava sui parte, in regione pylori, ventriculo concretum repertum fuit, itaut ab ipso separari non potuit, quin ejus læsa fuisset substantia, factoque in ventriculo foramine, cum strepitu & sibilo, fœtidissimi prorumperent Flatus. Ligato utroque orificio, ab uno ad alterum, transversa instituta sectione in dorso, nil vivi inventum, sed tantum liquamen subcruentum & fœtidum; sphincter pylori exulceratus erat, & variis excrescentiis atris, lividis, glandulosis, maxime fœtidis, alimentis exitum præcludentibus, vixque tenuem stylum admittentibus obsessus erat. Vesicula fellis turgidior, pancreas siccum & duriusculum, intestina omnia inania & inflata, inprimis tamen illa intestini coli conduplicatio, intra lienem & renem sinistrum, & intestinum cœcum. Ad pugni magnitudinem, nigricabat lien &c. Quæritur quidnam sub idæa lacertæ fefellerit ægrotum? Conjicit Hermannus flatus fuisse. Nec a vero aliena Hermanni conjectura, quæ explo-

ratæ aſſertionis fidem meretur. Quid enim aliud, præter Flatum per intervalla ſurſum elatum, vivo animalculo per œſophagum indemtidem ſcandenti ſimile, formidoloſo potuit imponere ægrotanti? In hoc autem caſu, tot intus enatis tumoribus, concretique jecoris preſſu, occluſa per pylorum via, nec non præ exulceratione & acrium humorum præſentia; laceſſito ac convulſive conſtricto ventriculo, ſpaſmove ad œſophagum uſque ſucceſſive protracto denſari, ac undulatorio & quaſi vermiculari motu, ſuperiora verſus repelli debuit aer; ſicque inferiori & ſpaſmodice anguſtata tubi parte, caudam, ſuperiori vero revolutis Flatibus expanſa, ovale corpus ſimulante, ſed præſertim læſa ægri phantaſia pro lubitu fingente, lacertæ cujuſdam ſpeciem mentiri potuit. Flatus inſuper figmento huic anſam præbuiſſe innuunt ructus ab ægrotante emiſſi, & pectoris compreſſio animalis aſcenſui obſtans; evincunt & fœtidiſſimi Flatus, qui e perforato ventriculo, cum ſtrepitu & ſibilo proruperunt. conſimilem obſervationem, poſt Schenkium (*f*) recenſet Sennertus (*g*), viri cujuſdam, qui

(*f*) Lib. 3, obſervat. 126.
(*g*) Lib. 3. part. 6. cap. 4. de Tympan.

paulo antequam invaderet aſcites quo periit, quotieſcumque cibum mandere aggrediebatur, vel ad ſomnum ſe componebat, tanta anhelandi difficultate correptus erat, ut in priori caſu, cibum ſemi manſum ex ore rejicere cogeretur: ipſe vero affirmabat ſe eo tempore percipere circa hypochondria palpitationem quamdam, atque omnino tale quid, ac ſi præcordiis aliquid vivi animalis ſubeſſet. Hujus ſymptomatis cauſam, procul dubio Flatum fuiſſe, jure ſtatuit Sennertus.

Inſomnia Rei levis, curſus, volatus &c.

135. Mox adducta de mentis anxietate & formidine (133.) in flatuoſis, tum & de perverſa eorumdem phantaſia (134.), peculiare illud ſymptoma recenſere ſuadent, quod a pleriſque probatiſſimis autoribus, inter diagnoſtica Flatuum redundantium ſigna numeratur, forteque rectius ad aniles revocaretur fabulas; Flatuoſos ſcilicet, inter dormiendum, inſomnia rei levis, celeriter currentis aut volantis, interdum tonitru & tempeſtatis habere. Ut autem recta dubii hujus phœnomeni ratio exibeatur, diligenter notandum eſt, ſomni tempore,

has præſertim quieſcenti animo refricari ideas, quibus interdiu vivide, frequenter, aut aſſidue percitus fuit; anguſtis enim ac veluti clauſis viis ad cœteras fibras tendentibus, ſpirituoſum liquidum, agmine facto, per tritum ac proclive iter, affatim in fibras irruit, quarum diuturnior, frequentior, ac vehementior concitata fuit ſuccuſſio, eamdemque ſic renovat. Non igitur menti, proſtratis ſopore membris, divinitus immiſſa ſomnia, ſed pro conſueto ac familiari affectu, ſua quiſque facit, & quidquid luce fuit, tenebris agit, ut eleganter inquit poeta. Quemadmodum ergo bellator in ſomnis arma videt verſaſque acies, & ſcribit amatori meretrix, (ut nitidis ejuſdem romani vocibus utar); ita & Flatuoſus quamdiu vigilat, ventis hinc & inde oberrantibus, mox ſonoris ac vehementibus, mox placidioribus vexatus & undique turgidus, hiſque continuo intenta mente attendens, iiſdem forte inter dormiendum, laceſſitus, tunc hujuſmodi inſomniis deluditur, quæ maximam cum Flatibus analogiam fovent.



QUÆDAM COLICÆ FLATULENTÆ SYMPTOMATA.

Icterus.

136. Si in Colica Flatulenta, adeo vehemens ſit inteſtinorum, ſed præcipue duodeni ſpaſmodica ſtrictura; hanc, proximatis ratione, facile ſuſcipient nervos ab eodem fonte mutuantes ductus choledochus, cyſticus & hepaticus, ac biliarii canales in hunc coeuntes, quibus ita ſpaſtice conſtrictis, necnon a tumente duodeno compreſſis, impeditus tum in ſecretione, tum in progreſſu ſuo, biliοſus liquor remeabit, coacervabitur, ac per venæ cavæ radices in ſanguinis lacum refluus, liquidiſque omnibus infuſus, univerſum corpus, croceo ſuo colore tinget, ſeu fiet Icterus; quod quidem facilius continget, ſi effrænata accedat iracundia, aut jam aliquatenus infarcta fuerint biliaria vaſcula.

Ileus.

137. Si ad ſummum gradum ita evecta ſit ſpaſtica inteſtinorum conſtrictio, aut eorumdem alia quæcumque anguſtatio, ut per inferiora trajiciundis penitus occludatur via; tum ſupra obicem aerem,

assumpta, digestivos liquores, chylum, excrementa congeri necesse est; hinc primo ructus exsurget foetidus, tandemque cum hæc omnia sensim uberius collecta, intensa pleniorum intestinorum contractione, ob insuperabile repagulum, in ventriculum revolventur; hic a copiosa & sordida materia nimium replebitur, vellicabitur, spastice contrahetur, musculosque abdominales & diaphragmatis trahet in consensum, sicque immanis ac fœculentus promovebitur vomitus, cum diris doloribus & anxietatibus, seu emerget Iliaca passio. Hæc autem alia ratione Flatulentis succedere potest affectibus; intestina enim diutius a Flatibus distensa, fatiscunt tandem & a tono suo descifcunt, tum ob longiorem hanc distractionem, tum ob perssionem nimiam nervulis inductam. Jam ergo ad naturalem peristalsim revocari nequeunt, & quasi paralytica evadunt: unde quotidie increscit eorumdem expansio, in qua velut sacciformi congeruntur assumpta, ibidemque diu remorando putrescunt, aut alias patiuntur mutationes; pars vero intestini vicina non turgens, sed constricta ac fere præclusa, locum ampliatum subit. Unde cum malorum iliade, omnium forte pessimum, volvulus scilicet

cet accedit, cujus ætiologiam non minus concinne quam erudite, diversa quamvis ratione expositam, legere qui in votis habuerit, elegantes consulat dissertationes a duobus Monspeliensis Universitatis Professoribus (*h*) traditas.

Pectoris angustia, Respirandi difficultas, Animi deliquium, &c.

138. Cum ventriculus & intestina Flatu deorsum urgeri abnuente turgent, & sic liberam inhibent diaphragmatis complanationem; simulque ob constrictos vel compressos in imo ventre sanguiductus, in pectoris vasa uberiori copia derivatur sanguis; tunc pulmonaria nimium replet, eumque præ nimia ubertate & congestione, cordis thalami expedite urgere nequeunt. Enascuntur hinc thoracis angustia, respirandi difficultas, animi deliquium, syncope, palpitatio; quibus accersendis, maxime confert nervei systematis succussio ad pneumonicos & cardiacos nervos traducta, pulmonarem textum, cordis auriculas aut ventriculos, vel ipsi appensas binas majores arterias spasmodice constringens. Forsitan & ho-

(*h*) D. Chirac. Dissert. Med. de Ileo. D. Henr. Haguenot Quæstio Med. an vomitus fœculentus in Passione Iliaca ab antiperistaltico intestinorum motu.

rum ſympomatum acceſſui favet jam probatus (128.) aereo-Flatulenti liquidi, e primis viis ad ſanguinem trajectus.

Varii Capitis dolores, Convulſiones, Apoplexia.

139. Præpedito, ut notatum eſt (138), in abdomine & thorace, libero liquidorum commeatu, præcipue cum ab inteſtinorum, ventriculi, aut œſophagi ingenti turgeſcentia, maxime premitur & arctatur aorta deſcendens; ſanguinem ad capitis vaſa copioſius fortiuſque appellere, ea infarcire & ultra tonum diducere conſequens eſt, quemadmodum monuimus ſupra (129.). Inde igitur exurget violenta ſanguinis, ſuperiora & præprimis cerebrum verſus, congeſtio; e qua non vertigo tantum (129.), ſed & capitis dolores tenſivi, gravativi, hemicraniæ, aurium tinnitus, convulſiones, imo & ipſamet lethalis apoplexia ſoboleſcere poſſunt. Advertendum tamen, his fere omnibus ſymptomatis, apoplexia excepta, ipſam vehementiorem & inordinatam nervei ſyſtematis concuſſionem anſam præbere poſſe.

TYMPANITIS SYMPTOMATA.

Umbilici & Lumborum dolor.

140. Nunc tandem Tympanitis præcipua explanare juvat ſymptomata, ab abdominis cruciatu conſtanti ipſius prodromo exordium ſumendo. Cum ergo peritonæi interior ſeu unica vera membranea lamella umbilico arcte cohæreat, & in duplicem meſenterii lamellam, poſtice & intus replicata protendatur, quæ ulterius ampliata inteſtina cingit, eorumdemque extimam conſtituit tunicam; non poſſunt a ſpaſmodica ſtrictura coerceri Flatus, & in membraneos tubi parietes arietare, quin inteſtinalibus tunicis primum, duplici dein meſenterii lamellæ lumbis annexæ, ac peritonæo intime umbilico adhærenti, ingens inferatur diſtractio; a qua ortum ducunt lumborum dolor, & circa umbilicum cruciatus tunc ſœvientes, dum Tympanites eſt in procinctu aut jam incipit. Hic interim attende, exordientem dirum hunc umbilicalis regionis dolorem, in ſolis gracilibus inteſtinis utplurimum ſedem habere, & ab eorumdem tantum violentiori diſtenſione veroſimiliter pendere, quæ dein magis ac magis gliſcens, utramque me-

ſenterii lamellam ac peritonæum diſtrahit, hujuſque partem umbilico nexam antrorſum urget. Verum ſi abdominalis fuerit Tympanites, imi ventris cavo coercitus & congeſtus aer, peritonæum incumbens immediate diducere ac tendere, proindeque lumborum dolorem & cruciatus circa umbilicum parere debet.

Doloris mitigatio iu progreſſu morbi.

141. Progrediente affectu, paululum mitigatur, tandemque perſœpe deſinit umbilici & lumborum dolor, quia ab excedente impetentis aeris niſu, ſenſim laxatur nativus extenſarum partium tonus, itaut jam non ægre ac violenter diſtrahantur, ſed facile & quaſi ſponte elongari ſe patiantur. Sic ad ſummum gradum nonnunquam perducitur tubi turgeſcentia, quæ tubulis nerveis ingentem & æqualem inferens compreſſionem, omnem doloris recurſum præcludit. Quandoque tamen non ita dejicitur ductus alimentarii elater, ſatiſque viget adhuc, ut idemtidem fervidius rareſcente aut denſius congeſto Flatu, recrudeſcant cruciatus.

Difficilis Flatuum emiſſio.

142. Difficile Flatus emiunt Tym-

panitici, tum ob nimiam & pertinacem claustrorum coercentium stricturam; tum quia ultra tonum turgidi parietes rarefactum & contranitentem aerem ultro protrudere nequeunt. Non raro tamen, paululum renitente membranarum nondum prorsus devicto elatere, aut sponte leviter laxata, vel summo rarescentis aeris conamine aliquamtulum reclusa constrictione, exploduntur Flatus; at leve tantum ac momentaneum, hac eruptione, ægrotanti levamen affertur; cum enim causa aerem restringens contumaciter perstet, illico superstes Flatus rarescens, aut novus indesinenter accedens, relictum ab exploso spatium præceps occupabit, unde turgidi abdominis moles non decrescet.

Alvi siccitas.

143. Alvus pertinaciter adstricta manet, tum ob intestinalis fistulæ ariditatem, & ejusdem in inferiori parte angustiam, tum ob languentem distensarum partium peristalticum motum. Quæ vero rarissime dejiciuntur fœces, præ diuturniori mora, tubi coercentis siccitate, & fervidiori æstu, arescunt, liquido suo prorsus emunguntur, indurantur, & stercori caprino fere consimiles sunt.

Percussi abdominis sonus, Pressi restitutio cita.

144. Digito percussum abdomen tinnit, propter aeris sese restituentis violentam ac subitaneam vibrationem, in tensas membranas quæ Tympani speciem efformant. Nec remanet admoti digiti vestigium, sed cito pressus resurgit venter, ob promptum & expeditum densati aeris resultum.

Constans & antrorsum sursumque vergens abdominis tumor.

145. Tympanitica ventris intumescentia, sursum & umbilicum versus constanter assurgens cernitur, nec unquam, quocumque in statu versetur ægrotans, vel deorsum vel ad latera decidit: cum enim ventriculus & intestina, liquido aereo levi parumque pondere suo gravante turgeant, & totum fere abdominis cavum oppleant; in sublimiorem & anticam partem, utramque simul ampliorem ac minus obsistentem, distendentis aeris elaterio præprimis impulsa urgeri debent. Versus eadem loca, similiter compellendus est aer Tympanitem abdominalem movens ac fovens.

Alimentorum coctio læsa, Marcor.

146. Cum alimentarius canalis, in Tympanite, hic arctetur, ibi Flatu turgeat, per varios hujus tractus, assumpta libere provolvi nequeunt, ipseque eadem expedite ac rite premere, comminuere & atterere impar est; exaruerunt prætetea succorum digestivorum rivuli, nec tantum parciores manant, sed & infecti, acriores, fervidi, aut crassiores, minusque ad solvendum idonei. Languebit ergo ac pervertetur alimentorum coctio, eave in expansis tubi partibus male subacta stagnabunt, ac pro innata proclivitate, fermentescent, vel sœpius adhuc ob fervidum calorem putrefient. Blandus non inde, suavis ac lacteus, sed pravus, viscidior quandoque, pessimæ, acris, putridæ nonnunquam indolis nascetur chylus instaurando sanguini parum aptus. Lymphaticus igitur ac mitis ille liquor, quo perfunduntur ex æquo partes omnes, & earumdem jacturæ sarciuntur, non penuria tantum, sed & vitiosa diathesi peccans, exiles quos alluit canaliculos, non molli fovebit attactu reficietque, at vel crassitie ingurgitabit, vel acriori morsu lædet. Verum insuper, hæc minima vascula, causarum Tympa-

nitis antecedentium vi jam arida, exſucca, rigida, imo & ſpaſtice conſtricta, liquidi cujuſcumque acceſſui, necnon diductioni ſuæ valide reluctantur. Sic multiplici nomine, nobile depravatur nutritionis negotium; non mirum ergo extenuari ac contabeſcere Tympaniticos. Facies tamen lentius nec niſi in progreſſu, marceſcit & immutatur, quia vaſcula ibi paulo majori flexibilitate gaudent, nec liquida quibus irrigantur, tantopere vitiari poſſunt, ut incumbentem cutim defœdent, niſi jam provecto morbo, firmus hæreat viſceribus infarctus, ductibuſque ſecretoriis compreſſis, aut alia quacumque ratione obſtipatis, pravis & excrementitiis particulis conſpurcetur ſanguis.

Sitis, Tuſſis.

147. Siti premitur Tympaniticus; parciori enim, vel viſcidiori, vel acriori ſalivali ſucco fauces irriguæ areſcunt, fervidusque erumpens e ventriculo calor, ad eaſdem effertur obvia quæque humida magis abſumens, unde ſitis. Tuſſim patitur, ob irritatos & quaſi convulſos nervos pneumonicos; convelluntur autem hi nervi propter eorumdem, cum gaſtricis & inteſtinalibus conſenſum, vel prop-

ter vellicationem aut distensionem ab acriori & crassiori lentescente sanguine inductam.

Febris.

148. Tympanitem ferme omnem, sed præsertim secundarium, individuo comitatu sequitur febris, quam quidem in præternaturali pulsus frequentia & celeritate sitam esse practici norunt. Ponit ergo velociorem & frequentiorem cordis contractionem. Hæc autem ibi ab acriori & sicciori sanguinis diathesi; præpedito ipsius per rigidiora & quasi spastice constricta vascula, libero commeatu; majori inter obicem & cor orta ejusdem collectione; vehementiori ab arteriis venisque validius quidem, non tamen ad ultimum usque gradum distractis ac tensis, ipsius expressione; celeriori ac breviori per patentiora vicina vasa, ad cordis thalamos remeatu; tandemque nervorum cardiacorum tensione nimia, aut impensiori spirituosi liquidi, per eosdem affluxu, repetenda videtur.

Pulsus durus & tensus.

149. Unde vero tanta in Tympaniticorum pulsu durities & tensio? quia aridæ, tensæ, rigidæ, densoque san-

guine plenæ arteriæ tunicæ maxime renituntur, & duri corporis adinstar, in explorantem digitum impingunt. Hinc in acutis partium omnium nervearum ac membranearum affectibus, sicut & in hoc nostro membraneo-nerveæ fistulæ convulsivo malo, familiare est symptoma illud.

Stranguria, Ischuria.

150. In confirmato Tympanite, a proximis intestinis ad vesicæ collum usque, nervorum communione, spastica propagatur constrictio, quam fovet provehitque tunicæ nerveæ a salsiori & mucum eradente urina, indesinenter illata vellicatio; unde ægre diducto sphinctere vesicæ, guttatim stillat urina. At nonnunquam forte ad symptoma illud, præprimis confert immanis intestinorum turgescentia veram peritonæi lamellam deorsum extrudens, & ad vesicæ cervicem, compressionem ferens. Quandoque tamen omnimoda adest urinæ suppressio, pressione scilicet, aut inflammatione, aut strictura penitus præcluso vesicæ sphinctere; aut renibus viscida, mucosa, tartarea materia infarctis, vel spastice occlusis, vel tandem ingenti tumentium intestinorum pressu arctatis.

Ascites.

151. Tympaniti jungitur Ascites, vel ratione superius tradita (118. 119.), vel potius quia a ventriculo & intestinis Flatu turgidis, aut ab ipsomet aere claustris abdominalibus concluso, tum & ab obstructis tumidisque persœpe visceribus, hepate puta, mesenterio &c. sanguineæ venæ, vasaque lymphatica bartholiniana, arctantur; unde lympha sursum remeare, ac venoso sanguini remisceri impos, regurgitat infra obicem, vasa sua plus æquo dilatat, tendit, dilacerat, tandemque ex his sauciatis, ubertim assidueque profunditur. Verosimiliter aliam ob causam accedit hydrops, quia nempe, cum lympha per compressa vasa commode reduci nequeat, non ea proportione resorbetur halituosus humor in partium cava effusus, qua ab exhalantibus fistulis suppeditatur. Ideo autem infarciuntur hepatis, mesenterii, aliorumque viscerum vasa, quia præcipue rigida & constricta, sicciori ac tenaciori liquido alluuntur, & a prementibus ventriculo & intestinis, eorumdem magis adhuc angustatur diameter. Quare vero dyspnœa, anxietas, vomitus, ileus, viscerum prolapsus vel morbosa cohæsio, aliaque plura super-

veniant, ex prædictis (130. 132. 137. 138.) ſat liquebit.

152. Huic tandem capiti, pro coronide, Tympanitis hiſtoriam ex medicis Societatis Edimburgenſis Obſervationibus deprompram apponere, brevemque ejuſdem epicriſim adjicere juvat; varia namque ac ſtupenda complectitur phœnomena, quæ congrue elucidata, theoriæ noſtræ non parum illuſtrandæ favebunt.

OBSERVATIO TYMPANITIS, AB ALEXANDRO MONRO PROFESSORE ANATOMICO IN UNIVERSITATE EDIMBURGENSI, ET E REGIA SOCIETATE (*i*).

Puella quædam margarita dog dicta, 22 annos nata, menſe Januario anni 1729, febre tertiana obſeſſa fuit ad cujus curam, non probata medicamina, at plebeia, obſoleta, & pleraque vehementiora, ab obviis non paucis prædicata, in uſum adhibuit, ſed inter coetera, liberalem aquæ vitæ copiam, nec non piper in ce-

(*i*) Obſervarion ſur une Tympanite, par M. Alexandre Monro, Profeſſeur d'Anatomie en l'Univerſité d'Edimbourg, de la Société Royale, tirée des Eſſays & Obſervations de Medeciné de la Société d'Edimbourg, Ouvrage traduit de l'Anglois, par M. Demours. Tom. premier.

revisia dulci calefacta solutum, cujusdam suasu, hausit: unde febris intermittens in continuam conversa, quæ violentissima cum delirio comite, per aliquot dies sœviit: hanc desinentem excepit intermittens, numerosiori accessionum bis, ter, aut quater in die, imo & quinquies ingruentium agmine stipata. Iterum falso jactata specifica, ad eam abigendam promiscue assumpsit. Pertinaciter interim viguit febris ad augustum usque, quo tempore nonnullis corticis peruviani dosibus fugata fuit. Post hujus medicaminis usum, doloribus acutis in lumbari regione & abdomine conflictata est, qui versus os ileum dextrum incipientes, ad ventriculi regionem & latus sinistrum protendebantur, torminibus, borborygmis, & ventris inflatione comitati; aliquot hebdomadarum spatio, tremor, calor, & sudor, in uno crure, successive eadem hora quotidie contigerunt, licet ab omni febris intermittentis symptomate aliunde immunis esset ægrotans. Non mitescentibus doloribus, magis ac magis intumuit abdomen, & brevi quandoque in maximam molem attollebatur, ac postea nulla facta evacuatione, gradatim detumescebat; semper tamen solito turgidior manebat. Sub hyemis ingressum,

rectius se habuit, & ab hisce infensis symptomatis, fere penitus sublevata fuit. Verum appetente verno tempore, abdominis cruciatus & intumescentia recruduerunt; & postquam infaustum hunc statum, per aliquot septimanas, misere sustinuisset; medico & chirurgo nosocomii Edimburgensis, curandam se obtulit, quibus annuentibus, ibidem excepta fuit, 24ª. die mensis martii 1730.

Morbum ipsius hæc comitabantur symptomata. Constans erat imi ventris turgescentia, quandoque ita portentose ingravescens, ut crepaturam minaretur, & respirationem summopere inhiberet; deinde paulatim sine ulla evacuatione, major ille subsidebat tumor, qui non præfixo sed incerto tempore accidebat. Cum detumuerat venter, sub tegumentis, inæquales, prominentes, hinc & inde ad latera præsertim dispersi tumores non pauci, tactu percipiebantur. Non infirmus erat ventriculus; non siti premebatur ægra; urinæ copia potus quantitati respondebat; maxime adstricta erat alvus; ab aliquot mensibus, consuetum ordinem non servabant catamenia; nullo œdemate turgebant crura; nec ulla alia parte dolebat patiens. In principio ipsi

exhibita fuere cathartica, & per intervalla iterata, quæ ſatis quidem alvum moverunt, paucos vero aut nullos Flatus elicuerunt, ac nullam fere mutationem abdomini attulerunt. Cum menſtrualem fluxum male procedere retuliſſet, & ſuſpicio eſſet primas vias copioſa pituita turgere, præſcriptæ fuere aliquot panaceæ doſes, quæ nullum fere effectum præſtiterunt. Duobus menſibus ſequentibus, aut anti-hyſterica ſola, aut catharticis nupta, largiori doſi & conſtanter ingeſſit. Univerſo abdomini admotum fuit emplaſtrum anti-hyſtericum, ibidemque ſemper detinuit, & ſemel aut bis ſemicupio immiſſa fuit; quæ quidem omnia remedia, ſine ullo apparente ſucceſſu uſurpata, itaut remiſſiones mali, nulli ex his tribui poſſent; licet enim biduo aut triduo, quinimo non ſemel per novem dies, ita immaniter non turgeſceret venter, duri tamen illi & tenſi tumores, tactu judice, non penitus evaneſcebant; adſtricta erat alvus, nullus erumpebat Flatus, & quæ ipſi prodeſſe vibebantur in uno tempore, ſequenti paroxyſmo, nullam opem ferebant; ex quo in noſocomio degebat, bis tantum prodierant catamenia 17ª ſcilicet Maii, & 4ª Junii. Per totum illud tempus, nonnulla con-

tigere, quæ in nosocomii diario, litteris consignata, & maxime notatu digna.

1°. Cum ita insigniter attolleretur venter, pluries de capitis dolore conquesta est; alias qua proportione subsidebat intumescentia, in omnibus corporis sui partibus, dolores passa est; alio tempore, vertigine correpta fuit; bis nauseâ & vomitu afflicta, & ultima vice, bilem viridem rejecit; semel etiam intumuit ventriculus, reliquo detumescente abdomine.

2°. Dum proruperunt catamœnia, non intumuit venter, sed dum cohibita fuere, in ingentem molem evectus fuit.

3°. V. S. et emetica quæ in usum vocata, ad urgentiora quædam symptomata depellenda, nullum sensibilem ratione morbi præcipui ediderunt effectum.

4°. Nullus per inferiora Flatus emissus; pauci per superiora explosi, paulo antequam pro prima vice erumperent menstrua. Paululum ante ultimam eorumdem eruptionem, catharticorum parcior fuit usus, & antihysterica fortiora, ut assa fœtida, oleum fœtidum Corn. cerv. &c. cum sapone mixta, largiori dosi exhibita, quin imo frequentius iterata fuerunt, ipsisque adjuncta calidiora antiscorbutica, raphanus rusticanus recens, zimziber &c. infusa in forti cerevisia

visia sine lupulo, cum marte. Validæ ac frequentes institutæ fuerunt frictiones, in spina dorsi & extremis partibus, necnon modicum præscriptum fuit exercitium. Priusquam profluerent menstrua, clysteres injecti fuere ex supradictis medicamentis concinnati. Copiose satis stillavit menstruus sanguis, at statim ac fluere desiit, abdominis peripheria quatuor pollicibus & dimidio amplior evasit, & brevi detumuit, tuncque dolores aliquot sensit ægra, qui erumpente modico sudore evanuerunt. Eadem die vigesima quinta Junii, primum strepuerunt borborygmi, & cum sero tincturæ sacræ haustum sumpsisset, sequenti die, paululum cruoris per alvum ejecit. Tunc etiam primum observabantur hæmorrhoides, quibus olim vexata fuerat. Duplici sequenti die, cum adhuc saponacea, antihysterica & antiscorbutica usurparet, tantam supra & infra Flatuum copiam emisit, ut ex ægrotantibus, præ immani fœtore, in eodem cubiculo, nullus manere potuerit, nec nisi ægre vicina licuerit ipsis loca incolere. Maxime decrevit ventris moles, & mollior evasit quam erat ante primum morbi insultum. In eorumdem remediorum usu perstitit, haustum syrupi de rhamno cathartico idemtidem assumendo, sola

martis dosis adaucta. Feliciter successit Flatuum eruptio, & quamvis aliquandiu intumesceret venter, sufficiens fuit virium robur, ut ancillæ nosocomii tunc ægrotantis munus obiret. Ibidem diu, hoc munere functa, prædicta medicamenta semper in usum adhibuit, quousque per duorum mensium spatium, ab omni morbi reditu prorsus immunis esset. Ab hoc tempore optima potita est valetudine, licet e Xenodochio, famulæ nomine, in aliam domum migraverit, in qua pravis alimentis vescens, nudisque pedibus incedens, valde ærumnosam degit vitam.

Prædictæ historiæ Elucidatio.

153. Latine & adamussim prodita fuit hactenus, Tympanaticæ Edimburgensis historia, Anglice primum, Gallice dein conscripta; quæ nunc paucis sic enodanda. Tertianam febrim, quæ unanimi veterum omnium Medicorum consensu, biliosis accensetur affectibus, præpostero & empirico calidiorum medicaminum usu, potissimum in juvenili corpore, brevi in continuam abiisse non mirum. Hæc autem ad intermittentis typum reversa, sed numerosa accessionum caterva, continuæ indolem quadamtenus adhuc sapiens, V. S. diluentibus,

anodynis, mitioribus catharticis, tandemque cortice peruviano fuganda erat: verum hac prorſus neglecta prudenti methodo, jam infeliciter experta iterum uſurpata fuere vehementiora remedia, tandemque diu poſt, exhibito abſque cautelis præmittendis peruviano cortici ceſſit febris. Tot ergo validiorum & acriorum medicaminum aculeis, necnon corticis amari & ſubadſtringentis attactu, vellicata, puncta, irritata alimentaria fiſtula, ſpaſmodicam contrahere debuit ſtricturam, torminum, borborygmorum, & ventris inflationis fœcundam matrem. Inde prima mali Tympanitici labes. Accedente autem brumali frigore, fervidior placatur humorum æſtus; magis arctatis cutaneis ſpiraculis, parcior manat e corpore inſenſilis halitus; uberiori proinde ſeroſi & aquei humoris affluxu, ſicciora prius & ferventia chylopoietica viſcera proluuntur & humeſcunt: hinc remittentibus cauſis, morbi lenimen. At vero non hic grata vice veris ſoluta fuit hyems; vernis enim calor paulo pacatiora commovit liquida, adſtrictos reſeravit cutis meatus, liquida ad corporis peripheriam copioſius duxit, ac per patentiorem viam excluſit, ventriculum & inteſtina ſiccavit, ſicque nondum ſopitum facile renovavit affectum.

Hæc vero jam constans Tympanitica intumescentia, tam immaniter quandoque increscebat, quia jamdiu contracta generis nervei habituali nimiaque tensione; aut propter causarum antecedentium majorem energiam, aut ob aliarum vel etiam leviorum accessum, Flatus coercens strictura validior erat, vel rarefaciens intendebatur calor, vel tandem contenti aeris adaugebatur summa. Ideo autem citra excretionem ullam, ingens hic subsidebat tumor, quia vel paulo remissior erat constrictio; vel rarefactio mitescebat; vel ad certum usque gradum expanso aere, ipsius ab halituoso vapore infringebatur elater; vel tandem quia distenti tubi renixu, vehementer repulsi Flatus, chyliferos ductus nisu suo elastico partim subibant, & ad sanguinem usque commeabant. Ex hac Flatulenti aeris in sanguinis lacum migratione, forteque consimilium particularum ibi latentium evolutione & associatione, ipsiusque tandem vehementi in laxam ac debilem cellularem abdominis membranam impulsu, nascebantur haud dubie, post detumescentiam conspicua in imo ventre minora emphysemata. Num breviori via, permeando scilicet intestinales tunicas, aliasque vicinas partes, Flatus e primis

viis, in abdominalia integumenta ferri potuit? Conjecturam hanc suaderet jam relata observatio (122) tumorum Flatuosorum parti intus dolenti respondentium. Id tamen vero non admodum simile arbitramur, licet tanquam impossibile statuere nefas sit. Profusiori manu statim porrecta cathartica, subjunctusque panaceæ usus, alimentarii ductus ariditati & ardori fomitem præbuere. His ergo non mitiganda, sed firmanda magis erat ægritudo. Ex ipsa morbi indole, ac diuturnitatis tædio, sœvisque cruciatibus, sensim nata hysterica intemperies, firmiusque stabilita stricturæ & distensionis pertinacia. Unde antihysterica ipsamet vix sensibile attulere levamen, nec mirum, cum acriora essent, & purgantibus minus recte juncta, non caute ac solerter, sed tumultuarie usurparentur. Nec opem ferre potuit semicupium, licet hic non unica ratione satis congruum; quod enim semel tantum vel bis adhibetur, in hujusmodi chronicis affectibus, plerumque non prodest.

Capitis dolor, cum insigni ventris turgescentia ingruens, a vasorum abdominalium pressione & strictura, uberiori sanguinis ad cerebrum appulsu, necnon a validiori totius generis nervei succussione

natales duxit. Cruciatus autem corporis universi, & vertigo ea proportione succedentes, qua detumescebat venter, nullam certe potiorem agnovere causam, quam Flatum qui a tunicis intestinalibus valide repressus & in lactea vascula violenter intrusus, statim ac sanguini affusus, ibi novo calore æstuans, & accuratam ipsum quasi sepelientem miscelam pati indocilis, pernici rabidoque turbine, in exiles totius fere corporis canaliculos, aut data proniori via, in ophtalmicos ductus irrupit. Ideo vero, reliquo subsidente abdomine, semel intumuit ventriculus, quia forte a renitentibus intestinis, per pylorum vel vi, vel sponte apertum, in ventriculum compulsi fuere Flatus, obserato interim superiori orificio. Morbum magna ex parte fovebat sanguinis uberior semper in juvenili puellarum ætate copia, & in abdominalia vasa præprimis irruens: libere igitur stillante periodico catameniorum profluvio, immanior præcaveri debuit ventris intumescentia; hoc autem salubri cohibito fluxu, a superfluo sanguine in mesenterica vasa resiliente, tumorem abdominis intensius multo provehi proclive erat; nec stupendum prodiisse tunc hæmorrhoides, & medicamento quodam sollicitatam alvum, aliquan-

tillum cruoris fudisse. Verum jamdiu convulsive angustatis nonnullis tubi alimentarii partibus, aliis autem immaniter distentis ac debilitatis, hæc firmata erat inæqualitas toni, quæ pertinacem constituit Tympanitem. Quo pacto igitur prædictis remediis, hæc diuturna ac dira feliciter depulsa fuit ægritudo? Antihysterica & saponacea, oleosis blandis ac vaporosis particulis spasmos leniere, aerique violentius rarescenti injecere frœna; sed & præterea simul cum antiscorbuticis & marte, moleculis quibusdam salinis, rigidis & acribus, comparem universo alimentario ductui vellicationem inferendo, æquabilem in eodem peristalsim revocarunt. Nec ad integram Flatulentarum sordium expulsionem, alvum jamdiu segniorem, acri quodam cathartico, ut spinæ cervinæ syrupo, idemtidem paulo fortius lacessere, incongruum fuit. Frictionibus tandem, modicove exercitio, æquabilior fuit totius generis nervei motus, & stagnantibus præsertim in abdomine liquidis calcar additum. Sic faustis satis auspiciis, restituta puellæ sanitas, his suffragantibus subsidiis, sed magis adhuc vegeta & quasi athletica favente ægrotantis temperie; nisi enim de meliori luto finxisset ei præcordia sum-

mus rerum omnium opifex, dubio procul, tot incaute adhibitis medicamentis fracta corruisset.

CAPUT QUARTUM.

DE FLATULENTORUM AFFECTUUM DIAGNOSTICIS SIGNIS.

154. FLatulentos omnes morbos, superius tanta cum sedulitate ac sollicitudine descripsimus (*a* 3. ad 33.), ut ulteriorem hic disquisitionem exposcere non videantur: quædam tamen adhuc adjungere suadet muneris nostri ratio.

DIAGNOSIS CAUSARUM,

Et primo ventriculi & intestinorum saburræ.

155. Primum igitur peculiares notas exhibere congruit, quibus variæ antecedentes & conjunctæ causæ deteguntur. Nec frustraneam, sed utilem navabimus operam. A pravis primarum viarum succis, affectum oriri indicant gravitatis ac plenitudinis sensus in ventriculo aut intestinis,

nis, aut in utrisque simul; inappetentia; nausea frequens; vomitus non quidem violentus, sed satis mitis, præsertim post epulas; cardialgia; fœces liquidiores; diarrhæa; vitiosus, acidus scilicet, amarus, nidorosus, empyreumaticus, putridus, aut fatuus oris sapor; lingua albicante ac mucosa, nonnunquam flavescente materie obducta; grave corpus & hebes; major post pastum molestia; ab inedia & evacuante remedio juvamen; cognita tandem ex ægri vel adstantium relatu, prævia ciborum præsertim crudorum ac tenacium ingurgitatio.

Signa Flatuum a simplici alimentorum solutione.

156. Si sedulo expensa ingestorum natura, ea uberrimo aere scatere, paucissimisque sulphureis & acidis particulis pollere (58. 4°.), perstante interim nativo ac vegeto in organis & menstruis omnibus chylopoieticis robore, notum sit; Flatus a sola aeris per simplicem solutionem extricatione nimia sobolescere exploratum erit.

Effervescentiæ Indicia.

157. Si hujusmodi assumpta fuisse corpora noverit Medicus, quæ sibi confusa facile effervescunt; aut si acido tur-

gentibus primis viis, alcalina ingesta fuerint; vel si liquidis digestivis alcalinam indolem sapientibus, aut latente in ventriculo mucosa quadam, gypsea, & quasi terrea materie, certa tantum copia hausta fuerint acida; sed præcipue si bina Effervescentiæ obnoxia, ubi mox commixta actu fervent & ebulliunt, devorata fuerint, Flatus ab Effervescentia (60.) pronasci merito asseretur.

Fermentationis Notæ.

158. Assumpta farinosa, pulposa, acido-dulcia, ut fructus horæi, aliaque in Fermentationem prona; fibrosæ compagis in primis viis debilitas; infantilis ætas; ructus acidus, ventriculi morsus, saliva acida, fœces alvi acidum spirantes; pallor, frigus; Flatus Fermentationis (61.) progeniem esse perhibent.

Diagnostica Putrefactionis Signa.

159, Comesta vero alimenta in Putredinem proclivia, eorumdem stagnatio aut agitatio nimia, ob viscerum chylopoieticorum torporem, vel violentiorem motum; æstus ingens, sitis, ructus amari, nidorosi, putridi, prostratus appetitus, ciborum carnium præsertim horror, os & lingua foetido amarescente cœno con-

ſpurcata, nauſea, putrefactæ ac bilioſæ materiei vomitus, aqueorum & acidorum ardens deſiderium, juvamen denique ab eorumdem largo uſu; Flatus a Putrefactione (62.) manare, certo & indubitanter arguunt.

Caloris æſtuantis Diagnoſis.

160. Signorum quibus aliæ declarantur cauſæ, abſentia; prægreſſis aut præſentibus, quæ Calorem parere vehementiorem notavimus (82); calida temperie; ardente ſyrio; æſtu per univerſum corpus diffuſo, ſed præcipue moleſto ipſius in præcordiis ſenſu; fervido halitu; oris & linguæ ſiccitate, aſperitate, ſcabritie; ſiti; urina flammea & acri; pertinaci alvi adſtrictione; fœce arida & aduſta; lenimine a refrigerantibus, læſione a calidis; Flatus a ſolo fervidiori Calore (59. 82.) ſubnaſci edocemur.

Spaſmodicæ Conſtrictionis (68) *Signa.*

161. Nimius ac diuturnior quorumcumque acrium uſus, effrænata animipathemata, curæ ac ſollicitudines, verbo prægreſſæ aut præſentes cauſæ omnes (a 70 ad 79.) enumeratæ; temperamentum calidum, ſiccum, cholericum aut atrabilarium; mens vivida acris & per-

ſpicax ; cerebrum ut & ſyſtema nerveum maxime mobile ; paſſio hyſterica vel hypochondriaca ; ſœvi cruciatus, tormina, ſtricturæ ſenſus, obſtipata alvus, fœx ſicca & convoluta, aquea & limpida urina, pulſus durus & tenſus, frequens Flatuum ad gulam uſque recurſus, cum ſtrangulationis ſenſu; levamen ab anodynis & antiſpamodicis, noxa demum ab irritantibus ; Spaſmodicam Conſtrictionem, tanta cum ubertate Flatus cientem certiſſime produnt.

Redundantis Sanguinis & Spaſmi Plethorici (79) *Indicia.*

162. Ab uberiori ac lenteſcente in meſentericis vaſis Sanguine, inteſtina anguſtari ; notum faciunt ſanguineum temperamentum, ſoliti exercitii intermiſſio, vita deſes & ſedentaria, conſuetæ ſanguinis ventilationis omiſſio, victus lautior, roſeo colore picta facies, pulſus plenus, conamina hæmorrhoidalia, ſiccæ & dolentes hæmorrhoides præcipue internæ, earumdem fluxus citior cohibitio, aut menſtruæ purgationis ſuppreſſio, colica hæmatites, pertinax alvi adſtrictio, hypochondrii dextri tenſio, hepatis tandem aut aliorum viſcerum obſtructio. Hic advertere par eſt, non hæc

omnia ſigna ſemper concurrere ſimul ad exuberantem ſanguinis copiam promendam; quod & de aliarum cauſarum traditis, aut mox tradendis diagnoſticis notis intelligendum.

Atoniæ ſeu Laxitatis (85) Diagnoſtica Signa.

163. A ventriculi & inteſtinorum Flacciditate & inertia, Flatus exoriri teſtantur, puerilis ætas; temperies frigida, pituitoſa, cachectica; aquea, oleoſa, pinguia uberius ingeſta; mollior ac ſegnior vita; humida regio; conſimilis aeris conſtitutio; antegreſſæ ægritudines humani corporis robur exſolventes, aut aliæ quæcumque cauſæ ſupra expoſitæ (85); debilitas, torpor, inappetentia, pondus in primis viis poſt epulas, alvus non adſtricta, fœces plerumque ſat ſolutæ non aridæ, non ſubitanea & violenta, ſed lenta ſatis ac difficilis Flatuum eruptio, ſuperveniens nonnunquam diarrhæa, moleſtus torpidæ inflationis potiuſquam ſœvi doloris & ſtricturæ ſenſus; tandemque carminantium moderate calidorum ac tonicorum auſpicatus, laxantium, anodynorum, & paregoricorum prorſus infelix effectus. Glutinoſum pingue, in primis viis aggeſtum arguunt pleraque ex his

ſignis, quibus magis propria addenda ſunt, victus nempe ex farinoſis crudis & viſcoſis prægreſſus; fluxilior humorum pars per uberiorem quampiam excretionem difflata; repletionis ſenſus, alvus tarda & tumens, craſſæ ac pituitoſæ materiei vomitus aut egeſtio; faciei albedo, pallor, tumor; urina cruda, excolor, vix olens; & ſaliva lenta ac viſcida.

Spaſmi & Laxitatis ſimul occurrentium Diagnoſis.

164. Spaſticam ſtricturam Laxitati comitem adjungi, enarrant cauſarum utrique huic inferendo vitio parium (a 70. ad 79. 85. 102.), concurſus, aut alternus acceſſus; ingens ſymptomatum anomalia, nonnulla ex mox deſcriptis (163.) quæ una cum pleriſque aliis (161) occurrunt, aut quæ ſeſe mutuo excipiunt; v. g. modo vigens, modo languens appetitus; lenta modo ac tacita, præceps nunc & ſtrepens Flatuum emiſſio; conſtrictionis dirique doloris ſenſus in una parte, cum torpore & moleſta turgeſcentia alibi perceptus, aut ultimum illud priori ſuccedens; alvus modo laxa modo ſtricta, & cætera id genus irregularia phœnomena. Hanc tamen ſingularem Spaſmi, flaccidæque Atoniæ ſocietatem, rectius, tutiuſque declarant diutina ac præfracta affectionis contuma-

cia, qua habitualis haud dubie contracta fuit toni inæqualitas (102. 4°. 5°.); summa illam depellendi difficultas, propter immanem obversantium indicationum discrepantiam; carminantium denique tonicorum & stomachicorum, vel anodynorum & paregoricorum, si seorsim, infaustus, si simul exhibeantur, satis salubris effectus.

DIAGNOSTICA COLICÆ FLATULENTÆ SIGNA.

145. Colicam Flatulentam in ventriculo sœvire, arguunt dirus in hujus regione dolor, præcordiorum anxietas, intumescentia circa cordis scrobiculum ad tactum sæpe manifesta, difficilis respiratio, pectoris oppressio, luridus plerumque aspectus, constrictæ fauces, cordis palpitatio, animi deliquium, syncope quandoque & extremorum frigus, scotomia, ingens ructus desiderium, necnon crebra eructatio, qua placatur semper, solvitur non raro affectus.

166. In gracilibus intestinis Colicam Flatulentam sedem obtinere retegitur, per borborygmos, dolorem ac turgescentiam in umbilicali regione, vel in proximis partibus urgentem, alvi obstipationem, aliave plura jam descriptis (165)

fere ſimilia minus tamen ſœva ſymptomata, ac demum Flatuum tum ſurſum, tum deorſum exploſionem, quâ morbus utplurimum abigitur. Craſſiora inteſtina affici, demonſtrant dolor cum intumeſcentia, ab uno latere in aliud latus, quaſi circumvoluendo proſerpens, ſed præcipue in ſiniſtra coli flexura, ſub liene ſœviens, alia ſymptomata ſed mitiora, tandemque Flatuum per inferiora emiſſio, malum plerumque depellens.

Flatulentiæ diagnosis.

167. Ubi maxima cum ubertate ac frequentia, ructus, borborygmi, crepitus, meteoriſmus, tormina, aliaque Flatulentæ proſapiæ mala cooriuntur; ibi Flatulentiam (8) adeſſe, firmus aſſeverabis: nec aliud quidquam, circa affectionis hujus ſic generatim ſumptæ diagnoſim placet addere, utpote quæ jam ſuperius (8. 98.) ſufficienter elucidata fuerit. Nec magis congruum videtur, peculiares ibi indigitare notas, quibus inter ſe diſtinguuntur tres Flatulentiæ ſpecies: cum enim prior (9) laxitatis ſit ſoboles (100); ſecunda vero ſpaſmodicam ſapiat indolem (10. 100.); tertia tandem ab utriuſque cauſæ concurſu pronaſcatur (11. 100. 101.); triplicem hanc

intricatam quidem diagnosim, mox in prægressis (161. 163. 164.), quantum penes nos fuit, enodavimus.

TYMPANITIS SIGNA DIAGNOSTICA.

168. Genuina quæ instantem Tympanitem præsagiunt aut jam præsentem comitantur phœnomena, diligenter & graphice, prout licuit nobis, depicta sunt (a 19. ad 33.); quamobrem ea rursus hic adducere, supervacaneum est. An vero in ventriculo & intestinis, vel in abdominis cavo recondita lateat illa Flatuum collectio, sic hariolari poteris.

Tympanitis Intestinalis Indicia.

169. Si colicus dolor, tormina, borborygmi, idemtidem aut etiam sœpe insurgant; si sat frequens sit sursum ac deorsum Flatuum expulsio, momentaneum inferens levamen, & ad hanc promovendam fere continui edantur nisus; si tanta sit ventris adstrictio, quæ iteratis clysteribus, & catharticis potibus vix submoveri patiatur; si contingens hæc alvi expurgatio saltem leviter sublevet ægrotantem; si prægressi fuerint affectus in alimentario tubo sedem obtinentes, ut colica Flatulenta, ructus, inappetentia, alvi constipatio, meteorismus, Flatu-

lentia &c. Tympanitem intestinalem esse, merito conjicies.

Tympanitis Abdominalis Notæ.

170. Verum si cruciatus non tam abdominis interiora quam exteriora obsideat; si frequenter non strepant borborygmi, nec sœpe quaquaversum extrudantur Flatus; si hæc explosio ne vel leve malorum inducat lenimen, nec eamdem ciere annitatur æger; si non maxime adstricta fuerit alvus, nec difficile admodum purgantium & enematum usu laxetur, at semper sine ullo ægrotantis solamine; si tandem non alimentariam fistulam, sed alias partes conflictarint prævii morbi; Flatus in abdominis cavo delitescere, seu Tympanitem Abdominalem esse, maximus erit existimandi locus: & pleraque ex his observare contigit in Tympanite Abdominali, cujus superius curiosa delineata fuit historia (28.). Si portentosa fuerit ventris intumescentia, tumeant extrema & Tympaniti junctus sit ascites, illum potius Abdominalem quam intestinalem esse suspicandum. Asserit Carolus Delafont, (*k*) in Tympanite Abdominali, multo magis sensibilem & evidentem esse percussi abdominis so-

(*k*) Dissertat. de Tympanite cap. XII. pag. 202.

nitum, quam in inteſtinali; quod quidem veritati congruum cenſemus, præſertim ſi ſincero tantum nec ſeroſi aut alterius liquidi miſcela fracto & fœdato Flatu, extuberet peritonæi cavum; tunc enim proximior aer, fortius æquabiliuſve omnia abdominis clauſtra tendere debet: & præterea quamvis aſciti nuptus ſit Tympanites, aquis infra ſtagnantibus levior ſublimiorque aer, peritonæum immediate attollit, ut annotavimus in Tympanitica muliere, cujus ſectum fuit cadaver, cujuſque & ante & poſt mortem, percuſſus maxime reſonabat venter (28.). Licet autem ſollicite relata fuerint ſigna omnia quibus Tympanites Abdominalis ab inteſtinali diſtingui poteſt, hæc tamen ſeorſim ſumpta, valde, collecta ſimul, minus æquivoca & incerta eſſe fatendum. Unde manet adhucdum obſcura hæc diagnoſis, eamdemque felicioribus aliis ulterius elucidandam relinquimus.

Tympanitis Abdominalis ſimul & Inteſtinalis ſigna.

171. Hinc etiam Tympanitem partim Abdominalem, partim Inteſtinalem, certo dignoſcere, ſumme arduum, ne dicam impoſſibile. Si tamen deſcripta Inteſtinalis ſymptomata (169.) primum

exurgant, diuque satis sœviant, deinde vero alia Abdominali magis propria accedant (170), hunc alteri adjunctum fuisse, conjicere non asserere fas est. Rarus admodum concursus ille: abdominalem interim intestinali succedere facilius, quam intestinalem abdominali; & illud ultimum forte nunquam fuit observatum, quamvis rem ita contingere nil absolute repugnet.

Tympanitis ab Emphysemate nati Diagnosis.

172. Inæqualiter tumens abdomen, morbum ab interno viscerum Emphysemate foveri denotat. Eamdem causam potiusquam aeris in imo ventre collectionem, hanc magis quam Flatum in alimentario ductu coercitum, arguunt Flatuosi extus in abdomine conspicui tumores; quamvis cum intestinali Tympanite hos occurrere posse comprobent binæ jam supra allatæ observationes (122. 152.). Hujusmodi tamen externa Emphysemata, sed præcipue Pneumatocele seu Flatuosus testium tumor, & Pneumatomphalos id est ventosa umbilici prominentia, Tympanitem ab aeris in cellulari peritonæi textu coacervatione ortum certius produnt. Si tandem æquabilis

ubique, fere in postica æque ac in antica parte sensibilis, & ultra abdominis peripheriam protensa fuerit turgescentia, digiti pressu, Emphysematis instar, fremens ac strepens; jam spurius adest Tympanites in adiposa cuti subjecta membrana sedem habens.

Signa quæ Tympanitem ab Ascite Distinguunt.

173. Ex tradita Tympanitis historia (a 19. ad 33.) cuilibet perspecta erunt signa quibus ab Ascite discernitur; hæc tamen ibi luculentius exhibere præstat. In Tympanite potissimum tumescere incipiunt mediæ ac superiores ventris partes, in Ascite inferiores & laterales: in Tympanite levitas adest, in ascite gravitas: in Tympanite, alba, tensa, & elastica ventris cutis, pressa renititur, prompteque resilit; in Ascite pallida ac quandoque fere virescens, laxa & flaccida, prementi digito facilius obsequitur, lentiusve restituitur: in Tympanite auditur percutiendo sonus, in Ascite non: in Tympanite nullum Fluctuantis aquæ percipitur murmur; in Ascite vero, dum convertit se æger, sentitur; in Tympanite, ex vario decubitu, non mutatur forma ventris, in Ascite mutatur, nisi ad

ad extremum perductus sit tumor: pedum & crurum inflatio, nec non faciei pravus color Asciti magis quam Tympaniti junguntur: Tympanitici pulsus crebrior & durior, Ascitici vero minor & languidior est.

Notæ quibus Simplex Tympanites ab eo Distinguitur qui Asciti nuptus.

174 Ex his (173.) perspicuum fit discrimen, quod inter Simplicem seu a Flatibus solis oriundum Tympanitem, & cum Ascite junctum intercedit. In hoc ergo gravior, in illo levior est abdominis tumor; in hoc, ex corporis motu, quædam in ventre Fluctuatio, in altero vero nulla deprehenditur; in hoc plerumque minus sensibilem, in illo evidentem edit sonum percussus venter; in hoc pedum tumor œdematosus semper adest, qui in altero ut plurimum deficit; in hoc pressus venter lente attollitur, & aliquamtum temporis impressionem sæpe servat, in illo prompte restituitur, nullo unquam manente admoti digiti vestigio. Qui tandem complicata hac Tympanitis specie correpti sunt, difficilius spirant, majorem que ex decubitu molestiam persentiunt, quam Simplici Tympanite affecti, qui frequentius borborygmis & torminibus molestan-

tur. Ex iisdem signis, num ad ascitis vel Tympanitis naturam, morbus proximius accedat, comperies. Tympaniticæ affectionis causæ antecedentes & remotæ, per ea quæ superius in hoc capite explanata sunt (a 155. ad 165.), haud admodum difficile detegentur.

CAPUT QUINTUM.

DE FLATULENTORUM AFFECTUUM SIGNIS PROGNOSTICIS.

FLATUUM ERUMPENTIUM VEL OBERRANTIUM PROGNOSIS.

175. INter hujus familiæ morbos, hi cœteris certe mitiores sunt, in quibus vagus ac mobilis Flatus, per alimentarium tubum libere satis volvitur aut foras prorumpit; qui vero pertinaciter incarceratum detinent, ipsique exitum negant, aliis acerbiores merito judicantur. Quapropter Ructus, Crepitus, Borborygmus, ut leves nec ullum periculum minantes spectandi sunt, quin imo felici horum exortu, sæviores alii plerumque fugantur Flatulenti affectus. His

insolentior & multo gravior censenda est Cholera sicca, quæ sœvis stipatur symptomatis, acutissimi morbi seu choleræ humidæ naturam æmulatur, tandemque maximam cum Tympanite gerit affinitatem. Non solum ergo ratione sui, citam exposcit medelam, sed & etiam ut prævertantur exitiales morbi, in quos abire potest, nempe Tympanites, cholera-morbus, intestinorum inflammatio, ileus, &c.

FLATUS INTUS COERCITI, AC PRÆSERTIM COLICÆ FLATUOSÆ, METEORISMI, ET ANADROMES PROGNOSIS.

176. Verum periculi nunquam expertes sunt, qui ab intus retento Flatu sobolescunt affectus; sic Colica Flatulenta morbus est dirus ac truculentus, pluraque sontica mala, convulsiones, ileum, icterum, syncopem, vertiginem, imo & ipsam apoplexiam brevi accersere potest, nisi promptum afferatur subsidium: si tamen haud cunctanter impugnetur, satis facilem admittit sanationem. Sœpe recurrens Tympanitem minatur. In ea, tum superne tum inferne Flatus emitti bonum est; hac enim eruptione discuti solet affectus. Magis periculi portendit, quæ

quæ in ventriculo ſedem habet; deinceps quæ inteſtina tenuia obſidet; quæ tandem craſſiora afficit, cœteris facilius ſanatur. Meteoriſmus autem acutis accedens, medicum merito terret, utpote inſtantis aut naſcentis in abdomine inflammationis metum perſœpe ſecum afferens, vel Tympaniti quandoque viam ſternens. Nec contemptui habendus eſt pertinax Flatuum ab infima parte remeantium ad ſuperiora excurſus, qui cum alvi ſiccitate, affectionem hypochondriaco-Flatulentam præſagit aut individuo comitatu ſequitur; nam præterquam quod vomitum, Tympanitem, & ileum advocare valet, ſanguineis inſuper verſus ſuperiora congeſtionibus, gravibus tum pectoris tum capitis morbis, animi deliquio, palpitationi, cephalalgiæ, vertigini, imo & ipſimet apoplexiæ anſam præbere potis eſt. Si recens ſit, hunc tollere facilius erit, ſi vero per longas invaluerit moras, arduum opus.

FLATULENTIÆ PROGNOSIS.

177. Contumax eſt & ſumme moleſta Flatulentia, artem plerumque irridet & Medicorum tentamina vilipendit. Prior ſpecies, quæ ab inteſtinorum laxitate ortum repetit (9), altera ſpaſticæ ſtricturæ

progenie (10.) mitior eſt; utriuſque tamen curatio adeo fere intricatum medico faceſſit negotium. Quæ vero partim a ſpaſmodica conſtrictione, partim ab inteſtinorum atonia fluit (11), medicamentorum omnium vim utplurimum eludit, ac medentium crux eſt & opprobrium; quia dum languentem tonum reſtituere conamur, alibi validiorem magis adhuc intendimus; dum autem intenſiorem ſedare nitimur, alio loco torpentem ulterius labefactamus; & ſic utrique huic, oppoſitæ indicationi, ars ſimul & tuto parere nequit. Magis vel minus gravis cenſenda eſt Flatulentia, pro diverſa cauſarum antecedentium & procatarticarum vehementia ac pertinacia; ſic quæ hyſtericæ aut hypochondriacæ affectionis, vel ſanguinis in meſentericis vaſis ſtagnantis ſoboles eſt, multo contumacior ea quæ ab ingeſtis acribus, effrænatis animi pathematis, intempeſtiva refrigeratione natales ducit. Recens, ſi perite oppugnetur, medicamentis quandoque auſcultat; ſi vero ſatis altas radices egerit, his obſurdeſcere ſolet.

PROGNOSTICA TYMPANITIS SIGNA.

178. Utrum Tympanites Aſcite peri-

culosior sit, adhuc sub judice lis est. Id asserunt plures & quidem gravissimi Autores, ut Aetius (*l*) Tympanitem omnino periculosum, minus eo Ascitem pronuntians; Aretæus (*m*) Tympaniam ascite improbiorem dicens; Fienus (*n*) omnium specierum hydropis perniciosissimam imo lethalem vocans; Sennertus (*o*) inter omnes hydropis species periculosissimam affirmans; Willisius (*p*) morbum hunc adeo pessimi semper ominis esse scribens, ut vulgo ejus nomen abhorreatur, & si a Medico pronuntietur, illico conclamatum sit; Puerarius (*q*) tandem nunquam Tympaniticum se curatum vidisse testans. Huic sententiæ suffragantur Avicenna, Rondeletius, Forestus. Nec his impares militant in adversum, & Tympanitem Ascite leniorem esse contendunt, ut illustris Duretus (*r*) cui videtur Ascitem Tympanite calamitosiorem

(*l*) Tetr. III. Sermon. II. Princip. Medic. pag. 535. Tom. 2.

(*m*) De sign. & caus. diut. morbor. libr. II. Art. Medic. Princip. vol. 1. pag 36.

(*n*) De Flatib. Comment. novu. cap. 11. de prognost. Flat. pag. 85.

(*o*) Lib. 3. part. 6. Sect. 2 cap. 4. de Tympan.

(*p*) Tom. 2. Sect. 2. cap. 4. de Tympan pag. 148

(*q*) Not. in Thesaur. pract. Thom. Burner. Lib. 8. Sect. 2. subsect. 18.

(*r*) Annot. in suam enarrat. in cap. 39. Holler. de Hydrope, pag. 282.

esse, tum ratione causæ efficientis, tum ratione humoris morbifici, & partium obsessarum conditione, tum difficultate curandi; Jacchinus, & alii plures brevitatis ergo reticendi. Si litem tantos inter artis magistros jactatam, hic dirimere fas sit; æquo Caroli Delafont (s) judicio subscribemus, & cum ipso notabimus mox in Ascite, nunc in Tympanite, infensius hærere discrimen, pro varia scilicet causarum e quibus manat uterque, indole & gravitate; sic Ascites a viscerum schirro aut ulcere exordia ducens, Tympanite dubio procul acerbior censendus; si vero ab externa ac levi causa, ut a nimio aquæ potu, vel a recenti facileque fuganda obstructione editus fuerit, ut Tympanite mitior jure habendus. Verum id nemini dubium est, Tympanitem non secus ac Ascites, generatim contumacissimum, ac periculo plenum esse; illo enim sæpius pereunt quam servantur ægri, tum ob causarum hunc simul inferentium quasi habitualem pervicaciam, dissimilem indolem, & difficilem ablationem; tum quia tacito gressu subrepens hic affectus aliis morbis plerumque succedit, quin ipsius initia advertantur. Postremam hanc rationem a Willisio potissi-

(s) Disser. Med. de Tympan. cap. de sign. prognost.

mum adductam firmat experientia, priorem autem prævalido eodem fulcro innixam ſubolfecerunt nonnulli, pauciores aperte propoſuerunt, ut Sennertus qui ubi inſidioſum notat Tympanitis periculum, rationem hujus illico ſic adjungit, *quia partes intemperie, eaque ſicca & habituali affectæ ſunt, & plerumque etiam contrariæ intemperies concurrunt, &c.*

179. Primarius, recens, ſimplex, a cauſis levioribus ortus Tympanites debellari poteſt; ſymptomaticus vero, ad ſummum provectus, complicatus, & a cauſis validioribus concitatus medelam non ſuſcipit. Inteſtinalem abdominali minus periculoſum eſſe, huncque perſæpe proximum intentare exitium, ex dictis ſatis luculentum eſt, in priori enim datur adhuc erumpendi via; in altero vero vix ulla patet. Qui ab emphyſemate interno exordia ducit, curatu difficilis, abdominali tamen minus periculoſus eſt. Qui ab externo ſeu integumentorum Flatuoſo tumore pendet, omnium facillime curatur. Modo citius, modo tardius interimit Tympanites. Qui febrem continuam comitem habet, celerius in mortem deſinit, quam qui febre caret; æſtu namque febrili, vehementer non tantum Tympanitici aeris rareſcentia movetur, ſed &

præterea magis ac magis, ſubtiliori liquido exutum areſcit, quaſi torretur & exſolvitur corpus. Si diu duraverit, magna ex parte, ne dicam ſemper, lethalis; & nunquam ſic confirmatum Tympanitem a quoquam percuratum vidiſſe, ingenue perhibet Fienus (*t*); cujus rei anxie non inquirenda eſt ratio, utpote ex dictis dilucida ſatis. Nec diſpari ſœvitie pollet, corpori atrabilario ſuperveniens Tympanites, ex Sennerto (*u*); in illo enim, cum jam ipſi innata ſit tum ſolidorum tum fluidorum ſiccitas, ineluctabilis erit hæc arida, & ut veteribus placet, hectica inteſtinorum intemperies, quæ Tympanitem conſtituit, citiuſque exſiccabitur ac contabeſcet reliquum corpus.

180. *Denuntiato hydrope ſicco, ſi tormina fiant circa tenue inteſtinum, malum ingens*, inquit Hippocr. (*x*); hæc enim in Tympanitis primordiis exurgunt, & ejus prodromi ſunt, at morbo adoleſcente, ſenſim ſopiuntur, ut ſupra notatum; cum vero ſic ſopita recrudeſcunt, quid aliud arguunt, niſi pertinaciſſimam ac cedere neſciam ſtricturam Tympaniti

(*t*) De Flatib. Comment. nov. cap. de Tympan.
(*u*) Lib. 3. part. 6. Sect. 2. cap. 4. de Tympan.
(*x*) Coac, præn 9. cap. 19 lib. 2.

præbuisse natales, hancque derepente peculiari de causa, immaniter intendi, vel alia quapiam ratione, Flatulento ac coercito aeri, ingens elaterii accessisse augmentum; proindeque affectum fere insuperabilem esse. *Stranguria superveniens, malum*, ex eodem divino sene (y); nam hæc infausta semper epigenesi, & non nisi morbo ad summum perducto, accedit (150). Si igitur hæc duo, tormina scilicet & stranguria, maximaque anhelitus difficultas, tussis arida, sitis, virium lapsus, ingens abdominis expansio, anxietas summa, syncope, vomitus & ileus simul adsint, mors ostia pulsat. Quo plura ex his occurrent, eo proximius instabit, quo pauciora, eo remotior erit. Spurius tandem Tympanites, quem peperit venenum haustum, brevi necat ægrotantem, nisi protinus specificis & efficacibus subigatur auxiliis.

PROGNOSIS, PRO CAUSARUM DIVERSITATE, ET PRO MEDICAMINUM EFFECTU VARIA.

181. In Flatuosorum tandem omnium affectuum stabilienda Prognosi, causarum antecedentium semper habenda ra-

(y) Coac. 4. cap. 19. lib. 2.

tio. Sic v. g. qui ab assumptorum vitio originem ducunt, aliis a ductus alimentarii labe ortis, multo minus periculosi censendi sunt: possunt enim facili satis negotio, ingestorum sordes everri & eliminari, cum e contra vitium ipsismet ventriculi aut intestinorum tunicis inhærens, sive laxitas sive tensio nimia, aut aliud quidquam fuerit, pertinacius medicamentis obsistat & aliis gravissimis morbis ansam præbeat; quod recte a Galeno observatum & his verbis expressum fuit (z) *quippe symptoma quod ex cibis oritur ex facili corrigitur: quod autem ex ultimo virtutis incidit collapsu, in lienteriam aut Tympaniam hydropa finitur.* Nec in Flatulentorum affectuum Prognosi, contemptim habendus est varius medicaminum successus; sic v. g. si injecto clysmate proliciatur Flatus, dejiciantur fœces, indeque mitigetur dolor, optimum erit: si vero a constricto podice admitti nequeat clyster, aut admissus nec Flatuum nec fœcum excretionem moveat, malum. Qui igitur causarum genium, vim & energiam, adhibitorum medicaminum effectus, nec non variorum symptomatum indolem & gravitatem gnaviter expendet, futuros horumce morborum

(z) 3. De sympt, caus. pag. 25. c. class. 3.

eventus;

eventus, diversimode tutiusque pro re nata præsagiet.

Dogmata Hippocratica huc pertinentia explanantur.

182. Ex jam prolatis circa Flatuum causas, symptomata, diagnosim & prognosim, Dogmatum Hippocraticorum huc spectantium rationes elicere, haud arduum erit. Quod, singula seorsim enucleando, evincere pronum est.

In Febribus, Alvo inflata, Flatus non erumpere, malum (*a*). Jam supra notavimus, Febribus junctum Meteorismum per Alvum inflatam hic apte designatum, tanquam inflammationis internæ, aut coerciti ac rarescentis Flatus, aut sœpius adhuc utriusque simul indicem, semper metuendum esse. At pejor nunquam censendus est, quam ubi contumaciter perstans, ac retento Flatui exitum omnem præfracte negans, ingentem in intestinis ardorem, siccitatem, ac spasmodicam & inflammatoriam stricturam arguit; unaque plura movet aut minitatur symptomata, quæ jam infirmum corpus debili-

(*a*) Coac. Prænot. pag. 464. Litt. D Class. 3. edit. Mercurial. venet. apud Juntas. aut Coac. Prænot. 46. lib. 1. interpr. Ludov. Dureto, Lutet. Paris. in-fol. pag. 26.

tando, urgenti morbo vires addunt. Unde vel systrophica abdominis inflammatione, a sanguiductum compressione & a febris impetu nata, fato fungitur æger; vel si febre liberetur, ob firmatam in nonnullis fistulæ intestinalis locis spasticam constrictionem, & victum in aliis ejusdem tonum, Tympaniticus manet. Verum si facile ac expedite prosiliant Flatus, plerumque detumescit venter, & inflammationis aut Tympanitis avertitur periculum. Hic tamen diligenter advertendum, licet in febribus tumente alvo stipatis, ut & in Flatulentis omnibus morbis, Flatus libere prorumpere, generatim optimum sit; non Flatuum eruptionem quamcumque tanquam felicem spectandam esse. Non raro enim contingit, præsertim in colica Flatulenta, coercitum aerem nulla artis opera extrudi posse, tuncque subitaneam nasci gangrænam, cujus pedissequa fatalis laxitas, spasmos solvens ac dolores fugans, facilem Flatibus exitum concedet, qui idcirco ubertim sed serius prosilient. Ne tunc illudant tibi fallaces illæ induciæ, ad reliqua signa, pulsus nempe debilitatem ac inæquales ictus, extremorum frigus, faciem cadaverosam, anxietatem, syncopem, insignem ac putidum Flatus emissi fœtorem attende;

hæc ægrotantis mortem instare docebunt. Hac forte ratione, in sequenti sententia loquens Hippocrates de dolorum & tumorum ex hypochondriis, per borborygmos, crepitus, & alvi fluxus solamine, notavit recentia tantum hæc mala & inflammatione carentia sic levari.

183. *Tumores Hypochondriorum recens obortos, inflammationis expertes, & inde dolores natos solvit Borborygmus fremens sub Hypochondrio; maxime si aut ipse per se secedat, aut cum urinis aut dejectionibus; quin juvat is ipse, si modo descendit* (*b*). Aut vetus aut recens est Hypochondriorum Tumor; prior duritiem & gravitatem comites habens, dolore plerumque caret, & ab obstructione aut scirrho nascitur; vel torminibus, ructu, borborygmis stipatus, levis est, ac elastice renititur, & hydrops siccus vel Tympanites dici consuevit. Recens vero, si dolore & febre simul comitatus sit, inflammatorius est. Si autem nec gravis, nec durus, nec sociam secum ducat febrim, sed pensilis, levis ac sublimis doleat, Flatuosus est de quo disserit hic divinus

(*b*) Coac. 11. cap. 11. lib. 2. pag. 171. interpr. Ludov. Duret. aut Coac. Præn. 486. litt. A & B. class. 3 ed. Mercurial. eamdem sententiam habet Hippocrates Lib. prænotion. pag. 77. & 78. litt. D. & A. class. 1.

senex, & a restricto expansove Flatu ortus. Hunc igitur subsidere non mirum, si murmur in Hypochondrio fiat, quo scilicet laxari coercentia claustra, & ab insurgente natura, per intestinorum anfractus, ad infimam eorum partem, celeriter Flatum depelli edocemur. Nec tamen molestæ intumescentiæ perfectam expectare licet solutionem, si solus fremat Borborygmus; tunc enim nidulatur adhuc in corpore Flatus ipsius parens, quamvis ad inferiora provolutus. At de felici hoc effectu, non amplius dubitare fas erit, si audito murmure, paulo post per apertum podicem, exclusus a superna parte prorumpat Flatus; aut si, quod magis adhuc optandum, alvi dejectio sequatur, qua simul cum Flatuoso liquido, & fœces & noxii eliminentur humores; aut tandem, si partim per anum excludatur Flatus, partim vero in lactea vasa adactus, ad renes usque commeet, ac urinoso latici confusus profundatur. Rem sic contingere posse, nihil vetat; bullulæ enim aereæ, ab intestinis per chiliferas vias, elastico celerique impetu, in sanguinis oceanum migrantes, brevi ad renes usque cordi satis proximos, devehi possunt, nondum singulis purpurei liquidi particulis intime & ad minima in-

termixtæ, ſeu nondum penitus ſolutæ; unde ſerum cui facilius confundentur & innatabunt, pondere, elatere, ac motu ſuo urgebunt, & per patulum renale colatorium proſilientes, uberiorem promovebunt mictionem, & hac ratione diabetem aeri potiſſimum deberi arbitratus eſt Joann. Bapt. Mazino (*c*). Juvat tamen ſtrepere Borborygmum & ad infimas ſedes Flatum detrudi, tametſi nec alvi dejectio, nec crepitus, nec uberior urinæ effuſio accedat; inde enim ſi non abigantur dolor ac tumor, ſaltem miteſcunt, & clyſmate aut aliis ſubſidiis facilius multo elicitur Flatus.

184. *In Dolore Hypochondriorum, cum Borborygmo, Lumborum ſuperveniens Dolor, in Febribus, Alvos profuſiores facit, niſi Flatus prorumpat, aut copia Vrinæ feratur* (*d*). Accedens enim cum murmure, Lumborum Dolor, non ſolum Flatus, ſed & humores, quibus Hypochondria tumebant, e parte prius obſeſſa emoveri, & ad craſſiora inteſtina urgeri denotat; unde vel alvi profuſio, vel Flatuum eruptio, vel tandem uberior mictio continget.

(*c*) Morbor. Mechanic. Diſſertat. 2. de Febrib. Intermittent. paragr. 24. pag. 43.

(*d*) Coac. 21. cap. 11. lib. 2. interpr. Ludov. Duret. pag 177.

Sed quid plura! Cum jam res eadem superiori sectione sufficienter elucidata fuerit. Huic Hippocratis sententiæ maxime consimilis est aphorismus 73. section., 4. his verbis expressus. *Quibus præcordia elevata permurmurantia, Lumborum Dolore accedente, his Alvi humectantur, si non Flatus erumpant, aut Vrinæ copia prodeat. In Febribus autem hæc.*

185. *Si Ructus, Flatus silentes, Crepitus ventris atque Inflatio, rapide fertur Alvus* (e). Fusa Alvo, Febres nonnunquam feliciter solvi, experientia docet; ut autem salubris hæc expurgatio fiat, necesse est victrici vasorum systaltico nisu, noxium ac morbificum subigi & extenuari humorem, huncque jam satis fluxilem, per laxos ac meabiles ductus, in intestinorum cavum ubertim effundi, eorumdem succedente celeriori & validiori peristalsi, cito foras extrudendum. Verum copiose ac pernici motu, in intestinalem fistulam urgeri nequit humor, quin conclusum aerem illico premat, per varios anfractus provolutus rapiat secum, & sursum vel deorsum inprimis trudat, tandemque cum ipso jam commoto & rarescente, nonnullis in tubi

(e) Coac. 148. lib. 1. interpr. Ludov. Duret. pag. 77.

partibus paulo magis subsistens, inflationem quamdam sed levem & transitoriam concitet. Recte igitur Hippocrates de præsagienda in Febribus critica excretione hic sollicitus, criticum Alvi fluxum, Flatu supra & infra erumpente ac Meteorismo prænuntiari docet; sicuti cibi fastidium, ventriculi morsus & crebra saliva, imminentem vomitum præmonstrant. Adverte tamen, an simul desœviat morbus, & votis omnibus optanda coctio adsit; alias hæc recensita signa haud difficile illudent tibi.

186. *Flatum absque Sono quidem & strepitu trajici infra; optimum. Melius autem fuerit, ipsum cum Sono transire, quam sursum revolvi; quamvis ita trajectus denuntiet inde vexari hominem, aut delirare, nisi prudens ac sciens, talem Flatus exitum moliatur* (*f*). Hic ingentem mirari decet divini senis diligentiam, qui ut doctrinam de morborum prognosi locupletet, ne quidem in Flatibus varium exeundi modum floccifacit. Morbosos hosce hospites ab humano corpore semper arceri felix esset; at semel in eo concita-

(*f*) Coac. Præn. 486. A & B cl. 3. edit. *Mercurial.* aut Coac. 10. lib. 3. interpr. Ludov. Duret. pag. 397: eadem legitur sententia in libr. Prænotionum pag. 77 & 78. litt. D & A class. 1. edit. Mercurial.

tos & ſœvientes cito excludi præſtat. Non una excluſionis ratio. Hæc cœteris optabilior merito Hippocrati habetur, qua Flatus libere placidoque ac tacito greſſu deorſum ſubſilit, utpote validum ſatis periſtalticum niſum ſed moderatum, Flatuoſam materiem paucam, aut permixto humido temperatam ac victam, tandemque viam patentem & amplam deſignans. E contra vero minus fauſta judicatur Flatuum Sonora expulſio, quæ nempe intenſiorem inteſtinorum periſtalſim, vel uberiorem Flatus copiam, vel aridiorem ipſius diatheſim, vehementioremque elaſticum niſum, vel tandem nimiam viæ anguſtiam clamat. At Flatus vel etiam cum Strepitu deorſum proſilire, rectius ſalubriuſque eſt, quam præcluſo exitu, ſurſum revolvi; ſic enim prodeuntes, licet in tranſitu fremant, dolorem ac inflationem mitigant, nec amplius corpori nocent; revoluti autem non erumpunt, ſed intus manent, & tormina, cruciatus, ipſum quandoque Tympanitem, quin imo & atrociora nonnunquam ſymptomata pariunt. Interim tamen, dum ventris Crepitus in morbis emittitur, ægrotantis mores ac mentem perſpicere oportet; ſi enim ſemper verecundus, modeſtiæque hac in parte cultor

assiduus fuerit, ac præsertim si adsint quos revereri solebat, horum alterum indicatur: doloris scilicet in abdomine urgentis vehementia, ad talem Flatus exclusionem, posthabito pudore, adigitur; vel sui ipsius non conscius jamque delirans, ad ea non advertit quæ peragit: nulla autem delirii aut cruciatus suspicio erit, si necessitate compulsus, considerate & cum bona adstantium venia, Crepitum extrudat; sicut & etiam si inverecundus sit æger, nec præsentium curam habeat; tunc solum, Flatum sine Sono elabi satius esset.

187. Præclaras hasce & proposito scopo plane consentaneas divini senis sententias (a 482. ad 187.), operi nostro tanquam totidem gemmas inserere, congruum visum est; ut egenum aliunde ac veris opibus fere orbatum, jam hoc insignitum ornamento melius niteat, & ab orbe medico lætius benigniusque excipiatur: ut enim peritioribus arrideant, sibique per sœcula non delendam concilient famam, quæ ad praxim spectant scripta medica; Hippocratica doctrina, tanquam sale, copiose perspergenda sunt: contra vero quæ aptissimo hoc condimento prorsus exuta opera, momentaneum tantum splendoris fucum acquirunt, quo

brevi excusso, contemptui habentur, & parum firmo innixa talo concidunt. Verum, quamvis præ cœteris omnibus in arte præcelluerit, & quasi divino turgidus afflatu, fere semper divina prodiderit Hippocrates; ipsi tamen nonnulla (errare enim hominis est) veritati minus consona exciderunt, cujusmodi est aphorismus 72. sect. 5. huc pertinens, qui sic se habet: *Regio morbo laborantes, non admodum Ventosi.* Icterus namque sive morbus Regius, impeditum in hepate secernendi aut secreti liquidi liberum Fluorem supponens, vel a viscida, amurcosa & inerti, vel ab acri, fervida & commota bile nascitur. Casus uterque Flatuum exortui non obstat, quin imo favet: si in primo, ob bilis defectum & liquidorum lentorem, tubi alimentarii imbecillitatem arguas, Flatibus concitandis comparem causam habes (86.); si in secundo, fervidiorem æstum agnoscas, jam aderit causa, prædicto effectui edendo magis adhuc congrua (59. 82.). Si symptomatica fuerit Aurigo, ac febri prægressæ & adhucdum sœvienti, aut hepatitidi per epigenesim adjuncta; tunc præter calorem nimium, & validiorem sanguinis impetum perpetuum morbi febrilis comitem; ob cohibitum purpu-

rei liquidi per hepatica vaſcula commeatum, uberior erit ejuſdem per gaſtricas & meſentericas arterias, ad ventriculum & inteſtina affluxus, ſimulque difficilior per congeneres venas reditus in venam portarum : unde a turgidis ſanguiductibus in orbem flexis, fiſtula alimentaria arctatur, incaleſcit, exquiſitiorem ſenſum acquirit, inflammationi propinquat; & hæc phlogodæa ſtrictura, coercendo ac commovendo Flatui maxime idonea, ut ſupra edoctum eſt (79. 92. & alibi). His addendum quod experientia compertum manet, morbo Regio affectos perſœpe Flatuoſos eſſe, cujus rei exemplum affert Hippocrates ipſe, in hiſtoria apollonii in abderis (g), qui mortuus eſt Auriginoſus, & tamen, ut ait, ſimul Flatibus abundabat. Præterea Ictero Tympanitem ſupervenire non infrequens, ut poſt alios, ſuperius retulimus. Hippocrates igitur minus recte aphoriſmum hunc protuliſſe videtur; cujus tamen hic eſt ſenſus, Ictericos non ita valde Flatibus obnoxios eſſe, quia, juxta divinum ſenem, Flatus a debili calore fiunt, & e contra in Ictericis, bilioſus humor morbi parens, acrem & mordacem movet æſ-

(g) Lib. 3. de Morb. popular. ſect. 3. pag. 135. litt. A.

tum. Notandum denique Hippocratem sermoni suo adjecisse, *non admodum*, perpetuitatem quidem negationi sic adimentem, ut observavit Galenus (*h*), nec inficiantem, Flatum cum Ictero occurrere posse.

CAPUT SEXTUM.

DE FLATULENTORUM AFFECTUUM CURATIONE.

188. OPtandum sane foret, nitidiori ac certiori Flatuosorum affectuum ætiologia, ad faciliorem & minus abstrusam eorumdem curationem jamdudum proclive præstratum fuisse iter: sed cum in expiscandis Flatuum causis, fere omnes cœcutierint medici, ex variis horum scriptis, aptam hujusmodi morborum tractationem mutuari promptum non est. Nos vero, ut a recto tramite minus deflectere videamur, superiori causarum enumerationi apposite congruentem therapeiam trademus.

(*h*) In aphor. Hypocr. Commentar. V.



GENERALES INDICATIONES.

189. His ita præfatis, ad Flatulentæ ægritudinis (3) medelam accingens se Medicus, eo primum operam dirigere debet, ut excedentem aeris vim, qua fistulæ membraneæ resistentia vincitur (54), coerceat ac refrenet; vel validiorem aeris nisum reprimendo, vel parietum languidum tonum restituendo, vel utrumque simul præstando (55).

190. Deprimitur validior aeris nisus (56(1°. imminuta ipsius copia (57), si nimis exuberet. 2°. ablatis variis obicibus, qui libero aeris transitui obsistunt, & ipsius densitati ac collectioni ansam præbent (66. 67.); sed præsertim mitigata spasmodica constrictione frequentissima Flatuum causa (68). 3°. Sedato fervidiori calore, aut alia quacumque ratione, retusa aeris elastica potestate, sicque cohibito ipsius nimio expansivo nisu.

191. Languens tubi membranei tonus restituitur, his omnibus sollicite amotis, quibus gravari & laxari potest; conciliata villis ac canaliculis quibus constat, debita tensione & rigiditate; restaurata eos irrorantis liquidi arteriosi & nervei idonea diathesi; tandemque sufficienti utriusque concitato appulsu.

192. Fere nunquam in praxi, adimplendæ simul occurrunt omnes hæ indicationes (190. 191.); rarissime unica se offert; frequentissime vero, pluribus quasi inter se pugnantibus una parendum. Sic persœpe sedanda est spastica intestinorum strictura, & simul refocillandus fractus alibi eorumdem tonus; quod summam in medente peritiam ac solertiam requirit. Quandonam vero id præstare, aut hunc vel illum attingere scopum, operæ pretium sit, ex descriptione superius exarata (a 3. ad 33.), & præcipue ex signis causarum diagnosticis (a 155. ad 165.) retegendum.

QUINTUPLEX CARMINATIVORUM CLASSIS.

193. Ex mox dictis (a 188. ad 193) luculentum est, morbos abigere Flatulentos, non unico remediorum generi concessum esse; sed in quinque Classes, generatim dividenda esse medicamina hac instructa virtute, quæ Carminativa vulgo audiunt, rectius tamen Antipneumatica dicerentur. Unde tale nomen sortitum fuerit id auxiliorum genus, non unanimis Medicorum consensus: Censent plerique illud ex peculiari eorumdem natura obtinuisse, qua Flatus carminare seu dis-

corpore & extenuare valet ; quod veterum sententiæ Flatuum natales viscido ac pituitoso humori adscribenti consonum. Alii vero medicamenta hæc ideo Carminativa vel Carminantia nuncupari contendunt, quia horum efficacia, velut lepidi ac blandisoni carminis lenocinio, & incantamenti instar, demulcetur aut domatur Flatuum ferocia.

Prima Classis, levium Catharticorum.

194. Prima Classis, eorum est quæ uberrimam Flatuum matrem, seu saburram in alimentaria fistula nidulantem educunt & per anum eliminant ; ut Eccoproptica & Cathartica mitiora, tamarindi, manna, rhabarbarum, folliculi sennæ in infuso tantum, vel modica dosi exhibiti, flores persicorum, rosæ pallidæ, tartarus solubilis, sal Anglicum, aquæ minerales frigidæ perperam acidulæ dictæ, ut aquæ Vallenses, Yeousenses, &c. Syrupus florum persicorum, syrupus rosarum solutivus, syrupus de cichor. compos. electuaria lenitiva, &c. Fortiora & præsertim drastica hic recensere supervacaneum ducimus ; ea enim in Flatulentis affectibus propinare, temerarium esset ausum. In illa tamem Flatuum specie, quæ parentem aut comitem habet intesti-

norum laxitatem, paulo validiora tuto usurpari poterunt, quæ tum primarum viarum sordes expurgando, tum languidum tonum proritando, opem præstabunt.

Secunda Classis, aeris elaterem refrenantium.

195. Secunda Classis ea continet, quæ nimium aeris impetum ac expansivum nisum cohibent, ipsum nempe halituoso vapore obvolvendo, quasi cogunt, reprimunt & absorbent; ita ut elasticas ejus vires valde infringant, aut penitus deleant, & ejusem ulteriori evolutioni obstent. Pleraque ex his, fervidiorem æstum compescere apta, & hac præsertim ratione, intensiorem aeris rarescentiam frenant, unde peculiarem aliam ex refrigerantibus concinnare classim prorsus inutile. Huic accensenda familiæ, aquea omnia & frigida, sed magis adhuc acida (47), seu ex vegetabili regno deprompta; fluida, ut succus citri, aurantiorum, grossulariæ, omphacium, acetum; concreta qualis est tartari cremor; seu ex minerali regno desumpta, ut spiritus salis, vitrioli, sulphuris, sed præsertim nitri dulcis, qui parca manu, & ad gratam tantum aciditatem aquæ fontanæ affundendi,

dendi. Nitrum purificatum vel antimoniatum & ſal prunellæ hic etiam locum merentur. Nec omittenda ſulphurea ac oleoſa mitia, quæ in ventriculo ſoluta, ſubacta, rareſcentia, partimque in halitus converſa, aeri quadamtenus figendo idonea (47), qualia ſunt lenia ac recentria olea olivæ, lini, amygdalarum dulcium, butyrum recens, emulſiones ex contuſis fructibus & ſeminibus blandis & oleoſis paratæ, ſperma ceti: quæ omnia inſuper leniente ac demulcente virtute pollent. Inter hæc, primæ ac præſertim hic deſideratæ proprietatis (aerem ſcilicet abſorbendi) ratione, merito annumeranda ſuccinum, caſtoreum, ſalia volatilia oleoſa, balſamum ſulphuris aniſatum; olea ſtillatitia aniſi, anethi, carvi, aliaque carminativa; aquæ thermales oleoſæ, ut Bathenſes in Anglia, quæ ad Flatulentam colicam curandam, eximie commendantur (*i*), Baregienſes, Balneolenſes, tandemque aquæ ſancti Laurentii (*k*), in Gallia Narbonenſi,

(*i*) Statiq. des Végét. par *M.* Halles, append. pag. 332.

(*k*) Aſſemblée publique de la Société Royale dës Sciences de *Montpellier*, du 25 Avril 1743. Extrait du Mémoire de M. Combaluſier, ſur les eaux de S. Laurent. Accuratius hujus ſcripti compendium videatur in diario gallico Februarii elapſi ann. 1746.

quibus aliæ non paucæ haud dubie addi possent. Et his omnibus, multiplici alio nomine, Flatulentis prodesse datum est, ut mox elucescet. Cum autem spiritus quicumque acidus, consueta chymica ratione seu ope spiritus vini mitigatus, duplici parte gaudeat, qua aeris elaterem frenare potest, mirum non est inter probatissima Carminativa haberi.

Tertia Classis, Antispasmodicorum.

196. Tertiam constituunt classim, hæc medicamina quibus spasmodica aufertur aut minuitur tunicarum ventriculi & intestinorum constrictio. Id autem præstant, 1°. quæ acria omnia primis viis inhærentia foras extrudunt: hæc vero prima Classis (194) exhibet. 2°. Quæ eadem mitigant, quasi immutant & innoxia reddunt; ut absorbentia, oculi cancrorum fluviatilium præparatorum, corallia, creta, testacea omnia, & alcalina, sal tartari, absynthii, tamarisci, &c. respectu acidorum; acida ipsa ad frangendam alcalinorum vim, copiose satis exhibita; tandemque aquea, mucilaginosa & oleosa, quæ diluendo aut inviscando, acrium omnium vim ex æquo retundunt. 3°. Quæ constrictam partem sicciorem, rigidiorem ac nimis tensam, par-

ticulis præprimis aqueis laxant & emolliunt, simulque acres ac molestas sordes eluunt, ut aqua calida, serum lactis, aqua pulli junioris, aquea omnia decocta vel infusa, ac prædicti lenes illi soterii calidique fontes. 4°. Quæ partem affectam, blandis mucilaginosis aut oleosis moleculis leniunt & demulcent, simulque causam irritantem involvunt & obtundunt, ut lactuca, portulaca, linaria, althæa; hordeum, oryza, avena, secale; ex his confecti cremores & parata decocta; semina quatuor frigida majora, semen lini, portulacæ, lactucæ, endiviæ, violæ, amygdalæ dulces, pistachia; ex his conflatæ emulsiones; olea lenia olivarum, mucaginum, ovorum, lini, amygdalarum dulcium; syrupus althææ, nymphææ, capillorum veneris, violaceus; aliaque plura oleosa in præcedente Classi (195.) recensita. 5°. Denique spasmodicæ fibrarum stricturæ medentur, quæ effrenem imo & consuetum liquidi nervei appulsum inhibendo, sicque totum systema nerveum laxando, partis affectæ sensum sopiunt & somnum conciliant, & ideo narcotica vocantur; ut semen papaveris albi, quod quidem tam leviter hac virtute pollet, ut vix sensibilem edat effectum, etiam majori dosi usurpatum,

ex hoc composita emulsio, ejusdem papaveris capita, ex his parata infusa, decocta vel syrupus; syrupus papaveris rhæados, inter levissima narcotica merito habendus; laudanum opiatum, laudanum liquidum Sydenham, Talbot, syrupus de karabe, pilulæ de cynoglosso, pilulæ Starkii, theriaca, diascordium; quæ ultima, propter varia ipsis admixta, alia etiam ratione prosunt, aut quandoque minus competunt.

Quarta Classis, Tonicorum.

197. Quarta carminantium Classis, ea complectitur medicamenta, quæ languidum ventriculi & intestinorum tonum refocillant, qualia sunt, 1°. quæ particulis tenuibus rigidis, salinis, aromaticis, maxime mobilibus fœta, obvia quæcumque solida pungendo ac lacessendo, sopitam exsuscitant villorum vim contractilem; mentha, calamentha, origanum, chamædris, absynthium minus, centaurium minus, cinnamonum, cassia lignea, caryophilli, zimziber, carlina, acorus verus, nux moschata, macis, santalum citrinum, cortex citri & aurantiorum, salvia, galanga, imperatoria, gentiana rubra, &c. quibus composita varia tum solida, ut confectio hyacintho-

rum, confectio alkermes, opiata Salomonis; tum liquida, ut aqua naphæ, aqua cinnamoni, aqua & spiritus menthæ & elyxir proprietatis paracelsi addi possunt. Hæc omnia alia adhuc ratione Flatulentis opitulantur, quatenus nempe acidos ac viscosos humores liquant. Huc ergo revocanda sunt plura, ex prædictis absorbentibus & immutantibus (196. 2.), alcalina præprimis, necnon salia hæc egregie resolventia, neutra aut media nuncupata, sal catharticus amarus, sal admirabilis Glauberi, sal polychrestus Seignette, tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum, terra foliata tartari, & spiritus salis coagulatus (*l*). 2°. Fractum etiam solidorum tonum restituunt, quæ acido aut terreo-austera, leni subadstringente ac tonica virtute prædita, inertes & flaccidas fibras leviter contrahunt; ut sunt rosæ rubræ, bellis minor, anserina, oxylapathum, plantago, radix cichorii, fragariæ & acetosæ; cortex fraxini, tamarisci & capparidis, symphytum majus, pimpinella, cydonia mala, corallia rubra, cathecu, kinakina; martialia denique, crocus martis aperiens & adstringens, tartarus chalybeatus, limatura ferri rubiginosi vel chalybis, tinc-

(*l*) Pharmacop. batean. pag. 104.

tura martis cydoniata, aut Ludoviciana; aquæ chalybeatæ. Huc referri possunt acida supra memorata (196. 2°.). Nec placet hic vera ac potentiora adstringentia addere, quæ certe chylopoietica viscera nimium stiparent, iisdemque laxitati contrariam nec minus metuendam labem inferrent. Hic enim languens tantum ventriculi & intestinorum tonus, blande ac prudenter acuendus, non vero violenter & spastice intendendus; sicque notabilis ille, & a poeta ingeniose culpatus stultorum declinatur error, qui dum vitant vitia, in contraria currunt.

Quinta Carminativorum Classis, Tonicorum simul, aeris elaterem frangentium, & Antispasmodicorum.

198. Quinta demum Classis, ea remedia comprehendit, quæ tonica corroborante, resolvente, simulque anodyna virtute gaudent, sicque eodem tempore, stricturæ & laxitati medendo, æquabilem revocant nervei generis peristaltici que motus tenorem; quin imo evolutum & rarescentem aerem figunt & absorbent, aut saltem nimiam ipsius extricationem inhibent: quæ quidem, cum multiplicem hic optatum scopum attingant, tanquam vera ac nobilissima Carminativa prædica-

re non veremur. Hæc autem partim ex salinis rigidis, vel terreis & austeris, partim oleosis lenibus volatilibusque moleculis blando amicabilique nexu inter se devinctis constant; qualia sunt flores chamæmeli simplicis & romani, summitates & flores anethi, flores meliloti, hyperici, millefolii, sambuci, verbasci; radices zedoariæ, galangæ, rhodiæ; melissa, baccæ lauri & juniperi; semina anisi, cumini, carvi, & fœniculi, quæ quatuor semina calida majora vocantur, semina ammios, apii, amomi, dauci, quæ quatuor minora; semina cardamomi minoris, anethi, seseleos & levistici; cortex citri aut cujuslibet aurantiorum generis; antihysterica, ut crocus, castoreum, succinum, zibethum, cinnabarina. His etiam addenda, quæ tanquam Antiepileptica jactantur, & Antispasmodica vulgo dicuntur, quæ tamen rectius ad hanc Classem quam ad tertiam (196) revocantur, ob occurrentem in eorum textu jam notatam principiorum societatem. Talia sunt flores tiliæ & primulæ veris, gallium luteum, stœchas arabica, lilium convallium, viscus quernus, flores, semina, radices pœoniæ maris, ungula alces, cinnabaris, aliaque complura. Inter composita hujus Classis numerantur aqua carminativa Dorncrelii,

(*m*), aqua chamæmeli ſimplex, ejuſdem aqua compoſita (*n*); olea ſtillatitia aniſi, chamæmeli, carvi, fœniculi, anethi, nuciſtæ, citri, aliaque hujus generis, quæ nullo in morbo, juxta Boerhaave (*o*), majori laude efferuntur, quam in Flatulento ventriculo, torminibus iliacis, colico dolore; quæve ſemper, ſumma cum prudentia, parca manu, & aliorum connubio mitigata exibere, acrior exigit eorumdem indoles, præprimis ubi inflammationis metus, aut ſpaſmus plethoricus (79) adeſt; elæoſacchara carminativa ex eorumdem oleorum guttis XXIV. vel XXXX. vel etiam drachma una, & ſacchari albiſſimi unciis duodecim; ſales volatiles oleoſi, præſertim ſal volatilis aromaticus oleoſus ſimplex angelicæ, qui, ex Boerhaave (6) egregie prodeſt, quando mobilitas inæqualiter agitatorum nervorum & ſpirituum, facit inſultus hypochondriacos hyſtericoſque adeo moleſtos, hinc & Flatuum inde ortorum ingens remedium; pulvis pepticus Batei (*p*); ſpiritus ceraſorum (*q*); ta-

(*m*) Pharmacop. Argentorat.
(*n*) Pharmac. Batean. pag. 6,
(*o*) Element. Chem. Tom. 2. operat. chem. pars 1 in vegetantia; proceſſ. 23. pag. 67.
(*p*) Elem. Chem. tom. 2. pars. 2. operat. chem. in animalia proceſſ. 123. pag. 236.
(*q*) Pharmacop. Batean pag. 91.

bella

bellæ carminativæ Batei (*r*); ſpiritus carminativus Sylvii (*s*), ſpiritus carminativus de tribus, vulgo mixtura ſimplex de tribus (*t*). Hæc ſi tanquam vana, obſoleta, & e Medicorum formulis vulgo excuſſa arguas; concinnam eorumdem expende compoſitionem, brevique patebit utilitas. His addi meretur aqua ex limonii corticibus, repetita cohobatione parata, eximia fragantia, penetralilißimaque ſuavitate, Flatus, ſyncopem, languores cordis, abnormes motus, ſi Boerhaave (*u*) credamus, ocyßime depellens vel parca copia. Hic etiam merito commendandus ex antiepilepticis præprimis concinnatus pulvis de gutteta. Sed inter cœtera potiſſimum ſplendet eſſentia carminativa Wedelii, ab eodem in Opiologia ſua, pag. 119. ſic deſcripta.

Recipe rad. zedoar. unc. j. carlin. galang. ana unc. ſemiſ. cortic. aurant. ſemin. aniſ. carv. flor. chamæm. rom. ana drachm. ij. caryophillor. aromat. baccar. laur. acor. ver.

(*r*) Ibid. pag 11.
(*s*) Ibid. pag. 114.
(*t*) Pharmac. Argentorat.
(*u*) Cod. Medicamentar. Facult. Med. Pariſ.
(*x*) Elém. chem. tom. 2. pag. 49.

ana drachm. j. & ſemiſ. macis drachm. j. m. extrahantur contuſa & conciſa b. m. cum ſpirit. cortic. citr. acidulato ſatis ſpiritu nitri, qui, extractione per aliquod tempus facta, addi debet. doſis gutt. xx. xxx.

Tinctura hæc, cum laudano liquido, vel etiam, in hyſterica paſſione, & cardialgia, cum tinctura caſtorei, & olei caryophyllorum gutta una aut altera juncta, mira præſtat. Hic etiam merito referenda theriaca, diaſcordium, aliaque compoſita varia, quæ ingreditur opium. Ibi tandem non infimus concedendus eſt locus ſpiritibus acido-dulcibus, qui duplici ſua parte, & aerem coercere & ſpaſmos lenire, tandemve tonum acuere valent. Nec obſtat eoſdemjam in ſecunda Claſſe recenſitos fuiſſe. Sic enim magis emicat eorum antipneumatica virtus. Inter hoſce ſpiritus acido-dulces, jure recenſendus eſt pretioſus optimi Frider. Hoffmann liquor mineralis anodynus, ſeu verum oleum vitrioli dulce, cujus nunquam ſatis laudata, mitigans & antiſpaſmodica, proindeque carminativa vis; cujuſque recte parandi proceſſum, candide exhibet humaniſſimus Autor Obſervat. 13. Lib. 2. Obſervat. Phyſico-Chymic.

199. Liquidum eſt ex prægreſſis, non eamdem promereri fidem, nec conſimilem obtinere uſum, laudata hæc quinque carminantium genera (a 194. ad 199): quæ enim in priori Claſſe recenſentur cathartica (194), non niſi per accidens, & cauſæ antecedentis ratione, hoc titulo inſigniri & uſurpari queunt, aliiſque in caſibus, plus damni quam emolumenti afferrent, ut inferius ſæpe notabitur. Quæ in quarta Claſſe (197), ſedem habent, ſub ſtomachicorum, cardiacorum, reſolventium, aperientium, aut tonicorum vexillo militant, nec niſi ad revocandum alimentariæ fiſtulæ tonum amiſſum (85) plerumque adhibentur alibi enim nocerent. Medicaminum tertiæ claſſis (196.), quamvis latiſſime pateat uſus, non tamen perpetuus ſtatui poteſt; nam licet ſpaſmodica conſtrictio frequentiſſima ſit Flatuum cauſa, (68.), ab alia imo & prorſus diſſimili (85.) quandoque manant. Præterea hæc remedia, innumeris aliis propemodum affectibus perſanandis aut mitigandis conferunt, nec mira præſtant ibi, niſi quatenus ſpaſmos & ſtricturam auferunt. In anodynorum ergo, antiſpaſmodicorum, & narcoticorum familia maneant, ut inde ſœpiſſime quidem, ſed

opportune ſemper depromantur. Quæ in ſecunda claſſe enumerata acida & oleoſa, in aerem ipſum elaſticum & effrenem vires ſuas exerunt (195.), adhibere ſuadet ſemper ipſa morbi indoles nimium aeris expanſivum niſum conſtanter exhibens (54.); & hac ratione, tanquam vera carminantia ſpectanda ſunt. Interim tamen acida minus competunt, ubi acido turgent primæ viæ, frigidus aut cachecticus eſt æger, aut acetoſa fermentatio Flatus genuit (61.); oleoſa vero lenia, in Flatibus a laxitate ortis, nociva. Sola ergo ſuperſunt quintæ claſſi accenſita remedia (198.), quæ ſimul & rareſcentem aerem frenant, & in canalem alimentarium, multiplici ac media quadam ratione agunt, nec, vitium oppugnando, aliud inferunt, ſemperque tuto, certis ſervatis cautelis & prudenti habito ſelectu, ob majorem vel minorem energiam, in uſum vocari queunt; quapropter eadem ceu vera, propriedicta, & nobiliſſima carminativa, merito commendavimus (198.). Notandum ibi, ex concinna priorum miſcela & præparatione, compoſitum perſœpe emergere remedium, in hoc ultimo cenſu reponi dignum, ut infra ſœpius evincetur.

200. Mirabuntur forte non pauci, nos

hic a veterum choro & a neotericis plerisque, tantopere in hac parte distare, carminantibus vim Flatus discutientem, exsoluentem, & attenuantem non adscribentes. Verum si jam dicta de Flatuum indole & ortu, attenta mente perpendant, talem in carminantibus fingere naturam, prorsus absonum ipsis videbitur. Quo pacto enim Flatuum ferociam mulcere possent, si volatilem & aeream eorumdem materiem magis excerperent, commoverent & rarefacerent; nec non eadem vi, ex contentis in alimentario ductu violenter comminutis, uberiorem ipsius prolicerent copiam; nonne sic Flatuosus aer tum intensiori elastico molimine se expandens, tum adaucta mole fortior, amplius requireret spatium, in coercentes tunicas vehementius arietaret, & ita sœviora mala pareret? Id probe novit, docteque annotavit Helmontius, remedia Flatus discutientia ridens his verbis (y) *patet vanitas remediorum carminantium, quæ convexum intestini non respiciunt, frustraque fingunt ventos discuti per extenuationem; in quam namque vento subtiliorem materiam, ventos extenuari sperant? Quidve profuerit ventum se subtiliorem donare, si majorem tunc locum requirat, & moles-*

(y) Tractat. ignot. hydrop. num. 45.

tias tensionis augeat? Et rursus idem Autor hæc ait (z) *si ventositates in nobis sint vapores aut exhalationes, certe major dolorum atque Flatuum excitatio & partium distentio sequitur, adhibitis contra ventos calidis, eo quod vapores augeri est necesse, cruciatusque tam propter distensionem, quam ventorum acrimoniam multiplicari.* Hic tamen inficiari non licet, discutientia remedia, in Flatulentis affectibus, quandoque opem præstare posse, quatenus pituitosos ac viscidos humores, ventriculi & intestinorum tunicis tenaciter cohærentes, ac nonnunquam fistulam hanc infarcientes extenuare ac solvere, villosque gastricos & intestinales vellicando, ad æquabilem contractionem revocare valent, ut jam supra explanatum est (197.).

VICTUS REGIMEN IN MORBIS FLATULENTIS OBSERVANDUM.

201. Sic patefacto quintuplici promptuario (a 193. ad 200.), e quo varia, adversus Flatulentos affectus, auxilia excerpere licet: antequam rectus eorumdem usus seu legitimus curationis processus tradatur, victus rationem in Flatibus observandam exibere juvat, quam præ-

(z) Lib. de Flatib. num. 7.

primis ſuppeditabit elegans Georgii Cheynæi Tractatus de infirmorum ſanitate tuenda vitaque producenda.

Aer.

202. Cum ergo inevitabilis Aer (41.), apertos corporis meatus libere pervadens, in ipſius penitiora feratur, diſſimiles & pravos nonnunquam effectus, pro varia ſua indole, editurus: fervidiorem, frigidiorem, nimis humeſcentem, ac nebuloſum, tandemque noxiis & putridis refertum halitibus, caute devitare debet Flatulentus, huncque præſertim ſeligere, qui temperatus, modice ſiccus, ſatis elaſticus & gravis, nec ullis niſi ſuavibus effluviis onuſtus, inter calidum & frigidum medium tenet. Ruri plerumque & amœnior & ſalubrior ſpirat Aer, quam in populoſis ac denſa vaporum cujuſcumque ſpeciei caligine obſitis urbibus. Si tamen in civitate morandum ſit, domeſticis ſordibus ſtudioſe expurganda domus, & foribus ac feneſtris idemtidem apertis, renovandus Aer. Nec minori cum cura, a ventis nocentioribus borealibus & auſtralibus, ſibi caveat Flatuoſus; & acriori frigori, nimiæque humiditati, craſſiori veſtitu, luculento foco, ſed felicius adhuc placida corporis exercitatione, occurrat.

Cibus.

203. Quam facilem ad Flatuoſos affectus viam ſternat, aut fœcundum iiſdem fomitem præbeat ingluvies, ſupra evictum eſt, ubi de cauſis agebatur. Ut igitur præcaveantur aut ſaltem leniantur, nunquam uberius ingeſtis alimentis gravandus & ingurgitandus ventriculus; ſed ea tantum copia ſumatur, quæ viſceris hujus membraneo-carnei vires non excedens, rite ac expedite ſubigi & concoqui poſſit. Verum dum in præſentia, Flatibus torquentur ægrotantes, tenuis inſtituendus eſt victus, ſolitusque cibus corpori ſubducendus, aut omnis omnino quandoque per plures horas, circumcidendus; ſic enim citius deperdita recuperatur, in alimentaria fiſtula, toni æquabilitas, aut effrenis ſuperatur aeris elaſticus niſus, ſœpeque Flatibus domandis ſola par eſt inedia. Nec ab hoc regimine te avertat, quod in jejunis obſervatur nonnumquam, Flatibus ſcilicet vagantibus obmurmurari inteſtina; raro namque moleſtiam inferunt, brevique erumpunt, præſertim ſi paululum exerceatur corpus. Hic tamen notandum ad Flatuum prophylaxim, nimiam ac diuturniorem non ſuaderi abſtinentiam, quæ

ſolida deterit, fluida abſumit, ſiccat, acria reddit; ſed potius moderatam ſobrietatem, quæ idemtidem & præfixo tempore, parcum quidem, at reficiendo corpori congruum, nec unquam ipſius viribus, aut animi alacritati, ubertate ſua, officientem cibum largiatur.

204. Nec minus ad varias alimentorum qualitates, quam ad eorumdem quantitatem, attendere expedit. Procul exulent, quæ, ubi de cauſis, tanquam Flatuoſa, jam ſatis damnata fuere, effervescentiæ (60.) ſcilicet, fermentationi (61.), & putrefactioni (62.) obnoxia, copioſo aere fœta (58. craſſa, viſcida, fumo indurata, acida, acria, ſale aut pipere nimium condita. Hic præprimis & recte quidem improbantur cujuſcumque generis legumina, ſic præcipiente Hippocr. (*a*); hæc igitur nunquam, niſi aliis conſociata cibis, juxta ejuſdem divini ſenis (*b*) conſilium, vel corticibus nudata & ſufficienti coctione debitoque attritu, in pultem redacta concedantur; hac enim ratione, non ita nocent. Omnes etiam horarios fructus, præſertim crudos aut æquo maturiores & ad fermentativum motum ineundum pro-

(*a*) Lib. 4. de Vict. Rat. in acut.
(*b*) Ibid.

xime paratos, prorsus ablegare, nec nisi parce optato maturitatis gradu gaudentes, ingerere debet ventosus. Castaneam velut crassiorem Flatuosoque aere turgidum cibum rejiciat, item & rapam, napum, raphanum. Aliæ non paucæ radices edules, oleraque complura cruda, ut in acetariis, Flatus movent, proindeque vitanda; cocta vero, sicque incluso aere maxima ex parte spoliata, optimum præbent cibum. Varia quoque placentarum ac ferculorum genera, ex pasta, ovis, oleo, butyro, lacte, vel etiam melle, aut aliis permultis, solertissime concinnata, tum lentore ac visciditate, tum facili turgescentia, tanquam Flatuosis nocentissima habeto, iisque nunquam, vel avara solum manu, prudens exhibebis. Num lac miseris hisce ægrotantibus ita adversum? Haud dubie, quod uberrimis caseosis butyrosisque particulis scatet, quale vaccinum vel ovillum, per alimentarium ductum, inæqualiter adstrictum aut laxum, aut utroque simul vitio affectum, perægre transmittitur, ibidemque vel incendio conflagrans, vel acescens, latentem e sinu suo copiose fundit aerem, aut in caseosam glutinosamque densatur molem, sicque maxime nocet. Mitius certe de tenui seroso & aqueo lac-

te, asinino videlicet judicandum. Inter istud & priora, medium stat caprillum, cujus proinde vel nullus vel cautus esto usus. Caseus Flatum & adstrictionem, ipso Hippocr. advertente (*c*), pariens, ab ægrorum nostrorum mensis longe amoveatur: butyrum pariter & oleum in sartagine frixum; non item, si mite, ab omni rancore alienum, nec subjectos conceperit ignes; tunc enim utroque, sed provide tantum, uti licebit. Inter varias quibus vescimur animalium carnes, bubulas, caprinas, ac porcinas, omnium gravissimas, Flatulentis præsertim adversari, longæva docuit experienrientia. Nimium excresceret opus istud, si cœtera in hisce morbis, noxia alimenta seorsim culparem; hæc brevi facileque innotescent, si supra tradita causarum enumeratio sedulo perpendatur.

205. Nunc vero, nutrimentum Flatuosis apprime conveniens, ex omni plantarum ac animalium genere, deligendum; quod scilicet tenacitatis, crassitiei, omnisque acrimoniæ expers, non uberiori pinguedine fœtum, non aridum, non sapidum nimis, nullaque jam damnata labe infectum; sed leve, blandum, molle, aut nullo aut mitiore sapore præ-

(*c*) Lib. 4. de vict. rat. in acut.

ditum, viribus nostris coctricibus obsequiosum, ab iisdem facili negotio conteri, solvi, & in temperatum chylosum liquorem converti possit, juxta illud Hippocr. (*d*) *Quæcumque quidem venter superat, & corpus ipsa suscipit, ea neque Flatum exhibent, neque tormen; si vero venter non superarit, ab his & Flatus & tormen & alia hujusmodi fiunt.* Desideratis hisce dotibus pollent panis ex puro optimoque tritico confectus, probe fermentatus & in clibano coctus; ex hoc paratæ offæ ac pulticulæ; leves ac diluti avenæ, oryzæ, & hordei cremores; olera lenia, tenera, & igne cocta, spinachia, acetosa, lactuca, cichorium, scorzonera; fructus mites plerique cocti modiceque assumpti, ut poma, pyra, pruna, &c.; juniorum animalium teneræ albæque carnes, alcalescente sale magis orbatæ, coctuque faciliores, agnina scilicet, vitulina, hædina, perdiculæ pullorumque domesticæ & indicæ gallinæ, nec non phasianæ avis; inter pisces, molles aselli, passeres, soleæ, truttæ, percæ, cammari, astaci, non in oleo frixi, aut aromate pipereque nimium conditi, sed in aqua, cum parcissima

(*d*) Lib. de affectionibus. pag. 48. litt. A, B, class. 3.

ſalis copia cocti, aut ad ſummum leviter aſſati, & oleo acetove dein perfuſi: quocirca audiendus eſt Hippocr. (e) Hæc inquiens. *Piſces leve ſunt edulium & cocti & aſſati, & ipſi per ſe & cum aliis cibis..... percocti aſſatis ſunt leviores.* Poterit & etiam vervecina caro concedi, licet prædictis minus competat; verum quadrupedum aliorum ac volucrum carnes nigræ ferinæ dictæ, ut leporis, cervi, apri, anatis, anſeris, querquedulæ, ſcolopacis &c. cum viſciditate nimia, vel uberiori ſale volatili nocere queant; aut cautiori parciorique manu, aut nullomodo exhibendæ.

206. Pleraque ex his alimentis, (205), vel omni ſapore exuta, vel paulo lentiora, modica ſalis quantitate perſpergere ac condire decet. Licet autem non curta eorumdem expoſita fuerit ſupellex, promiſcue tamen, nimiaque cum cura, hæc variare, aut ex multis ſimul delibare nefas; tot enim natura diſſimiles, quamvis ex ſe innocui cibi, in ægrotantium noſtrorum ventriculo & inteſtinis, placide ſibi invicem ſociari, unaque ſine ullo tumultu, concoqui nequeunt. Victus ergo moderatus, levis, ſimplex, ex paucis ſibique affinibus alimentis paratus, Fla-

(e) Lib. de affection. pag. 50. litt. A, B cl. 3.

tulentis ſtudioſe commendandus, utpote ipſis longe ſaluberrimus, & Flatuum ferociæ domandæ aptiſſimus.

Potus.

207. Verum cibus, tametſi ſumma cum diligentia ſelectus, corpori debite reficiendo ſolus impar eſſet, brevique male ſubactus, primas vias, pondere ſuo gravaret, aut mora putreſcens vel fermenteſcens, pro ſua indole, concluſum ſinu ſuo aerem profunderet uberius, ſimulque membranaceas tunicas moleſte laceſſeret; niſi ſufficienti potu, tanquam vehiculo ſolveretur ac dilueretur, & ſic ex utroque coaleſcens chylus, minutiſſimos vaſorum mæandros, libere peragrare poſſet. Non minori ergo cum ſtudio geperſpiciendum, quodnam potulenti genus hic cœteris præſtet. Num tantopere decantatus ille liquor ex fermentato uvæ maturæ ſucco prolicitus, vini nomine inſignitus, reliquis omnibus anteponendus? Certe quidem, ſi bibaculos ſtrenuoſque compotores conſulamus, hac de re dubium movere piaculum eſt, nec cum pretioſo Bacchi munere, præſtantia ac dignitate decertare, nedum ipſum vincere, cuiquam liquido datum eſt. At vero ſi inanibus hiſce ac temulentis

vini præconiis ſurdi, experientiam, ut par eſt, audiamus; hæc vera ſemper monens, liquorem hunc præviæ fermentationis prolem, ardentique ſpiritu turgidum, Flatulentis noſtris generatim infenſum eſſe, præſertim largius hauſtum, edocebit. Vinum enim, nedum aſſumpta ſolvat & diluat, ea potius indurat & compingit, ventriculi tunicas ardore ſuo inficit, ſiccat & immaniter contrahit, ſicque appetitum ſubvertit, ut jampridem ab Hippocrate compertum fuerat; ſanguini autem, per conſuetas vias affuſum, ipſum vehementer commovet, incendit, aquea parte exuit, denſat, torret, villoſque omnes quos attingit, ſtimulat, conſtringit, corrugat; & ita tot ſonticos morbos parit. Flatulentis igitur, maxima cum ſeveritate, paulo plenior prohibendus vini uſus; ſed longius adhuc ab eorumdem epulis removeantur hæc graciora pocula dicam an venena? quibus baſim præbet ſpiritus vini propria indole ardens, tum fluidas, tum ſolidas Corporis partes, potentius ipſo vino, vi ſua cauſtica conſtringens, condenſans, tandemque exurens. Licet autem quotidiana ac largior improbetur vini potio, idem languidis præcipue & infirmis, modice concedendum eſſe cenſemus cum

Divo Paulo, ſed ſemper lenius ac tenuius, tartareo, craſſiori, aut fervidiori præferri meretur. Non magis ægrotantibus noſtris congruens potulentum præbet cereviſia, quæ non ſecus ac vinum, ex antegreſſa fermentatione nata, chylopoieticis viſceribus paululum inhærens, Flatuoſos vapores facile & copioſe emittit, moxque recenſitos effectus licet remiſſiori gradu, edere apta. Hanc, ſi recens, cruda, craſſa & in actu fermentationis ſuppreſſa fuerit, tanquam nocentiſſimum venenum, in hiſce morbis, habeto, ut ex prædictis liquet (61). Si vero tenuis, rite defecata ac vetus ſit, hauriri quidem poterit, ſed parce tantum. Idem fere, at paulo mitius, de pomaceo & pyraceo ac de cereviſia, judicium ferendum.

208. Memorata liquida (207), idoneum alimentis non ſuppeditare vehiculum, eaque potius vel ad dilutiora nutrimenta, vel ad cardiaca medicamina, quam ad potulentorum genus revocanda eſſe, ex jam præfatis luculentum eſt. Sola ergo aqua, veri potus munia præſtare compar, cui reliqua omnia quæ ſorbentur vel hauriuntur, mollitiem ſuam vel fluiditatem acceptam referunt; quæ aſſumpta quælibet probe ac pacate diluit,

ventriculum

ventriculum everrit, famemque concitat ex Hippocrate, cum hanc voracem dixerit, lubricam humorum ſervat tenuitatem, obſequioſamve vaſorum flexibilitatem fovet. An quotidiano uſui provida natura dicaverit aquam dubitas, attende quam larga manu hanc per univerſa loca effuderit; ubique enim e telluris ſinu, vel ſponte, vel arte obſtetricante, ſcaturientem cernere eſt, vel tenui vapore concreta, ad altos evolat montes, indeque confluit in rivos, qui prona per arva volvuntur, *Oceanoque ſuas properant confundere Lymphas*. Quæ ſimplex, pura, ſincera, levis, vaſa cruſtis non obducens, appoſito igne facile calens, citoque priſtinum frigus reſumens, legumen excoquere, ſordeſve eluere prompta, generatim omnium ſaluberrima prædicatur. Quoniam autem pluvialis aqua maxime ſubtilis, & uberioribus ſulphureis volatilibus particulis per aera diſperſis onuſta eſt, quarum ope, elaſticæ aeris poteſtati frena apponere, & ipſius ulteriori ex ingeſtis extricationi obſiſtere valet; hæcque ſufficienti quiete fœce ad fundum depoſita, rite expurgatur, & alteri vaſi commiſſa, diutius alia quacumque incorrupta manet. Eamdem ideo, à Flatulentis pro potu ordinario, quantum

commode fieri poterit, hauriendam esse censemus. Hujus certe non spernendi consilii, egregio aeris scrutatori Halles(*f*) laus sit; cui firmius adhuc stabiliendo, Hippocr. magni gravissima accedit auctoritas, dum hæc ait (*g*); *Pluviales aquæ levissimæ, dulcissimæ, pellucidissimæ, optimæ quidem sunt in medelam.* Huic autem aquarum speciei, tanquam bonitate proximam, ac indole summe affinem, merito spectamus fluviatilem, quæ tota deciduis imbribus coalescens, medio de flumine hausta, vaseque coercita, ut ubi terreum in fundo sedimentum deponat, pura & limpida habetur, ac per plures annos, ab omni corruptela servari potest immunis, Sic Arelatenses optimam epotant aquam, eamdem scilicet, quæ urbis mœnia proluit, & de medio Rhodani fluente, haustu facili accepta, intra figulinas urnas, in cellis vinariis reconditur, quamque illibatam per sæculum integrum perstitisse, fuit observatum. Sic quoque, qui in Occitania, circa fluviolum Vidourle habitant, ex ipsius medio, levem, sinceram ac pellucidam, hyemali tempore, depromunt aquam, eamdem-

(*f*) Statiq. des Végét. pag. 333.

(*g*) De aere, aquis & loc. parag. 17. in pluribus edition. & in edit. Mercurial. litt. D. pag. 23. class. 1.

que ſine ulla prævia expurgatione, ſalubriter hauriunt. Cujus duplicis annotationis, in Actis eruditorum Lipſiæ (*h*) eleganter relatæ veritatem, in ipſis locis, certo comperire licuit. Sic tandem Luteciæ pariſiorum, nulla fere alia pro domeſticis uſibus, potuque ordinario, uſurpatur aqua, quam quæ a Sequana miti populoſiſſimam hanc urbem alluente devehitur, & multigenis ſordibus tametſi conſpurcata, necnon eapropter, in non expertis cathartici vices perſœpe gerens, nihilominus tamen, valde utiliter ebibitur. Quod ſpectat ad aquam fontanam, quamvis avide expetatur, tenuitateque ſua ac cryſtallina pelluciditate arrideat & proſit; quoniam interim lenibus ſulphureis particulis plerumque orbata, ventoſis minus conducit. Attamen non deſunt ſalutiferi fontes, hac deſiderata ſulphurea ſubſtantia a natura ditati, ut ſupra (195) notavimus, qualis eſt ſancti Laurentii Fons in diœceſi vivarienſi, tum in ſanitate, tum in pleriſque morbis, lenem ac ſaluberrimum potum præbens. (*i*). Dum præſto ſunt fluviatiles aut fon-

(*h*) Obſerv. rara circa aquam rhodani Jacob. Spon Med. Lugdun. act. erud ann. 1683. pag. 519.

(*i*) Aſſemblée publique de la Société Royale des Sciences de Montpellier, du 25 Avril 1745. Journal des Sçavants du mois de Février 1746.

tanæ aquæ, utplurimum ſegnis ac torpens putealis rejicitur, Flatulentiſque generatim prohibenda, niſi tamen e vicino flumine, per arenarum aut terræ cola, quidquid ſordis ineſt repurgans, manarit, qualem leviſſimam ac ſelectiſſimam e puteis ſuis educunt Avenionenſes.

209. Quemadmodum autem Flatulentis pernicioſus eſt copioſior cibus, ita & etiam iiſdem noxius largior potus. Hic ergo & ſiti ſedandæ & vehendo alimento abunde tantum ſufficiens hauriatur. Verum cibus & potus nunquam indiſcriminatim ac quolibet tempore ingerendi, ſed in eorumdem uſu, quidam inſtituendus eſt ordo. Prandium aut cenam, plerumque a potu incipere non oportet, nec poſt unum aut alterum cibi fruſtulum, magnum exſiccare poculum, at tum moderatam haurire potionem, cum certa alimenti copia jam ventriculo fuit immiſſa. Mollia aliunde ac facilis concoctionis prius aſſumantur, quam duriora & ea quæ moleſtius concoquuntur. Prandium aut cenam nimium protrahere, nocet ſemper. Nunquam novo cibo ventriculus onerandus prioris digeſtioni incumbens. Nec jejunus, nec inter duos paſtus, nec lectum petens, nec jam in eo decumbens, generatim bibere debet Flatulentus.

Somnus & Vigilia.

210. Nec remissiori cum sedulitate, in somno & vigiliis, quam in alimentorum usu, Flatulentis modus servandus. Somno reficitur corpus & ipsius dispendia sarciuntur, ut autem mollis sit, placidus, quietus, fessaque membra levet, modice cenandum, juxta illud Salernitanum, *ut sis nocte levis, sit tibi cena brevis*. Mature lecto se committat æger, nec tamen priusquam assumpti cibi peracta fuerit coctio. Interrupti ac turbulenti Somni plerumque parens est liberalior ac luxuriosa cena. Nec brevior nec protractior sit Somnus; prior restaurandæ machinæ impar, unde tunc vigiliis nimiis deteritur & absumitur corpus; posterior vero solidis laxitatem, fluidis torporem impertiendo, debilitat corpus; hic ergo valet Quintilianum illud *nequid nimis*. Octo plus vel minus horas Somno dare, nocturnasque comessationes aut lucubrationes, aut alias quascumque vigilias caute devitare debet Flatulentus. Qui enim Somno noctis silentia, vigiliis autem diurnas devovet horas, hic naturæ monitis paret, simulquæ tuendæ valetudini, haud frustra incumbit.

Motus & Quies.

211. Quamvis autem aeris inclementiam (202.) ſtudioſe effugiat, nutrimentum accurate ſeligat (205.), & ſingulis temperantiæ legibus morem gerat Flatulentus; parum tamen ſibi cavebit, niſi his moderatam adjungat exercitationem. Hæc enim præſertim in amœno rure peracta, grata objectorum varietate, recreat exhilaratque animum, villos omnes contractiles leviter intendit, humores comminuit ac debite premit, æquabilem priorum undulationem, poſteriorum fluxum promovet, circumacto ſanguini calcar addit, paulo concitatiorem ſed æquiparem ciet ſpirituoſi liquidi affluxum ad partes, legitimo ſecretionum & excretionum, præſertim inſenſilis halitus ſucceſſui egregie favet, appetitum acuit, partes omnes volubiles & ad munia ſua obeunda alacriores ac expeditiores reddit; ſic totum roborat corpus, quidquid inæquale vel anomalum eſt in ſolidorum aut fluidorum motu, ſenſim depellit, priſtinumque revocat tenorem, & tanta efficacia Flatus excutit, juxta Fienum (*k*), ut par ſibi remedium non habeat, præſertim ſi parcimoniæ conſtanti ſocie-

(*k*) De Flatib. Comment. nouv. cap. 12. pag. 97.

tate juncta ſit. Nec citra fundamentum, exercitationem ut ſaluberrimam prædicamus; id enim undique teſtatur experientia. Ad illam mature inſtituendam, lucta, curſu, ſaltu, pueros incitat natura, & ita eorumdem imbecilles firmat artus. Toroſa ac nervoſa evadunt operariorum membra, quæ proprio ſibi opere, magis excercentur. Alta & aliquamdiu protracta loquela, confirmatur pulmo, ventriculique concoctio juvatur, quod in publicis prælectionibus habendis, contigit experiri.

212. Plura ſunt exercitii genera, deambulatio, equitatio, vectio, geſtatio, curſus, ſaltus, globorum, pilæ, rudium luſus, &c. In ventoſis affectibus ſicut & in aliis pluribus morbis, equitationi palma merito tribuitur. Hæc enim facili labore ac ſine ulla virium jactura peragitur, omneſque corporis partes, pendula præſertim & quaſi fluctuantia abdominis viſcera, æqualiter ac leniter concutit, ſicque ſœvientes & incarceratos Flatus expedire apta. Verum ſive equitatio, ſive deambulatio, aut vectio placeat magis, diligenter notandum 1°. Nonniſi abſoluta coctione, celebrandam eſſe exercitationem; pleno enim ventriculo, crudus adhuc chylus maturius in lactea vaſa

urgetur. 2°. Vires frangere, si ultra prima levis sudoris initia & ad lassitudinem usque protendatur. 3°. Finito exercitio, ab incalescente corpore sedulo amovendam esse subitaneam refrigerationem. 4°. Tandem frustraneam esse exercitationem, nisi comes accedat temperantia; hinc altis insculptum vestigiis maneat aureum illud divini senis præceptum, *non satiari cibis & impigrum esse ad labores.* Si ergo ad sanitatis tutelam & ad Flatuum expulsionem, tanti sit corpus moderate exercere; quam nocivum sit non tantum in vegetiori statu, sed & in omnibus saltem chronicis morbis, otio torpere, contrariorum ratione liquebit. Unde summo cum jure, a medicorum Cicerone, Celso scilicet dictum fuit; *otium corpus hebetat, labor firmat.*

Animi - Pathemata.

213. Verum præter egregia præcepta (a 201. ad 213.), quibus morigerum præbebit se Flatulentus; si Animi-Pathematis mature frenum injicere noverit, magnum ad tuendam valetudinem, Flatusque leniendos possidebit arcanum. Ita enim sibi invicem cohærent mens & corpus, ut ab hoc in illam & viceversa, mutuo transmittantur affectiones; nerveis

veis autem fidibus, velut communi quodam vinculo, conſtans illud animam inter & corpus, commercium ſtat. Corporis impreſſiones nervorum miniſterio, ad animæ ſedem, brevi propagantur, eamque diverſimode afficiunt; anima viciſſim vividius affecta, vehementius nerveas quatit habenas, novaſque & irregulares concitat in corpore motiones. Sedulo igitur varios animi motus temperet Flatuoſus, indomitam præprimis iracundiam fugiat, quæ fibras omnes nimium intendit, ſanguinis circuitum violenter accelerat, & in toto corpore, quaſi Febrilem æſtum accendit. Subitaneo terrore non facile percelli ſe patiatur; hic enim univerſum convellens nerveum genus, horridam ciet in exteriori corporis habitu ſtricturam, ſanguinemque interiora verſus repellit. Nec præſtat minus, firma Flatulenti præcordia acri mœrori aditum præcludere, qui corpus omne concutit, ipſius œconomiam pervertit ſomnum abigens, appetitum proſternens, tandemque inertiam & languorem infert. Lucubrationes aſſiduaſque & vividiores meditationes devitet, quibus validius commoto ac impulſo ſpirituoſo liquido, univerſa conturbatur machina, tumultuaria & parum accurata fit alimen-

torum coctio, unde copiosi gignuntur Flatus. Vesanum fugiat amorem, sicut & graves omnes curas, sollicitudines, invidiam, zelotipiam, &c. Voluptatum cœno irretiri & infigi horreat. Blandum sectetur gaudium, quo perfusum corpus exultat, & expedita alacritate viget. Amœna amicorum colloquia in deliciis habeat. Modo ruri, modo in urbe Ævum ducat. Lepidis ac festivis spectaculis, Musicæque dulcisonæ concentibus nonnunquam intersit. In una re contemplanda diu defixus non sit animus, sed potius objectorum diversitate recreetur, necnon studiose avertatur ab eo omni quod Flatulentorum affectuum ideam revocare valet: tandemque Diœteticas leges huc usque exaratas, accurate quidem, sed facile ac hilariter, non vero nimia cum mentis contentione, aut scrupulose servare debet Flatulentus.

DIÆTA PARTICULARIS.

214. At vero tot variæ extant Flatuosorum affectuum species, & ex numerosa adeo causarum caterva enascuntur; num his omnibus ex æquo competit jam præscripta victus ratio? Ita sane; sic enim concinnata fuere singula præcepta, ut cuicumque ventoso morbo apte con-

gruere possint, licet quædam ex his, certis casibus magis quam aliis apposita videantur. Interim, tam immanis inter varias hasce Flatulentas ægritudines intercedens, causarum & symptomatum ratione discrepantia, circa victus regimen, peculiaria singulisque propria monita addere nos urget. Hæc autem tribus præcipuis casibus aptabimus.

215. Primum ergo, si morbum pepererint aut in eo prædominentur æstus, siccitas, tensio, rigiditas, spasmus; si summa sit dolorum sœvities; si pertinax alvi durities; si sicco, vivido, cholerico, aut sanguineo, vel melancholico temperamento polleat æger, hæc peculiaris statuetur vivendi norma. Purus semper ac salubris eligatur aer, non ita siccus, & ad frigidiusculum potius quam ad calidum vergens. Mollibus ac refrigerantibus alimentis, offis scilicet, cremoribus dilutis, blandis oleribus, juniorum animalium non assatâ, sed elixa carne, piscibus aquæ incoctis non frixis, sed his omnibus sobrie sumptis vescatur æger. Solida hæc alimenta, largiori aquæ potu proluat: hanc calidam ante & post pastum haurire, non vetitum ibi, sed potius a celeberrimis practicis, præsertim a D. Hecquet, tanquam efficacissimum auxi-

lium commendatur; quin imo, matutinis ac pomeridianis horis, æstate potissimum, unum aut alterum aquæ cyathum sorbere proderit, assumptis simul panis levissimi frustulis aliquot. Vinum, liquores ardentes, Caffe decoctum, circæa tanquam pocula vitet. Theæ infuso nonnunquam licebit uti. Quieti ac somno, congruenti tempore, paulo liberalius indulgere fas est. Placida tamen ac lenis quotidie celebranda corporis exercitatio. Studio ac meditationi diu incumbere metuat. Effrenes animi affectus caute præcaveat aut mature compescat. Quidquid amœnum, ludicrum, & exhilarare aptum, modo licitum nec nimium sit, sectetur; tandemque singulis temperantiæ legibus haud ægre obsequens, leviores Flatuum insultus securus spernat, nec cito e Pharmacopæorum arculis auxilia properet eruere, cum efficaciora tunc, simulque gratiora suggerant hygiasticæ leges.

216. Si autem laxitas, torpor (85), crassi & pituitosi humoris (67) coacervatio, Flatulentum intulerint affectum, aut ipsum præcipue foveant, frigidaque ac cachectica temperie præditus sit ægrotans; contraria prorsus mox laudatæ (215.) suadenda victus ratio. Humidus

ac nebulosus, majori cum cura, fugiendus aer; paulo siccior sive frigidiusculus, sive calens, ut salubrior præferendus. Probe coctum ac semine quodam calido aut modico sale conditum panem comedat æger; biscocto nonnumquam utatur. Non graves ac viscidos, sed leves coctuque faciles ingerat cibos, nec copiose & una aut altera vice, sed sæpius parciusque in die. Si maxima debilitas adsit, panatellæ, juscula, ac gelatinæ, modice addito sale, aut cinnamomo, aut alio aromate, sat erunt; tunc enim ventriculi & intestinorum languidas vires, solidiora penitus opprimerent alimenta. Si vero non adeo infirmus sit æger, supra dictis cibis (205.) vesci poterit, qui fœniculo, majorana, mentha, salvia, hyssopo, calamentha, sale, & aromatum accessu, prudenti manu condientur. Carnibus assatis sale aut aromate conspersis, salviaque vel roremarino suffixis reficietur, præsertim in cena. Aqueum laticem parcius hauriet, huncque affuso vino rubro paululum austero temperabit. Nucum, corticum citri & aurantiorum, ac cydoniorum cum sacchalro confectæ conditurae, congrua ipsi fercula erunt. Segnis ac sedentaria vita hic exitiosa, nihil contra proficuum ma-

gis ac salutiferum est, quotidiana ac pleniori exercitatione, quæ laxis resolutisque villis, rectius alio quocumque auxilio, ac sensim robur addet, simulque viscatum ex alimentarii tubi parietibus excutiet humorem. Diu somno non hæreat immersus, ac mature exiliat e lecto. Violentos hic etiam animi affectus, sapiens frenabit æger, non item moderatos, & ab excessu alienos, quin imo & quandoque percelli vividius, & in levem nec difficile sedandam exandescentiam erumpere, proderit; sic enim paulo major in fibris omnibus tensio concitatur. Hic tandem congruum illud recensendum est monitum, non moleste, sed hilariter hæc servare præcepta, & curiose nimis ad hæc mala non attendere.

217. Tertius tandem casus occurrit, (100. 101. 102.) in quo dissimiles simul coincidunt causæ. Verum ad hunc potissimum spectant generalia præcepta jam satis fuse enumerata (a 201. ad 214.), quæ ibi magis sollicite & accurate servanda, ob ingentem mali pertinaciam, & proniorem Flatuum ortum. Quapropter peculiare nihil hic superest addendum.

218. Insurgent fortasse nonnulli; ut quid prolixa hæc legum Diœteticarum

expoſitio? Num ſuſcepti operis immemor, integrum de Hygiene tractatum conſcribere decreviſti? Non inficior quidem, me ſolito longiori ſermone, hanc proſequutum fuiſſe Provinciam; id tamen conſulto ſic præſtitum eſſe, profecto non negabis, ſi quotidianam conſulans experientiam, probe noveris, ex hac inſtituta legitima victus ratione, certius multo quam ex amplo Medicamentorum apparatu, emolumentum in Flatuoſos plerumque redundare.

212. Fatendum interim, omnia hæc præcepta (a 201. ad 218) vere Prophylactica, ad præcavendos Flatus potiſſimum præſtare, ſola vero, furenti eorumdem ſœvitiei coercendæ, imparem ac debiliorem eſſe aggerem. Singulorum ergo Flatulentorum affectuum peculiaris Therapeia ſeorſim tradenda. Quia vero ſymptomatum immani feritate, præ cœteris acerbior ac horridior Colica Flatulenta (6. *b*, *c*, *d*), citiorem efflagitat medelam; huic quamprimum & impigre opitulari, congrua muneris ratione urgemur.

CURATIO COLICÆ FLATULENTÆ.

220. Cum ob ſummam Cauſarum (91) varietatem, mirum in modum dif-

ferat Colica Flatulenta, diversa ea propter ac multiplex, singulisque præcipuis causis consona, calcanda erit methodus. Hanc autem statim prodere consentaneum est, quæ frequentiori Colicæ Flatulentæ speciei congruit, natæ scilicet a spasmo.

CURATIO COLICÆ SPASMODICO-FLATULENTÆ.

221. In hoc igitur diro affectu, cum inter partes spastice præclusas coerciti Flatus ingentem fistulæ intestinali distensionem inferant (91); id inprimis medenti cordi erit, claustra nempe coercentia laxare, seu spasmodicam constrictionem lenire aut adimere, & Flatibus per inferiora viam parare; dum interim ea non omittentur, quæ commotum ac rarescentem aerem quasi figere & componere valent. Inde ergo liquido patet, Laudanum cum blanda paregoricorum & laxantium familia (196. 3°. 4°. 5°.), hic merito principatum obtinere. Quoniam tamen non æquabiliter, per universum alimentarium canalem, diffusa hæc spastica strictura, ut supra (38. 68.) comprobatum est; huic ita caute per demulcentia, anodyna (196. 4°.) & narcotica (196. 5°.) medendum, ne partibus ab hac

coarctatione liberis, torporem inducamus. Unde consequens est, medicamenta quintæ classis (198) particulis salinis oleosis blandis volatilibus fœta, virtute tonica, aerem frenante, simul & antispasmodica prædita, eximie profutura, iisdemque socianda esse opiata.

222. His ita notatis (221), cum insuper Flatus deorsum ferri ac eliminari præstet summopere; emollientia & laxantia, per anum præsertim infundere juvat: unde summam esse, ad morbum hunc abigendum, clysterum efficaciam, ac per eosdem ordiendam esse curationis telam, abunde perspectum est. Sequens ergo anodynus & carminativus, partitis vicibus injiciatur.

Rec. fol. viol. & branc. ursin. ana manip. j. flor. malv. & verbasc. ana manip. semiss. semin. lin. & anis. ana drachm. ij. semin. cumin. drachm. j. flor. melilot. & chamæm. ana pug. j. coq. in suff. quant. aq. f. in colatur. & express. libr. j. dissolv. olei amygd. dulc. recent. & olei chamæm. ana unc. j. f. clyster, cujus statim media pars injiciatur, & duabus horis post, alia.

Alterum istud enema, ut emolliens,

anodynum & carminativum merito laudatur a clarissimo autore (*l*).

Rec. flor. chamæm. melil. & folior. malv. ana manip. ij. coq. in decoct. omasior. q. s. f. clyst. eodem modo infundendus.

Unicus plerumque non sufficit clyster, sed pluries iterandus, ob nimiam constrictonis vim & pertinaciam, semperque parciori copia injiciendus, ne ab eodem diutius retento intestina nimium expandantur, sed ut blande tantum emolliantur, laxentur & demulceantur. Si jam priorum ope non mitescat affectus, & e contra sœviat semper dolor, alter magis anodynus ex usu erit.

Rec. folior. lactuc. endiv. & semperviv. major. ana manip. j. rad. alth. contus. unc. j. flor. nymph. malv. & semin. lin. ana pug. ij. semin. fœnic. & flor. chamæm. ana pug. j. papaver. alb. capita ij. coq. in s. q. aq. f. ad libr. j. in colatur. dissolv. mucilag. semin. psyll. unc. ij. olei semin. lin. recent. unc. j. f. clyst. eadem ratione, qua priores, injiciendus.

223. Possunt & etiam fieri clysteres

(*l*) Geoffroy Mater. Med. tom. 3. art. de Melil.

illi, ex aqua fluviatili, ex thermali miti & sulphurea (195.), ex hordei vel avenæ decocto, ex sero lactis, ex aqua pulli junioris, ex omasiorum decocto, ut jam dictum (222.), tum & ex blandis emulsionibus; quibus omnibus leviter incoquuntur flores & semina carminativa, tandemque olea lenia, mucilago dulcis, ovorum vitelli &c. adduntur. Nec placet alias adjicere formulas, cum jam traditæ abunde sufficiant. Maximam opem ferunt hujusmodi enemata, imo & sine aliis adminiculis, persœpe sola intestinalis fistulæ partem inferiorem laxando ac leniendo, sicque flatus deorsum proliciendo, Colicam Flatulentam profligant, præcipue si in crassioribus intestinis sedem habeat. Nusquam vero magis congruunt, quam ubi jam graveolentes prodeunt Flatus, tunc enim *glandula subdititia, aut infuso per clysterem utendum esse* præcipit Hippocr. (*m*).

224. Si vero parum profecerint injecta clysmata, & præprimis si gracilia intestina vel ventriculum obsideat affectus, ad alia præsidia necessario confugiendum erit. Potio sequens ex medicamentis secundæ (195.) tertiæ (196.) & quintæ (198), classis concinnata, egregie pro-

(*m*) Lib. de Vict rat in acut, pag. 229. C. class. 1.

derit, quæ nempe frenando aeri, laxando spasmo, necnon tono leviter fovendo compar.

Rec. aq. fœnic. & lilior. ana unc. ij. aq. naph. unc. j. Theriac. veter. scrupul. j. spirit. nitr. dulc. glauber. gutt. vj. laud. liquid. gutt. xxiv. olei amygd. dulc. recent. & sine igne express. unc. j. & dimid. olei anis. gutt. iij. misc. f. potio pro triplici dosi exhibenda, dato intervallo bihorii inter unam & alteram.

Hæc etiam potio felicem sortietur effectum, ut pote quæ mox laudatis superbiat dotibus.

Rec. aq. aneth. & fœnic. ana unc. ij. essent. carminat. Wedel. gutt. xxx. laud. liquid. gutt. xxiv. olei semin. lin. recent. unc. j. misc. f. pot. pro dupl. dos.

225. Sic pro circumstantiarum varietate, proportione diversa, & sub variis formulis, præscribi possunt medicamenta superius enumerata (a 194. ad 199.). In ultima classe (198.) laudatissimum micat inter omnia chamæmelum, cujus flores, ob amicabilem principii salini amari, & olei blandi ac subtilis miscelam,

tonicam ſimul & antiſpaſmodicam vim inſignem poſſident : ex his floſculis non quidem larga manu, ſed ad pugillum unum receptis, paratum leve decoctum aut infuſum in aqua, in juſculo, vel in vino albo tenui, vel in cereviſia, vel in ſero lactis, vel tandem in avenæ excorticatæ juſculo, & idemtidem in die hauſtum, adeo mirificum in Colica Flatulenta, auxilium præſtat, ut ipſius antidotum a ſolertioribus practicis nuncupetur. Eamdem ferme laudem meretur infuſum aut leve decoctum cumini vel per ſe at parciori copia, nempe ad pugillum dimidium, vel cum chamæmeli floribus adhibiti. Hiſce conſulto additur, ad magis leniendum, oleum amygdalarum dulcium, vel ſeminum lini, vel ſi horum non detur copia, optimum olivæ oleum, ad duo cochlearia. Solum etiam recens & blandum ultimum illud, ad uncias duas vel tres, haud ſine levamine propinatur. Parari poteſt oleum cumini, hujus ſemen in phiala, cum oleo olivarum infundendo, ſicque paratum ad unum aut alterum cochlear, vel cum chamæmeli infuſo, vel ſolum feliciter hic uſurpari. Quod autem diſtillationis ope, e cumino prolicitur oleum, nonniſi frigidis morbis competit. Oleum amygdalarum dulcium & leve

ſummitatum fœniculi infuſum, aut aqua fœniculi ad uncias duas, ſimul non ſine fructu, hauriuntur. Remedium iſtud, licet ruſticum, ſatis efficax comperitur.

Rec. vin. rhenan. aut alterius cujuſcumq. optimi unc. iv. vel v. nuc. moſchat. ſcrup. ij. olei commun. ſeu olivar. cochlear j. miſc. omnia cum ſ. q. ſacchar. bibatur calide.

Sequens medicamentum, a Fieno valde commendatur.

Rec. flor. chamæm. ſemin. aniſ. & cumin. ana pug. j. coq. in vin. optimo; add. puluer. nuc. moſchat. momentum & olei amygdal. dulc. unc. j. & ſemiſſ. hauriat ſtatim æger.

Dubitat prædictus autor, an huic rememedio par alterum exiſtat. Flatus etiam mitigat oleum amygdalarum dulcium in aqua menthæ & pauca quantitate aquæ cinnamomi hordeatæ mixtum (*n*).

226. Semina fœniculi, anethi, aniſi, carvi, cumini, aliaque id genus, pulueṙata, aut cum aqua calida infuſa, ob ſulphur blandum, vaporoſum, aromatico ſali nuptum inſigniter aerem coercent,

(*n*) Hecquet, Maladies de l'eſtomac, 2. part. chapitre 12.

expanſis partibus robur addunt, laceſſitas & commotas placant, ſicque ſpaſmos feliciter ſedant, & toni æquabilitatem reſtituendo, Flatus diſcutiunt. Hic diligenter annotandum, diu non incoquenda eſſe hæc omnia carminativa; facile enim ab igne, tenuis, volatilis eorumdem vis aufugit, ut optime in amœnitatibus materiæ medicæ advertit Wedelius. Horum ergo potius adhibenda infuſio, aut ad ſummum, levis ebullitio. Si cum floribus chamæmeli, coquantur ſemina carminativa, addatur oleum amygdalarum dulcium, & ſaponis veneti tantillum, fit clyſter infantes atrociſſimis Flatulentis torminibus egregie liberans (*o*).

227. A peritiſſimo practico (*p*) laudatur mixtura ſequens.

Rec. rad. alth. unc. ij. coq. in aq. f. libr. ij. ad mediæ partis conſumptionem. cola. dein rec. ſemin. aniſ. fœnic. coriandr. ana drachm. ij. & ſemiſſ. contund. in mortario. affund. aq. ruth. & puleg. ana unc. iv. infunde calide in vaſe probe obturato,

(*o*) Frider. Hoffman. diſſert. 32. de præſtantia remedior. Domeſticor.

(*p*) Hecquet, Medecine dés Pauvres tom. 3. page 243.

per iv. horas. utraque colatura misceatur. adde syrup. diacod. unc. iv. laud. liquid. Sydenham gutt. xxxx. ad unc. ij. aut iij. mixtura hæc propinatur.

Carminativum hunc pulverem perite effictum, adversus colica tormina præscribit Hermannus (*q*).

Rec. semin. levistic. drachm. semiss. castor. gr. x. croc. orient. gr. vij. laud. opiat. gr. j. misc. f. pulvis pro duabus dosibus in aqua chamæm. vel fœnic. sumend.

Hoc autem medicamentum, concitatos ab hysterica passione Flatus præsertim compescere valet.

228. Famigeratissimus quondam Galliæ practicus, archiatrorum comes D. Chirac, quem nominare abunde & magnifice laudare est, cujusve maturiorem obitum adhucdum ars medica luget (*r*), ad profligandam Colicam Flatulentam, statim purgantem hunc & carminativum clysterem infundi jubebat.

Rec. decoct. chamæm. melil. & semin. anis. libr. j. diaphœn. & be-

(*q*) Cynosura mater. Med. tom. 1.
(*r*) D. Chirac, Traité manuscrit des maladies.

ned.

med. laxativ ana unc. j. misc. f. clyst.

Postea sequens juxta ipsum, mira praestans injiciebatur.

Rec. urin. puer. libr. j. infundatur in intestina statim.

Vel.

Rec. urin. puer. & vin. optim. ana libr. semiss. f. clyst.

Vel.

Rec. decoct. chamaem. & melilot. libr. semiss. medull. cass. recent. extract. unc. j. misc. cum vin. pur. libr. semiss. f. clyst.

Dein juleppum hunc, eadem die, exibebat.

Rec. aq. cichor. & portulac. ana unc. iij. cryst all. miner. drachm. semiss. syrup. limon. unc. j. laudan. opiat. gr. j. sal. ammoniac. gr. xv. aut spirit. sal. ammon. gutt. xij. misc. f. julep.

Sal ammoniacum ipsius spiritui alcalino volatili anteponerem, ne inter hunc & syrupum acidum, effervescentia moveretur novos semper parturiens Flatus. In hac etiam affectione, dum a

ſpaſmo unice orta, clyſteribus cathartica addere minus conſultum videtur, caſſiam præſertim quam Flatuoſam unanimi ore ferunt omnes, quæve ubi uſurpatur, ſemper levi ebullitione coquenda, ut pravam hanc qualitatem ſaltem partim amittat.

229. Ex dictis (a 221. ad 228.) eluceſcit, narcotica prælaudata ratione exhibita, aliiſque conſociata remediis, omnium præſtantiſſima, adverſus Colicam Flatulentam ſpaſmi ſobolem, eſſe auxilia, præſertim vigente morbo & ſœviente dolore: & hæc quidem poſt injecta enemata emollientia & anodyna, uſurpare palmarium eſt. Verum ſi minor ſit cruciatus, aut jam miteſcere incipiat, & potius inflatione moleſta quam doloris ſenſu torqueatur æger; vel ſi viſcidus ac glutinoſus humor, vel aliæ quæcumque ſordes in primis viis latitent; vel ſi aliud quidpiam contraindicet: tunc aut valde refracta doſi, aut aliorum medicaminum additione emendata, aut nullomodo propinentur narcotica, quemadmodum & oleoſa, iiſque merito palmam præripient reliqua carminativa, inprimis quæ quintæ claſſi (198.) annumerantur.

Curatio Colicæ Flatulentæ Spasmodico-Sanguineæ.

230. Si accendatur febris, aut si pulsus plenus sit & validus, aliaque adsint redundantis sanguinis indicia; vel si a suppresso menstruo aut hæmorrhoidali fluxu ortum trahat affectus; vel si vehementer excruciet; maxime proficua erit venæ sectio. Tunc enim metuendum, ne ob intestinorum stricturam, nimium arctatis vasis sanguiferis, in iisdem subito hæreat & inflammationem concitet, aut aut in superiores partes uberiori copia repellatur sanguis. Hinc ergo, quamvis Colica Flatulenta a spasmis genita venæ sectionem plerumque non expostulet, si in ea mox descripta signa occurrant, illico & sine ulla mora, mittendus sanguis; nec V. S. iterare pigeat, quamdiu febrilis perstabit pulsus, aut sanguine turgebunt vasa, præprimis si juvenis ac plethoricus sit æger. Verum si spasmus hujus morbi parens, ab uberiori sanguine intestinalia vasa prætermodum extendente natales ducat, ut quandoque evenit, sicque exurgat hæc Colicæ species, quam hæmatitem seu sanguineam dixere nonnulli; cui perspectum non est, præcipuam sanationis spem, tunc in sanguinis

missione reponendam esse, quæ proinde & majori cum audacia & frequentius instituenda, non neglectis interim lenientibus & anodynis, de quibus jam egimus. Si autem ideo in intestinalia vasa exundaverit sanguis, quia negatus periodicus ejusdem per catamenia aut hæmorrhoides exitus; fluxum hunc propriis adminiculis revocare annitendum. Singularem hic observationem recensere consentaneum est.

Rara observatio circa S. M. usum in hoc morbo.

231. Consilium petiit a me virgo jam provectioris ætatis, ut pote annum quadragesimum septimum agens, pro abigenda aut saltem mitiganda sœvissima ac pertinacissima ventriculi Colica, qua a pluribus annis conflictabatur. Hæc macilenta, sanguinea, alvum plerumque siccam & adstrictam habens, uberrimum catameniorum profluvium patiebatur olim, & præterea hæmorrhoidum fluxu sœpius affecta fuerat, tuncque colicus dolor non ita frequens, nec tam sœvus erat; ex quo vero fluere desierant hæmorrhoides, menstruaque purgatio ob effoetam ætatem parcior, aut tandem naturæ lege abrogata fuerat, malum tum

frequentiæ tum ſœvitiei ratione, maximum cœpit incrementum, itaut ſœpiſſime recurreret ac per plures dies miſeram excruciaret, æſtivo præprimis tempore; hyberno autem appetente frigore, miteſcebat utplurimum, ac per totam hanc tempeſtatem, aut raro aut nunquam recrudeſcebat. Flatibus obnoxia erat ægrotans paroxyſmi tempore, ventriculum quaſi Flatu vago turgidum necnon ſuctione quadam veluti retractum perſentiebat, ructibuſque emiſſis & fuſa alvo levabatur: verum id ſingulare magis ac notatu dignum, in hac Colica occurrebat, quod quocumque tempore diu vel noctu ingrueret, ſumptis illico aliquot panis aut alterius cibi fruſtulis, pro tempore ſedabatur, & priorem ſœvitiem reſumens, ingeſtis iterum nonnullis alimenti buccellis, rurſus placari poterat. Si vero accedente affectu, non ſuppeteret alimentum & ſubito non exiberetur, ſed tantum paulo poſt, tunc mitigari non patebatur doloris acerbitas. Colicam hanc tanquam Spaſmodico-Flatulentam & hæmatitem ſeu ſanguineam ſpectavi, eamdemque a tubi inteſtinalis ſiccitate & ſtrictura Flatus ſurſum repellente, & a ſanguine præſertim uberiori, vehementiuſque forte commoto ad gaſtrica vaſa reſiliente exoriri

ratus ſum. Ideo vero ingeſtum alimentum levamen afferebat, quia Flatus ad ſubſidentiam cogebat, partimve in inteſtina urgebat, aut horum eructationi, ſuperius ventriculi orificium aperiendo, favebat, tandemque ventriculi tunicas extendendo, vaſorum nimiam expanſionem avertebat. Innumera incaſſum abhibita fuerant auxilia; victus regimen leniens & emolliens, juſcula quædam diluentia ac leviter reſolventia, nec non ſerum lactis cum lenibus carminativis, & aquæ dulcis balnea præſcripſi; ſed inprimis ſuaſi, ut idemtidem ſanguinis miſſio celebraretur, in qua potiſſima verſabatur ſanationis ſpes. Sub æſtatis anni proxime elapſi 1745 initium, cum ſolita ſœvitie renovatus eſt morbus; ſemel ſecta vena, poſt duos dies penitus fugatus fuit, perſtititque ægra per integrum menſem ab eo immunis. Rediit iterum affectus, iterumque at citius, miſſo ſanguine ſubactus, nec per multum temporis, recurrere viſus eſt, quamvis reliqua alia præſidia utut congrua, ab ægrotante negotiis impedita prætermiſſa fuerint.

232. Miranda hæc obſervatio maximam habet affinitatem, cum famoſa viri in Œniadis ægrotantis, ab Hippocra-

te (s) descripta historia, quam hic attexere juvat. *In Œniadis, vir quidam morbo tenebatur, cum sine cibo esset, fortiter in ventre ipsius sugebat & dolebat: & cum edisset ac cibi contriti essent tempusque post cibi esum accessisset, non longe postea idem hoc patiebatur: & tabescebat corpus ac consumebatur, & alimentum ipsi non contingebat a ciborum esu, & per alvum secedebat cibus pravus & combustus, cum vero recens cibum accepisset, eo ipso tempore minime sugebat, neque dolor aderat.* Hic omnis generis *pharmaca bibens, sursum ac deorsum purgantia, nil opis sentiebat, ubi vero vena ipsi secta esset in utraque manu, donec exanguis redderetur, postea utilitatem percepit, & à malo liberatus est.* In hoc potissimum congruit uterque casus, quod cibus dolorem levabat, sectaque vena profuerit ac morbum depulerit. De consimili etiam affectus indole ambigere non licet, constat enim utrumque Colicum fuisse dolorem suctionis sensu stipatum, & a redundante sanguine ortum duxisse perhibet faustus in utroque V. S. successus: an causarum antecedentium ratione, convenientia aut discrepantia fuerit, la-

(s) Libr. 5. de Morb. popular. pag. 152. litt. A & B. class. 1.

tet, cum hac de re, in observatione sua sileat Hippocrates. Flatus alvique siccitas in ægrotante nostra aderant, æger vero divini senis curæ commissus, cibi pravi secessum per alvum patiebatur; macilenta quidem erat ægrotans nostra, at vir in Œniadis jam tabe marcescebat, unde magis mirum tam larga S. M. percuratum fuisse, & ideo censet Vallisnerius Hippocratem hoc in exemplo empyricum gessisse. Id certum manet morbum utrumque Colicam fuisse ventriculi, & Colicam hæmatitem eodem peculiari symptomate comitatam, tandemque eodem subsidio feliciter profligatam. Nec frustraneum erit observationem aliam ex Commercio Litterario Physico Technico Medico Norimbergensi excerptam (*t*) hic adjungere, qua sanguinis missionis in Colica Flatulenta spasmodico-sanguinea magis ac magis elucescit utilitas. *vij. ex Litteris D. D. Abrahami Nitzschii Dantiscani S. C. M. Russicæ Medici Castrensis a D. 6. Nov. 1733. ad D. D. Schulze Halam missis, vir quosdam supra quadraginta annos natus, macilentus, vividus & alacris, diætæ vinosæ vitæque inordinatæ, inter pocula & lusus per lon-*

(*t*) Commerc. Litter. Physic. Techn. Medic. Norimberg. Hebdomas viij. 1734. pag. 59. & 60.

gam

gam noctem deditus, venæ ſectioni adſuetus, quam quatuordecim ante morbum diebus in brachio, minori tamen quantitate admiſerat, corripitur exeunte Septembri trigeſimi ſecundi anni, vehementibus Coli doloribus cum alvo pertinaciter obſtructa, quam proprio quidem auſu per extracti drachmam ducendam tentat, fruſtra tamen: aſſumptum enim vobimundus reddit; medicam hinc implorat opem; vocor. Nauſea, vomitus, tam inanes quam cum rejectione bilioſo-ſeroſorum humorum cum aliquali ad minuta quædam levamine, inflatio Hypochondriorum, pulſus quandoque intermittens, æſtus & ardor circa umbilicum, dolores totius abdominis horrendi, cum alvo obſtinate officium negante, præſentem morbum ſat indicant. Inquirenti in cauſas antecedentes reſpondet, ſe per tempus quoddam vehementibus exagitatum animi commotionibus, zythoque fœculento, pro potu ordinario uſum fuiſſe. Colicam inde bilioſo-Flatulentam ſubeſſe autumans, quæ hanc tollerent ordino; præſcribo nempe enema ex herbis & radicibus emollientibus, paregoricis, &c. Præbeo ſal apertivum ill. Hoffmanni Præceptoris omni mea laude majoris, ut & liquorem ejus anodynum. Levabantur quidem exinde dolores, ad tempus tamen.

Sitis enim quæ ægrum mire vexabat, potum urgebat. Hic vero assumptus (erat decoctum avenaceum tenue cum passulis minoribus & floribus chamomillæ paratum) ob copiam & stagnationem alvo nihil reddente, intestina adeo sollicitabat, ut summa ægroti anxietate, & notabili sitis augmento ano ipsum rejicerent. Clysteres sedulo quamquam adhiberentur, nihil movebant; Flatulentiam vero & angustiam præcordialem augebant. Accedebat insuper primo morbi die, mentis alienatio, convulsiones transitoriæ tamen ut & lypothimia, quæ per totum morbi cursum persistebat. Frustra sic exhibitis alias summæ utilitatis remediis, quid porro consilii subesset, mente sedulo volventem, bona fortuna Chirurgus, applicandis enematibus occupatus, altero morbi die monet 1°. intestinum rectum ægre admittere fistulam clysteris; 2°. clysteres ipsos aut adaucta anxietate & Flatibus retineri, aut sine ullis excrementis summa difficultate reddi. 3°. Parum vero sanguinis in olla comparuisse. His motus, ægrotum num hæmorrhoides unquam expertus interrogo; affirmat. Quum adhuc pulsus, tardus licet, magnus tamen & plenus feriret, Colicam hanc haud proprie colluviei humorum bilioso-serosorum, sed sanguinis præcipue intra tunicas intes-

sini recti stagnationi, & inde (sic ab ill. Hoffmanno edoctus) oriundo spasmo deberi, sine hallucinatione judicans, ex instanti sanguinis e pede ad uncias octo impero missionem. Mirandum sane quanto impetu prosiliebat sanguis, quam cito silebant dolores, quam prompte alvus injectis respondebat clysteribus; quam expedite quoque remedia suam exerebant virtutem, ita ut, jure specificum hac in passione, audiat venæ sectio remedium, quin plane divinum. Hujusmodi exempla ad V. S. in Colica tum Flatulenta, tum alia, instituendam incitare debent, quoties hanc peperit aut fovet sanguis redundans. Num talem causam semper aut plerumque arguit, doloris a sumpto cibo mitigatio? Num istud symptoma S. M, constanter suadet & indicat? Hic tandem sedulo meretur annotari Hippocratem ad sanandos Flatus V. S. præscripsisse his verbis (*u*): *Ventositatem V. S. fluxionem Pharmaco illito, sistito.*

Externa Præsidia Colicæ Spasmodico-Flatulentæ.

233. Nec silentio hic prætermittere fas est, externa medicamina, quæ Flatu-

(*u*) Lib. 2. de Morb. popul. sect. 5. pag. 115. litt: C. class. 1.

lentæ ſpaſmodicæque Colicæ ſummum perfugium ferunt, fomenta ſcilicet & cataplaſmata ex herbis emollientibus & carminativis, malva ſcilicet, parietaria, viola, chamæmelo, meliloto, fœniculo, &c. in aqua coctis compoſita; litus ex oleis amygdalarum dulcium, lini, roſaceo, chamæmelino, & unguento althææ concinnatos; & ſemicupia ex herbarum emollientium ac carminantium decocto inſtituta. Si autem hæc omnia calide admoveantur, ut par eſt, egregiam navabunt operam, humidis nempe, lubricis ac ſubtilibus particulis, per hiantes mollium integumentorum poros, ad interiora uſque tranſmiſſis, totum extus non ſolum, ſed & intus perfundetur laxabiturque abdomen, ſicque ſedato ſpaſmo, fauſtis avibus Colica diſcutietur Flatulenta. Hic præſertim commendare decet ſemicupium ex oleo communi paratum, cujus miniſterio dolorem Colicum acerbum, & qui nullis paruerat remediis, excreta pituita vitrea, momento depulſam fuiſſe memorat Trophymus Serrier (x); & quo præcipuam opem ferente, ac præcluſam conſuetam excrementorum viam reſerante, juvenem paſſione iliaca dire

(x) Obſervat. Medicin. lib. II. Obſerv. 8. de dolor. colic. pag. 404.

vexatum, novem abhinc annis, quasi ab orci faucibus eripueram, qui tamen maturiori ac lethifero amasiæ suæ languidas ipsius vires reficere gestientis, & ideo cibum solidiorem clam & contra jussum meum exhibentis, obsequio, brevi renovato affectu, misere periit. Quocirca obiter hic monitum velim, ut sedulo attendant Medici, ne ipsis vitio vertatur, quod assidentium errori tribuendum. Sed & præter hæc proposita topica, alia etiam complura adhibentur, de quibus omnibus infra fusius disseretur.

Catharticorum usus in hoc affectu.

234. Purgantium vel etiam mitiorum usum, reformidat hujus affectus spasmodica indoles; rigidis enim eorumdem spiculis acriter pungi, proindeque vehementius constringi debent jam spasmis arctata intestina. Nascente igitur aut adhucdum sœviente hac Colicæ specie, Catharsim instituere piaculum est. Si vero jam remiserit morbus & ab omni dolore immunis sit æger, nec levis adsit suspicandi locus, pravis succis, vigente spasmodica strictura, collectis primas vias infici; blandum exhibendum erit Catharticum, manna, v. g. ad uncias duas aut tres, cum oleo amygdalarum

dulcium, in aqua pulli junioris, vel in jusculo omasiorum, vel in infuso quodam carminativo soluta; tamarindorum pinguium, crystalli mineralis, florum violæ & persicorum decoctum in sero lactis, ad aliquot cyathos haustum; leve tamarindorum simul & mannæ decoctum, &c. Syrupus persicorum aut de cichorio compositus, necnon parca salis Anglici dosis, quandoque adjici possunt. Vespertinis horis, ad sedandum impetum a cathartico editum, vel syrupus papaveris albi, vel laudanum liquidum exhibebitur. Si autem prorsus sedato affectu, ventriculum & intestina vitiosa materia inquinari, suspicio nulla sit, jamque vigeat satis appetitus, consulto prætermittetur purgans.

Curatio Colicæ Spasmodico-Flatulentæ ab Acri.

235. Spasmodico-Flatulentam Colicam, ab Acri primas vias mordente ac lacessente moveri, contingit nonnunquam, ut expositum est (76); tunc autem qui morbum hunc depellere nititur, Acris hujus necesse habet peculiarem indagare naturam, ut scilicet jam propositis auxiliis (196. 3°.) quibus acre quodcumque leniri ac dilui potest, simulque

membranaceus tubus molliri ac laxari, propria par ſit adjungere medicamina, quæ hoc vel illud privatim retundere, convertere & immutare valeant. Hæc ſupra paucis indicata (196. 2°.) fuſius infra enumerabuntur. Præſens vero caſus exigit, ut penitus placato dolore, miti ac oleoſo cathartico (234), ſordes acres extrudantur, ſicque novus morbi avertatur inſultus.

Diæta in Colica Spaſmodico-Flatulenta obſervanda.

236. Verum dirum hunc affectum fugare imparia eſſent tot deſcripta medicamenta, niſi his congruens diæta ſociam jungeret opem. Quamdiu igitur torquebit Colicæ paroxyſmus, juſculis tenuibus, aut maxime dilutis & carminantium ſeminum vel cinnamomi levi acceſſu conditis cremoribus, quarta quælibet hora ad ſummum aſſumptis nutrietur æger. Utilius forte erit, præſertim ſi ſœvus ſit cruciatus, omiſſis juſculis & cremoribus, affatim ab ægtotante hauriri pulli junioris aquam in qua bullierint ſemina fœniculi & aniſi; hæc enim alimentarium ductum gravabit nunquam, ſed mire laxabit & emolliet, ipſiuſve contenta proluet ac mulcebit, ſimulque

leviter reficiet ægrotantem. In pleniori etiam victu, dum ſcilicet juſcula ſorbebuntur, pro potu ordinario eadem erit, aut alternus illius erit uſus cum aqua inſtillato ſucco limonum imbuta. Calido continebitur lecto æger, linteiſque calidis fovebitur ipſi abdomen cum pedibus. Conſiſtentes cibi non porrigentur, niſi penitus ſedatus fuerit Colicus dolor. Ut autem infauſtus ejuſdem amoveatur reditus, præſcriptum ſupra (a 201. ad 214. & 215) victus regimen diligenter ſervandum; necnon eadem in uſum vocanda erunt remedia, quibus contumax inferius impugnabitur Flatulentia.

CURATIO COLICÆ FLATULENTÆ, A PRIMARUM VIARUM SABURRA ORTÆ.

237. Si nimiam alimentorum ingurgitationem morbum peperiſſe, ſordeſque in primis viis deliteſcere compertum ſit (155); poſt inſtitutam diætam tenuem, has illico eliminare expedit aqua tepida ubertim ſumpta; vel largis olei communis hauſtibus; vel nonnullis oxymelitis cochlearibus; vel ſi mitiora hæc non ſuffecerint, tartaro emetico ad pauca grana in aquæ cyatho ſoluto, aut vino ſtibiato

ad drachmas duas vel tres, olei amygdalarum dulcium unciæ nupto; vel etiam syrupo emetico glauberi ad guttas xv. xx. vel xxx. exhibito cum syrupo capillorum veneris. At vomitoria hæc non conducerent nisi recens esset morbus, nauseamque & vomitum promovens natura viam monstraret. Si autem nulla sit ad vomitum propensio, vel immaniter sœviet dolor, vel remissior ac tolerabilior erit. Si primum, de catharticorum interno usu, nondum cogitare licebit; verum clysteres ex decocto emolliente & carminativo, vel ex hujus & vini pari quantitate, vel ex urina pueri sola aut vino addita, adjunctis oleis, chamæmelino aut laurino, v. g. imo & catholicone ac crystallo minerali; vel alios jam descriptos (222. 223. 228) infundere congruet, ut ad infimas sedes Flatuosa deturbetur saburra. Sed & tunc infusa vel decocta carminantia propinare confert, quæ rarescentem aerem coercere, contentam materiam diluere, tubum mollire, ipsiusque tonum fovere possint, qualia jam supra (225. 226.) adduximus. Nec descriptæ potiones (224. 225.) omittentur, dempto vel parcius multo, seu ad guttas tantum aliquot affuso laudano liquido. Hic etiam externa

adhibeantur adminicula. Ubi vero horum omnium ope placatus fuerit dolor, vel etiam ſponte remiſerit; quoniam per laxiorem minuſque criſpatum tubum patentior via, injectis iterum aliquot clyſteribus emollientibus & carminativis, imo & leviter purgantibus, quibus pronior adhuc verſus inferiora reddatur, ad cathartica intus aſſumpta recurrere decet; ſed mitia tantum & carminativis ac demulcentibus juncta concedenda erunt, v. g. manna exhiberi poteſt, ut jam diximus (234) ad uncias duas vel tres cum ſyrupi de cichorio compoſiti uncia una & ſemiſſe, & olei amygdalarum dulcium uncia una, in decocto chamæmeli & ſeminum cumini, vel in juſculo pulli junioris, aut in ſero lactis in quo bullierint aniſum, cuminum, vel aliud quodcumque ſemen carminativum. Si tamen paulo validius purgans deſideretur, ſequens conferre poterit.

Recip. tamarind. ping. unc. j. & dimid. cryſtall. miner. drachm. j. ſummit. aneth. ſemin. aniſ. & coriandr. ana pugill. j. flor. malv. pug. ij. coq. leviter in S. Q. aq. f. in colatur. & expreſſ. unc. x. diſſolv. ſal. Anglic. unc. ſemiſſ. mann. calabr.

unc. iij. ſyrup. cichor. compoſ. & olei amygdal. dulc. ana unc. j. & ſemiſſ. f. potio pro duplici doſi, mane exhibenda cum regimine,

238. Si officio ſuo non deſit potio; ſub veſperam narcoticum exhibendum; ſi vero poſt aliquot horas ab ea aſſumpta, non fluat alvus, medicaminis ſegnior vis juvanda infuſis clyſteribus, pluribus propinatis aquæ pulli junioris aut ſeri lactis cyathis, vel nonnullis olei amygdalarum dulcium cochlearibus hauſtis, quibus ſpaſtica inteſtinorum ſtrictura optatæ cathartici actioni remoram injiciens, ſolvi poſſit. Perſœpe tamen, ob ingentem inteſtinorum conſtrictionem, nec blanda nec fortiora cathartica, licet his adjuta ſubſidiis, alvum movere queunt, ſed pertinaciter adſtricta manet: tunc, ſumpto prius narcotico, ſeu tribus aut quatuor horis ante purgantis exhibitionem, ſtrictior ipſi laxanda & amplianda via; quin imo narcoticum ipſum cathartico confundere ſuadent ſolertiores practici (*y*), ut ſimul& pandatur iter, & noxia tutius extrudatur materia, ſopito nempe paululum tubi inteſtinalis ſenſu. Id autem ſic præſtari poterit.

(*y*) Riverius, Hecquet, Fienus, &c.

Rec. rhab. elect. & contus. drachm. j. flor. chamæm. semin. citr. & cumin. ana pug. j. coq. in s. q. aq. f. in colatur. & express. unc. vj. dissolu. sal. anglic. drachm. vj. mann. calabr. unc. ij. electuar. diacarth. drachm. ij. laud. opiat. gr. ij. misc. f. potio mane propinanda.

239. Si potionis hujus ope sufficienter solvatur alvus, curam absolvent injecta identidem enemata emollientia, intus usurpata decocta vel infusa carminantia superius descripta (225. 226.), quibus, recurrente dolore, anodyna adjungentur. Verum utplurimum fordes omnes primarum viarum, unica potione non eluuntur; quæ igitur everrendæ supersunt, semel & iterum repetitum sed cautum semper cathartici usum exposcunt.

240. Hic tamen serio notandum; generatim cane pejus & angue, in Colicæ Flatulentæ paroxysmo, ut & in omnibus Flatulentis affectibus, vitanda esse cathartica, ipso præcipiente Hippocrate, qui (z) Flatuosos in eorum classe recenset, quorum nullum medica-

(z) Lib. de Victus ratione in acut. pag. 229. Litt. C. & D.

mento purgandum esse monet. Purgantibus ergo locus ibi concedi nequit, nisi ratione causæ antecedentis, aut etiam concomitantis jam expositæ (237.); tandemque eorumdem usui semper vel præmittenda, vel socianda vel statim subjungenda sunt anodyna.

Curatio Colicæ Flatulentæ, ab aerea seu Flatuosa alimentorum indole natæ.

241. Aliæ plures Colicæ ventosæ caussæ, propriis signis detectæ, propria medela debellandæ. Sic v. g. si a Flatuosis & aere turgidis assumptis (58.) hanc inductam fuisse exploratum sit, eadem e corpore educere, medicus annitetur; hinc si recens ventriculo immissa fuerint, præsertim si nausea vel vomitus adsit; leni quodam emetico, ut mox edoctum est (237.), foras per os ceu per breviorem viam, amandari debent, adjecto simul potu quodam carminativo leni aromatico, vel acido sulphureo, tandemque dato serotinis horis narcotico. At si tanta non sit ad vomitum proclivitas, miti cathartico, cum supra laudatis cautelis (237. 238.), hæc Flatuosa noxiaque materies per alvinam

excretionem eliminabitur. Verum si ab aliquo tempore hæc in primis viis hospitetur, jamque maxime sœvum pariat dolorem; non emeticis, non purgantibus cito auferenda, sed diluentibus, calidis aquosis, leviter aromaticis, dissipantibus, sulphureis & acidis, aerem figentibus mitiganda ac domanda, simulque blande & æquabiliter fovendus tubi alimentarii tonus.

242. Inter hæc medicamenta, primaria sunt infusa theiformia florum chamæmeli, millefolii, verbasci, meliloti; corticis citri aut cujuscumque aurantiorum generis, fragrantissimi præcipue, in frustula secti; baccarum lauri, juniperi; vel seminum anisi, carvi, cumini, vel foliorum menthæ & melissæ; vel radicum galangæ & zedoariæ contusarum; vel etiam potus the, caffe, vel infusum sassafras; quibus omnibus aut succus citri certa copia, aut sal volatilis oleosus Sylvii ad grana decem vel duodecim, aut spiritus nitri dulcis ad gratam aciditatem, vel oleum quoddam stillatitium carminativum, ad quinque aut sex guttas, pro diverso fine, addi poterunt. Plurium instar sint potus sequentes.

Rec. flor. chamæm. & millefol.

semin. coriandr. & folior. meliss. ana pug. j. affunde aquæ fervidæ cyathos viij. post suffic. infusion. in vase rite cooperto, instilla spirit. nitr. dulc. ad gratum acorem. hauriat æger cyathos ij. qualibet hora.

Vel.

Rec. flor. melilot. & semin. carv. ana. pug. j. folior. menth. pug. ss. macerentur pariter in aq. fervidæ cyathis viij. exprime succum citri ad gratam aciditatem & olei anis. distillat. gutt. x. f. potus similiter exhibendus.

Vel etiam.

Rec. semin. ligustic. pug. j. bacc. Juniper contus. n°. vj. infund. similiter in aq. calid. cyath. viij. dein add. succ. citr. f. potus supra commendata ratione hauriendus.

243. Varia erunt hæc potuum genera (242.), pro diversa ægrotantis temperie & symptomatum natura; medicus autem huic Colicæ speciei, ut & cuilibet Flatulentæ, quidquam spasmodici inesse nunquam oblitus, narcotica confidenter sed caute usurpet, supra laudatas potiones (224.) propinet, præscriptis infusis non acida tantum, sed & etiam lenia affundat olea, nec unquam aroma-

tica liberalius ſed parce ſemper adhibeat & larga aquei laticis copia diluat, ſicque nec ventriculum nec inteſtina moleſte laceſſet, at Flatuoſam turgeſcentiam placide domabit; tunc enim calida & halituoſa aqua, acidæ ac oleoſæ partes ſpaſmos laxant, aereum corpus cogunt & quaſi abſorbent, & ita vim ipſius elaſticam aut enervant, aut fere dejiciunt, aut ſaltem majorem ipſius evolutionem & expanſionem cohibent; dum interim rigidæ, aromaticæ & balſamicæ partes, levem quemdam & æquabilem motum, univerſo alimentario ductui impertiuntur, quo inordinatus, inæqualis & vitioſus alter, ſpaſmodicus ſcilicet depellitur.

244. Hæc autem carminantium vis, ad æquabilem revocandam inteſtinorum contractionem, ſummopere illuſtratur maximi cujuſdam hernioſi tumoris exemplo, quem curatum fuiſſe refert Helmontius, hauſtu vini ſemel bulliti cum ſeminibus contuſis aniſi, fœniculi, carvi & coriandri, adhibito exterius fotu cum lacte & ſtercore bubulo (*a*). Firmat & inſuper laudatam hanc carminativorum efficaciam peculiaris hæc herniæ medendi methodus, quam enarrata prius Helmontii Hiſtoria, tradit Wedelius. 1°. Quoad

(*a*) Wedel. Amœnit. Mater. Med. cap. de carminat.

ſimplicem,

ſimplicem, propinando poſt cibum, ſemina quatuor carminativa, cum ſemine perfoliatæ, lapidibus cancrorum & ſale; exterius applicando ſubligaculum, & emplaſtrum contra rupturam. 2°. Quoad ileoſam herniam, interius per carminativa & purgantia, præmiſſis quandoque opiatis; exterius per fotus emollientes. Nec ſane aliam ob cauſam, herniæ recurſum præcavet famoſum prioris de Cabrieres arcanum Ludovici Magni pia munificentia publici juris factum, ex vino & ſpiritu ſalis ſibi invicem confuſis conflatum, niſi quia leviter conſtringendo omnia inteſtinorum puncta, æquiparem in his reducit tonum eorumdem dimotioni obſtantem, quod laudatæ carminativorum virtuti (243.) ulterius ſtabiliendæ non parum inſervit; ille enim ſpiritus ſalis vini connubio mitigatus, & in ſpeciem aquæ temperatæ Baſilii Valentini converſus, carminantium claſſi ſecundæ (195.), vel etiam quintæ (198.), merito accenſeri poteſt.

245. Verum præter jam expoſita auxilia, diligenter ſervanda diæta tenuis, quamdiu vigebit dolor, nec niſi juſculis veſci debet æger. Clyſteres etiam ſuperius præſcipti (222. 223. 228.) in toto hujus Colicæ decurſu, feliciter in uſum

vocabuntur, tandemque ſedato lenientibus potiſſimum & narcoticis tumultu, mite aliquod purgans uſurpare, & ſi neceſſe ſit, ſemel aut bis iterare, ſumpto eodem die ſub veſperam anodyno, proderit.

CURATIO FLATULENTÆ COLICÆ AB EFFERVESCENTIA MOTÆ.

246. Si ab oppoſitis ſalibus, aut aliis quibuſcumque corporibus, ortam fuiſſe in primis viis Efferveſcentiam (60.) & inde Colicam Flatulentam emerſiſſe, ratum ſit; alterutrius ſalis prædominio, aut utriuſque ſubverſione, hujus affectus curatio obtinebitur. Sic v. g. ſuppono acidas ſordes in primis viis nidulari, tuncque ſal tartari exiberi; aut ventriculo ſuccis alcalinam naturam redolentibus irrorato, acidum quodcumque propinari; aut tandem acida ſimul & alcalina, certa proportione, ventriculo immitti, & exinde Flatuoſam ſubnaſci ebullitionem: in hoc triplici caſu, peritus nec chemiæ ignarus medicus, vel aquæ acido quodam affuſo, ut aceto, ſucco citri, ſpiritu ſulphuris aut nitri dulci imbutæ copioſum hauſtum præſcribere poterit; ſi nempe calida, æſtuans, ſiti & ſiccitate ſtipata ſit Efferveſcentia; vel ſal quoddam alcali-

num ut ſal tartari, abſynthii, &c. ad grana viginti aut triginta, in aqua, aut infuſo quodam carminativo ſolutum exhibebit; ſi ſcilicet Effervescentiæ junctus ſit quidam algoris ſenſus, ſi pallidus ac debilis ægrotans, & in primis viis languor adſit: ſic alterutro prædominante ſale, mota compeſcitur Effervescentia; quædam enim inter hæc intercedere debet media ratio, ut ita certatim & ebulliendo, in mutuam aſſociationem conſpirare valeant.

247. Nec tantum hac duplici via, dubia nimis & fallaci, ob ignotam ad ſalium prædominium deſideratam proportionem, moleſtæ affectionis curationem molietur, cui notum eſt amicabilem illum & fervidum ſalium conflictum tutius placari, ſi hæc uberrima aquæ copia diluantur ac diſſocientur, aut ſi affuſo oleo irretiantur & implicentur. Statim igitur binum illud, majori cum fiducia uſurpabit auxilium molliendo inſuper alimentario ductui apprime conveniens, potum aquoſum calidum leviter aromaticum & carminativum (242.) uberrime largiendo, ſimulque oleum olivæ, amygdalarum dulcium, lini, vel emulſiones, identidem magna ſatis copia exhibendo, non prætermiſſo interim modico narcotico-

rum usu, nec neglectis clysteribus; tandemque subjuncto post sedatam luctam cathartico, ut quidquid ipsi reliquum superfuit, e corpore excludatur.

CURATIO COLCÆ FLATULENTÆ A FERMENTATIONE CONCITATÆ.

248. Cum ab ingestorum Fermentatione (61.) ortum duxit Colica Flatulenta; illico, si liceat adhuc, fermentescens hæc materia, supra propositis auxiliis (234. & a 237. ad 242.), necnon iisdem servatis cautelis, educenda; & hæc tutior est medendi ratio, si cito & dum malum adhuc recens est, medici consilium exquiratur. Verum si tardius accersitus fuerit, & summa sit morbi sœvities, hanc demulcere totis viribus annitatur, non solum remediis quæ erumpentem aerem cohibent, sed & præsidiis quibus Fermentationem compesci & inhiberi, ex chymicis in comperto est; qualia sunt, magna satis copia exhibita acida aut alcalina salia, terrea absorbentia, hausta olei certa quantitas, frigidus potus, tandemque vehementior concitatus calor. Si igitur hæc Flatuum genitrix Fermentatio, æstum, ventriculi morsum, immanem dolorem, sitim comites habeat, & choleram minetur, ut contingit cum huic

potiſſimum anſam præbuit & adhucdum favet ſpaſmodica ſtrictura, tuncque ut plurimum vinoſa eſt ac ſpirituoſa & a putredine non multum diſtat: in hoc inquam caſu, ſuccus citri aut per ſe aut aquæ confuſus, ſpiritus nitri dulcis, vel ſpiritus ſulphuris, ad gratam aciditatem aquæ inſtillatus, vel alia hujus generis acida, affatim imo & frigide hauſta, aqua oryzæ & præprimis aqua pulli junioris, olea lenia, cœteraque hujuſmodi, præcipua erunt remedia.

249. Si vero Fermentationi huic locum dederint ſegnis ac languida viſcerum chylopoieticorum contractio, & imminutus calor; acetoſa plerumque ſeu acida erit: tuncque alcalia ut ſal tartari, oleum tartari per deliquium, tinctura tartari, ſal abſynthii, tamariſci &c.; terrea abſorbentia, oculi cancrorum fluviatilium præparatorum, creta, antimonium diaphoreticum, corallia, margaritæ, conchæ, ſtomachica calida; potus carminativi aromatici calidi (242.) ex uſu erunt. Maxime congruit potio ſequens.

Rec. aq. menth. & naph. ana unc. iij. olei tartar. per deliq. gutt. xl. lapid. cancr. fluviat. præpar. dra-

chm. j. antimon. diaphor. ſcrup. j. & ſemiſſ. caſſ. lign. pulver. ſcrup. j. ſyrup. abſynth. unc. j. olei ſtillatit. aniſ. gut. viij. f. pot. cochleatim ſumenda.

Oleum caryophllorum ad aliquot guttas, cum conchis datum, hic optimum eſt, & ſi accedat cinnabaris; pulvis præcipitans eſt eximius, juxta Wedelium.

250. Hic expedit connotare abſorbentia copioſe aſſumpta, alcalinis multo tutiora eſſe, quia ab his major ſtatim excitatur tumultus, qui tamen mox defervens ſiſtitur, præſertim ſi largo ſatis aquæ potu, tumultuans proluatur materies; dilutionem enim & domandæ ebullitioni cuicumque & aciditati oppugnandæ parem eſſe, ex chymicis ratum eſt. Verum ne primas vias nimium laxet aqua; huic incoqui debet aut cruſta panis uſtulata, aut quod rectius adhuc, cornu cervi raſum, cum cinnamomi pauxillo.

251. Oleoſa etiam, ad hunc affectum domandum, præſertim in priori caſu (248.) proficua eſſe poterunt, quibus ſcilicet ſpiritus ille ſylveſtris ex fermenteſcente corpore erumpens (62.) coercetur & inviſcatur, aliæque fermentativæ partes involvuntur, ſicque noxius ille pla-

catur motus. Olea igitur blanda & recentia jam sœpe dicta (196. 4°. 225. & alibi) ad uncias plures, cum succo citri & aliquot laudani liquidi guttis, ipsum bytyrum recens, juscula pinguia in primo casu (248.) præscribi poterunt, ut & emulsiones ex contusis oleosis fructibus & seminibus paratæ. In secundo (249.) vero, olea stillatitia anisi, fœniculi, chamæmeli, cumini, ad guttas x, vel xij. carminativo aromatico infuso (242.) commixta proderunt. Nec in hac Colicæ Flatulentæ specie, sicut & in alia quacumque prætereundus narcoticorum medicaminum, clysmatumque laxantium usus. Sedato demum orgasmo, benignum aliquod catharticum consulto propinabitur, quo vitiosæ prægressæ Fermentationis reliquiæ abripientur, exhibita sub vesperam, modica diascordii aut syrupi papaveris albi aut laudani dosi.

252. Verum hic etiam advertere consentaneum est, non eamdem utrique casui, tum in hac Colicæ specie, tum in præcedenti distincto, (246. 248. 249.) victus rationem competere. In priori fere consimilis erit mox tradendæ diætæ in Colica a putredine nata, seu farinosis decoctis, cremoribus dilutis, & juniorum tantum animalium ut pullorum jusculis alternatim haustis nutrietur æger. In pos-

teriori vero casu, farinosi & acescentes cibi damnantur; brodia ex gallo veteri, ex perdicibus, ex columbis, ex verveci-na & bovilla carne, ex pisciculis parata, sicut & omnia ex animali regno depromp-ta probantur, ac petroselino, allio, cœ-pis, celeri, nasturtio, synapi, cinna-momo, sale, aromate, apte condiuntur. In utroque tandem casu, æger solidiori-bus non refocillabitur alimentis, nisi pe-nitus sopitus fuerit dolor.

CURATIO COLICÆ FLATULENTÆ, QUAM INGESTORUM PUTREFACTIO PEPERIT.

253. Dum Putrescens (62.) in ven-triculo aut intestinis nidulans Colicam movet Flatulentam, emetico vel cathar-tico, si tuto fieri possit & recens sit affectus, quamprimum expellendum est, diligenter subjuncto serotinis horis haustu quodam acido anodyno mox præscriben-do. Persœpe catharsim ibi iterare præsta-bit, ubi nempe tam copiosa erit putrida colluvies, quam quæ possit unica vice expurgari.

254. Verum si jam ferox & a certo tempore firmatum sit malum, nec idcir-co vomitoria aut purgantia prudenter ad-hiberi queant; putrescens materies sol-licite diluenda & retundenda, violenta inhibenda

inhibenda est aeris eruptio, jam expediti effrenis compescenda vis, fervens in primis viis ardor placandus, simulve laxandus intestinalis tubus; tandemque, his peractis, putrida tabes e corpore caute eliminanda.

255. Illico igitur proscribenda alimenta omnia ab animali regno suggesta, maxime insecta, pisces marini, aves rapaces, ova; necnon vegetabilia aromatica, acria, & alcalinæ prosapiæ; nec unquam concedenda juscula, nisi ex junioribus parentur animalculis, & adjectis succis acidis, nimia eorumdem in putredinem & alcalescentiam propensio emendetur: sed potius cibo potuve acescente nutriendus æger, ut decoctis farinosis, cremoribus oryzæ vel hordei dilutis, fructuum acido-dulcium succis & gelatinis. Aqua cui instillata fuit succi limonum maxima copia, aut affusus spiritus sulphuris ad jucundum acorem, ubertim haurienda. Idemtidem cum aqua lactucæ, nymphææ, aut alia quacumque refrigerante, vel decocto hordei, ad aliquot guttas exhibendus spiritus nitri dulcis Glauberianus, qui juxta Boerhaave, (b) vires possidet vere antisepticas, balsami-

(b) Element. Chem. tom. 2. operat. Chemic pars 3. in fossilia. processi 135.

cas, dissolventes, & putredini resistentes; ac inter auxilia Flatibus adversa, locum tenet præcipuum, & quo præstantius nullum, a Sylvio Deleboe, in pestilenti putrido morbo, observatum fuit medicamentum.

256. In usum pariter vocanda sunt diluentia aquosa & farinosa; ut aqua oryzæ, avenæ, vel hordei; emulsiones ex seminibus quatuor frigidis majoribus & minoribus, amygdalis dulcibus, avena, semine papaveris albi; & infusum seminum lini. Julepi etiam ex aquis refrigerantibus, & syrupo berberidis, limoniorum, granatorum, & violarum; ptysannæ nitrosæ, sicut & blanda olea opem ferunt. Omnibus his narcotica modica dosi copulanda, nec non omni morbi tempore plures infundendi sunt mites & emollientes clysteres. His omnibus suffragantibus subsidiis, nimius evoluti aeris expansivus nisus refrenabitur, simulque uberior ejusdem inhibebitur eruptio, salinæ sulphureæ acriores particulæ obtundentur, primarum viarum spasmus lenietur, per anum ablegabitur Flatus, tandemque tuto placabitur affectus.

257. Sedato variis hisce adminiculis noxio tumultu, si nonnullæ adhuc supersint putridæ sordes; has leni, saponaceo,

acidove medicamine, ut oxymelite cum decocto hordei, ſolvere primum & abſtergere; purgante dein potione, ut tamarindorum & cryſtalli mineralis decocto cum manna & ſyrupo cichorii compoſito cum rheo, blande eliminare decet; dato ſub veſperam hoc anodyno & carminativo hauſtu, qui etiam in morbi principio ac vigore, præmiſſo clyſterum & diluentium acidorum uſu, maxime confert.

Rec. ſucc. limon. & olei amygd. dulc. ana. unc. j. aq. lilior. unc. iij. ſpirit. nitr. dulc. Glauber. gutt. vj. laud. liquid. gutt. xx. aq. naph. cochlear j. f. hauſtus.

258. Ex præfatis (a 253. ad 258.) igitur perſpicuum eſt, evacuantia jam aſſignata lege (253. 257.) conceſſa, acida, aquea, oleoſa, farinoſa & narcotica, vera eſſe præſidia, quibus profligatur Colica Flatulenta putredinis ſoboles.

259. Hic etiam, nimium ſedando ardorem, rareſcentem aerem reprimendo, & commotum ignem extinguendo, ſi ita loqui fas ſit, haud dubie proficuus eſſet gelidæ potus, ut experientia docuit. (c).

(c) Serrier Obſerv. Medic. Lib. 2. Obſerv. 8. de dolore colico.

260. Ibi tandem notare juvat, dum præcipue ob primarum viarum languorem, assumpta putruere, prorsus ablegandа esse oleosa, cautius parciusque narcoticis utendum, non tam larga copia hauriendos esse potus diluentes; hisque præter supra-dicta acida, omphacium, granatorum, cydoniorum, & grossulariæ succum immaturum utiliter affundi, aut rosas rubras, millefolii flores, vel radices acetosæ, fragariæ, & oxylapathi incoqui, ut his subadstringentibus torpens refoveatur tubi alimentarii tonus.

CURATIO COLICÆ FLATULENTÆ A NIMIO CALORE PROMOTÆ.

261. Si ab immani totius corporis, sed præsertim ventriculi & intestinorum calore (59. 82.) concitatam fuisse Colicam Flatulentam, pro explorato habeatur; liquida diluere, horum motum compescere effrenatum, solida mollire ac laxare, sic amborum reciprocum minuere attritum, tandemque alimentarium ductum debite proluere oportet; ut æstuans ille fervidosque commovens Flatus temperetur ardor. Quæ sequenti ratione prudens præstabit medicus.

262. Statim ergo venam tundi jubebit, quoniam sanguis calore rarescens, vasis

ſuis nimiam vim inferens, eaque plus æquo expandens, internam ſemperque ſedulo avertendam minatur inflammationem : & hæc iterabitur S. M. quamdiu turgidior aut febrilis erit pulſus ; ſi vero nec plenus, nec frequentior ſit, parcius detrahendus ſanguis, licet intus torreatur corpus. At illico cœtera adhibenda ſunt hic merito commendata præſidia, acida ſcilicet ſuperius deſcripta, potus præſertim acidi aſſidue & largiter hauſti, decocta farinoſa, aqua pulli junioris, julepi lenientes aciduli ; nitrum ſingulis bihoriis, ad grana quatuor aſſumptum, aut in ptiſanna quadam, ad drachmam unam ſolutum ; ſerum lactis ; emulſiones ; ſyrupus papaveris albi, aut laudanum modica doſi adhibitum ; clyſmata refrigerantia, anodyna, oleoſa, nitroſa, ſœpiſſime injecta ; fomenta & cataplaſmata hujus indolis abdomini admota ; tandemque balnea aquæ dulcis & tepidæ : quæ quidem omnem in hoc ſubigendo affectu paginam abſolvunt, vitatis ſimul ſummo cum ſtudio ardentibus, aromaticis, ſalinis, acribus. Lenia tamen quædam carminantia concedi poſſunt. Horum omnium medicamentorum formulas ſubnectere longius foret. Plurium inſtar ſit ſequens emulſio huic caſui apprime conveniens.

Rec. amygd. dulc. excortic. par. vj. ſemin. quat. frig. maj. mund. unc. ſemiſſ. ſemin. lin. & lactuc. ana. drachm. j. ſemin. aniſ. & fœnic. ana. drachm. ſemiſſ. contund. in mortar. marmor. ſenſim affundendo decoct. flor. chamæm. & verbaſc. unc. vj. f. emulſ. paululum coquenda, in qua diſſolv. nitr. purif. gr. v. add. ſyrup. papaver. alb. unc. ſemiſſ. ſyrup. de nymph. drachm vj. m. hauriat æger veſpere.

Hæc emulſio pro multiplici doſi parari poterit; & pluries in die, imo & pro potu ordinario propinari, dempto ſyrupo papaveris albi.

263. Talis autem erit hæc auxilia (262.) uſurpandi ratio. Mane refrigerantes haurientur julepi; interdiu magna potus farinoſi, aut aciduli, aut aquæ pulli jurioris, aut ſeri lactis clarificati, aut ptiſannæ nitroſæ, vel coctæ emulſionis epotabitur copia. Tum matutinis tum ſerotinis horis mollia infundentur clyſmata. Si ſœvus urgeat dolor, non veſpere tantum, ſed & etiam pluries in die, laudanum liquidum ad paucas guttas cum oleo amygdalarum dulcium, & ſucco citri, in aqua liliorum, vel nympheæ, aut

cum emulsione mox descripta (262.) utiliter usurpabitur.

264. Nec omittenda ibi frigidæ potio, quæ ad restinguendum Flatuosum istud incendium, toties mira præstitit; qua tamen, imminente aut nascente phlogosi, cautus abstinebis. Eadem denique victus ratio ineunda, quæ jam in prægressis (255.) delineata fuit.

265. Hic advertere consentaneum est, venerandam antiquitatem, licet Flatus infirmo calori, fere unanimi ore tribuentem non latuisse, persœpe refrigerantia Flatuum ferociæ retundendæ magis congrua esse auxilia; quod pluribus in locis indicat ipse Galenus prædictæ circa Flatuum genesim sententiæ strenuus aliunde assertor, cujus oblitus videtur, dum hæc ait (*d*). *In principio itaque, in hujusmodi utrinque affectionibus, refrigerantium auxiliorum facultas apta est, quæ intemperiem calidam refrigeret, & ventosi Flatus allationem repellat & retundat, &c.* Et paulo infra hæc habet (*e*) *in prædicta itaque affectione, calore doloroso prædominante una cum Flatu ventoso, in principio quidem repulsoria curatione utendum*

(*d*) 2. De compos. pharmac, secund. loc. 135. G. N. 5. class.
(*e*) Ibid. 136. B. C.

eſt, quæ ex refrigerantium facultate conſtat: quod ubi moderate factum eſt, ex mitigatoriis ac concoctoriis medicamentis, quidpiam admiſcere ad repulſoria oportet, deinde etiam diſcuſſoria addenda.

266. Maxime utile eſt ultimum iſtud (266.) Galeni conſilium; ubi enim refrigerantium & mitiganium ope, fervidus ſedatus fuit æſtus, lenia quædam diſcutientia & tonica carminativa (198.) hiſce juvabit addere, quæ ductus alimentarii contractilem vim tueantur ac noxiorum humorum expulſioni faveant. Quin imo, quoniam flagrante in primis viis calore, male concoquuntur aſſumpta facileque computreſcunt; pronatas inde ſordes, leni acido oleoſoque cathartico, ut tamarindorum decocto in ſero lactis, cum manna & oleo amygdalarum dulcium, pro curationis coronide, perſœpe expurgare juvabit; ſervato dein leniente ac refrigerante victus regimine, ad prophylaxim.

CURATIO COLICÆ FLATULENTÆ A PRIMARUM VIARUM ATONIA.

267. Dum Colica Flatulenta, a tubi alimentarii inertia (35.) præſertim ſoboleſcit; in hoc totus vertitur curationis cardo, ut languidus refocilletur prima-

rum viarum tonus, nimius retundatur aeris nisus, sicque Flatuosa dometur turgescentia. Tunc ergo narcotica, oleosa & emollientia, vel nullomodo, vel parce tantum, & ad aliorum vim infringendam, aut aeris nisum frenandum, exhibenda sunt; sed medicamenta quartæ (197.) præprimis, & quintæ classis (198.), quæ solidarum partium tonum blande revocant & fovent, simulque spasmos avertunt nonnunquam hic coincidentes (86), & rarescentem aerem cogunt, velut præcipua & palmaria spectanda (268). Sequens clyster primum injiciatur, ut deorsum evocentur Flatus.

Rec. fol. menth. puleg. & calamenth. ana manip. semiss. semin. carv. cumin. & fœnicul. ana drachm. j. summit. aneth. flor. sambuc. & chamæm. ana pug. j. baccar. junip. pug. semiss. coq. in s. q. aq. f. ad libr. j. in colatur dissolv. olei chamæm. unc. j. olei laurin. drachm. ij. sapon. venet. drachm. j. m. f. clyst.

Vel etiam alterum istud enema egregie prodesse potest.

Rec. fol. catar. & chamædr. ana manip. j. salv. flor. sambuc. & cha-

mæm. ana manip. ſemiſſ. baccar. laur. contuſ. pug. j. coq. in ſ. q. vini alb. ad libr. j. in colatur. diſſolv. ol. nucum & ruthac. ana unc. j. f. enema.

269. At non carminantia tantum infundenda ſunt clyſmata, verum & cathartica, quæ inteſtinorum ſordes efficacius eliciant, quale eſt ſequens.

Rec. fol. ruth. & abſynth. & flor. melil. ana manip. j. ſemin. fœnic. & aniſ. ana pug. ij. coq. in ſ. q. aq. f. in colatur & expreſſ. diſſolv. olei cumin. per infuſionem parati (225.) *unc. j. cathol. optim. unc. j. & ſemiſſ. ſal. gemm. drachm. j. m. f. clyſt.*

270. Hic quoque proficua ſe præſtant enemata ex urina, vel vino, vel ex utriuſque æquali quantitate, vel ex aqua marina, vel ex decocto carminativo, cui terebinthina oui vitello ſoluta, ad drachmas duas vel tres additur. Clyſma ad Flatus expugnandos efficaciſſimum conficit Avicennas ex ſucco ruthæ, & in hujus penuria, ex ejuſdem herbæ cum cœteris carminativis copioſe ſatis uſurpatæ decocto, quibus oleum chamæmeli, caſtoreum, opopanax, & adeps ana-

tis adduntur. Variis hisce clysteribus potest & etiam assa fœtida ad drachmam dimidiam vel unam, utiliter misceri, utpote quæ egregie sit carminativa, juxta D. Geoffroy (*f*). Si pertinacius resistant Flatus, hos egregie elicit clysteribus admixta scilla, ut celeberrimus Stahl affirmat (*g*); at quoniam infensa acredine pollet, hanc aceto ac melle mulcendam esse veteribus visum est, qui proinde famosum, & nullibi fere non jactatum olim oxymel scilliticum confixere; quod summa cum utilitate, ad unciam unam vel semissem, clysmatibus in præsenti casu, adjicietur. Sequens ut maxime carminans laudatur a Fieno (*h*).

Rec. radic. helen. vnc. iij. calamenth. parietar. ana manip. j. semin. anis. cumin. cardamom. ana unc. iij. baccar. junip. & laur. ana pug. j. bulliant in s. q. aq. ad mediæ part. consumpt. in colatur. libr. j. addantur vin. malvat. aut cretic. unc. iij. diacalam. drachm. iij. ol. ruthac. vel ol. nucum unc. iij. f. clyst.

(*f*) Mater. Med. tom. 2.

(*g*) Ars Curandi Morb. cum expectatione not. ad cap. XXX.

(*h*) Comment. de Flatib. cap. 21. pag. 165.

In hoc autem enemate, paulo largior videtur mihi radicis helenii dosis, cum enim valde acris sit, hujus uncia una sufficiet aut ad summum uncia una & dimidia.

271. Sic clysmatum ope, expurgata crassiorum intestinorum fœce, necnon patefacta ad infimas sedes via, Flatibusve huc allectis; internis auxiliis tonicis ac roborantibus, hi efficacius deorsum trudendi. Plura igitur medicamenta jam descripta (a 224. ad 229. & 242.), sed sine mitium oleorum & narcoticorum additione, hic opem ferent. Sequens decoctum merito prædicat Fienus (*i*).

Rec. summit. absynth. vulgar. pug. semiss. semin. cumin. drachm. ij. flor. chamæm. & anthos ana pug. j. cubeb. drachm. semiss. coq. in vin. alb. odorifero. Decoctum per manicam coletur, & addatur conveniens cinnamom. & sacchar. quantitas. Remedium est pro dupl. dos.

Alterum istud, tum in hoc casu, tum in colica ab assumptorum cruditate (237) nata eximium erit.

(*i*) Commentar. de Flat. cap. [illegible]. de colic. dolor. curatione pag. 159.

Rec. aq. naph. unc. iij. aq. cinnam. cochl. j. theriac. veter. & confection. hyacinth. ana drachm. j. zedoar. puluer. ſcrup. j. cumin. puluer. gr. xv. ſucc. citr. unc. ſemiſſ. m. f. potio cochleatim haurienda.

Sufficit ſemper in dolore Colico Flatulento, juxta Pitcarne (*k*) decoctum florum chamæmeli ex vino hiſpanico. E. G. ſi florum chamæmeli pugillus unus incoquatur vini unciis octo, & in colatura calida diſſolvatur oleum nucis moſchatæ per expreſſionem factum ad ſcrupulum unum, poterit una aut duabus vicibus exhauriri feliciter; quod quidem remedium in hac Colicæ Flatulentæ ſpecie, tum in ea quæ a primarum viarum ſaburra (237), aut ab aerea aſſumptorum indole (241.), aut ab efferveſcentia frigida (246.), aut ab acetoſa fermentatione (249.) genita eſt, non vero in omni alia, indiſcriminatim uſurpandum eſſe videtur.

272. In hoc debellando affectu, laude ſua non careat potio ſequens.

Rec. aq. fœnic. & chamæm. ſimpl. ana unc. ij. opiat. ſalomon. dra-

(*k*) Element. Medic. Phyſic. Mathem. pag. 151.

chm. dimid. diascord. drachm. j. spirit. nitr. Glauber. dulc. gutt. vi. ol. stillatit. cumin gutt. iv. mixtur. simpl. de trib. cochl. j. m. f. potio cochleat. sumend.

Hic etiam efficax erit haustum idemtidem cochlear unum aut alterum, hujus medicamenti seu clareti, quod *rossolis des six graines* vocatur (*l*) : præstat adhuc oleum essentiale carvi, aut aliud quodcumque carminativum ad guttas quinque aut sex, in aqua menthæ vel vino sumptum. Decocti chamæmeli unciæ sex, syrupi menthæ uncia una, spiritus carmitivi Sylvii uncia dimidia, optimum in hoc morbo julepum constituunt (*m*). Liquorem stomachicum carminativum egregium parat Hermannus (*n*) ex seminum fœniculi unciis quatuor, spiritus vini gallici mensuris duabus, digerendo primum, & post modum distillando, atque edulcorando unciis octo sacchari. Spiritum vini a summitatibus millefolii, floribus chamæmeli, semine anisi & cumini æthiopici abstractum, in discutiendis Flatibus, plus certe valere, quam alia tantopere

(*l*) Geoffroy mater. med. tom 3. pag. 267.
(*m*) Id. Ibid. pag. 303.
(*n*) Cynosur. mater. Med. tom. 1.

laudata carminativa, longiori usu atque experientia, se didicisse testatur Fridericus Hoffmann (*o*). Nec silentio premere licet recens detectum gratissimum hunc liquorem, *Garus* dictum ab inventore, qui ad cochlear unum haustus, ventriculum, multorum instar, ardore suo non exurit, sed placidas ac firmas languenti vires addit. At nullum forte feliciori cum successu exhibitum fuit remedium, quam essentia carminativa Wedelii (198.) quæ ad guttas viginti quatuor aut tringinta, cum totidem spiritus carminativi Sylvii guttis, aquæ naphæ vel chamæmeli affundenda.

273. Vinum etiam generosum & oligophorum, inter carminantia in hoc casu congrua, non infimum forte locum meretur; sua namque oleosa & acida parte, vim aeris elasticam retundere, spiritibus suis tubum omnem alimentarium blande titillare, sicque languidum ejusdem tonum acuere ac restituere par est; & hæc vini præstantia Hippocrati haud ignota fuit, cum hæc dixerit (*p*) *quicumque cibi aut Flatum, aut æstum, aut morsum, aut repletionem, aut tormen faciunt, a talibus liberat vinum meracum insuper po-*

(*o*) De præstentia remed. domest. dissert. 32.
(*p*) Lib. de affection. pag. 51. litt. C.

tatum, corpus enim a vino calefactum, per calorem amovet ea quæ insunt a cibis & potibus, ac similibus.

274. Nec tantum medicamentis liquidis laus tribuenda, sua etiam solidis hic debetur. Sic prosunt elæo-sacchara; tabellæ carminativæ Batei; pulveres varii seminibus carminativis, cinnamomo, nuce moschata, caryophillis, saccharo albo, aliisque innumeris conflati & essentiæ anisi paucis guttis conspersi; electuarium de baccis lauri; diacalamenthum; diacinnamomum, singula ad drachmam unam, aut drachmam unam & dimidiam. Horum tria ultima in desuetudinem abierunt. Cuncta tutiora erunt, si congruo quodam vehiculo, vino scilicet aut decocto carminativo, aut ejusdem generis aqua diluantur, vel supra præscriptis (242) potibus parce misceantur. Pulvis ex quindecim castorei granis, cinnamomi & croci tantillo, in vino solutus efficax est.

275. Verum præter jam commendata medicamina, uberius identidem & pro potu ordinario, utile erit haurire florum milefolii, aut melissæ, aut sassafras, aut carminantium florum ac seminum, vel baccarum lauri & juniperi cum cinnamomo infusum, aut aliud quodcumque


que supra expositum (225. 226. 242.).

276. Huc autem summa cum diligentia, revocare juvat, quod jam alibi (91) notatum est, Colicam nempe Flatulentam, raro admodum a sola tubi alimentarii flacciditate manare; fere semper ad hujus morbi genesim, aliam quamdam causam concurrere; non totale, sed partiale esse vitium istud; tandemque Colicam omnem, quæcumque sit ipsius origo, utpote dolorificum affectum, tonica quadam tensione vehementiori, & quasi spasmodica comitatam esse. Ex quibus inferre pronum est, 1°. Pro varia coincidentis causæ indole, diversimode aptandam esse medendi methodum, promptis ex vario fonte peculiaribus auxiliis. 2°. Fatiscentem quibusdam in locis, non ita restaurandum esse tonum, ut idem alibi non disjectus nimium ac morbose intendatur. Unde corollarii instar elicere oportet, impense calida & acria summe nociva esse, Flatuique suscitando potius quam compescendo apta; ea præcipue opitulari, quæ moderate calida, aut tonica simul & anodyna vi gaudent; tandemque hæc ipsa, aliorum imo & narcoticorum accessu persæpe mitiganda esse, dum v. g. immaniter sœvit dolor.

277. Calidiorum autem usus tam parum hic congruit, ut eumdem tanquam periculosum notent ipsimet Autores, quibus à caloris inopia, frigidisque ac lentis humoribus, Flatuum genesim repetere placet; ut Galenus moniti hujus rationem addens (q): *Lentos nempe omnes crassosque & frigidos humores, ab iis quæ calefaciunt, nisi etiam valenter digerant, liquari ac in Flatum mutari*: & Fienus (r) *nullum omnino aut exiguum admodum esse usum impense calidorum cum simplicium, tum compositorum medicamentorum*, diligenter præcipiens; *antequam cruda crassaque pituita quovis modo, vomitu aut purgatione sit evacuata. Omnia enim*, inquit iste, *acria & abunde calida, si in densam atque viscidam pituitam incidant, Flatus suscitant, quos non discutiunt & paulo post*, ibi medium calcandum esse iter, pulcherrime sic concludens, docet. *Caute itaque se gerat Medicus in horum administratione, nec minime negligenter: ne si forte levioribus medelis malum non evincens, aut valentioribus perperam usus, inflatione diutius perseverante, ægrum in Tympanitem dejiciat, & mali Medici nomen sibi conciliet.*

(q) 12 Method. medend. 79. D & E class. 7.
(r) Comment. de Flat. cap. 1. pag. 142.

278. At flaccescunt nunquam torpentque primæ viæ, nisi nobile langueat coctionis opus, ac proinde ex male comminutis assumptis gravis & sordida nascatur saburra. Hic ergo affectus purgantium exigit opem, quæ quidem haud cunctanter propinabis, clysterum & potuum quorumdam usu, aliquamtulum prius sedato dolore, si scilicet vitiosa materia turgeant primæ viæ, tuncque emetica ipsa nonnunquam porrigere licebit. Verum si non ita copiosus sit sordium apparatus, nonnisi post omnino placatum ventris cruciatum, celebrabitur catharsis & quandoque iterabitur, cum sennæ, rhabarbari, salis absynthii, anisi & cumini infuso aut levi decocto, cui manna cum polychresto sale Seignette additur, sumendo eadem die, sub vesperam, diascordii drachmam unam. Quamdiu vero urgebit dolor, tenuis erit ægrotantis diæta, seu jusculis solis cinnamomo, caryophillis, vel nuce moschata, vel cerefolio conditis reficietur. Remissa autem mali sœvitie, paulo plenior victus concedi poterit.



CURATIO COLICÆ FLATULENTÆ A PITUITOSO ET VISCIDO HUMORE SOBOLESCENTIS.

279. Hic tandem advertere congruum est, exaratam hactenus (a 267. ad 279.) medendi rationem conferre, dum simul cum primarum viarum atonia, pituitosi seu viscidi humoris copia adest; modo tamen quædam adjiciantur, quæ huic liquando & solvendo specialius dicata. Unde postquam prælaudatis medicaminibus mitigata fuere tormina, ac dein potio purgans semel exhibita fuit, apozema istud eximie resolvens & tonicum, per octo vel novem dies propinandum.

Rec. herbar. recent. fumar. & bellid. pratens. minor. ana manip. j. flor. millefol. & chamæm. ana pug. j. semin. fœnic. & cumin. contus. ana drachm. j. radic. recent. gramin. & cichor. sylvestr. ana unc. j. coq. per hor. dimid. in s. q. aq. fluviat. colatur. & express. unc. xv. add. syrup. de absynth. succ. depurat. menth. oxymel. simpl. ana unc. j. tartar. vitriolat. aut sal. admirab. Glauber. drachm. j. f. apozem. essent.

citr. aromatiſand. pro duab. doſib. quarum una mane, altera hora quarta pomeridiana haurietur.

Tribus poſtremis diebus, matutinæ doſi, ſyrupus cichorii compoſitus cum rheo, ad unciam unam, conſulto affundetur. At jam ſoluta pituitoſa ſaburra moveatur deorſum, partimque eliminetur, injectis tum carminativis, abſtergentibus imo & purgantibus enematis.

280. Cathartica dein ſemel aut bis propinabitur potio mox laudata (278.), aut ſcilliticum oxymel in uſum vocabitur ad unciam unam, aut unciam unam & ſemiſſem, cujus ſane egregia eſt vis reſolvens, abſtergens & carminativa; ex Hippocrate enim (s) acetum mulſum Flatus erumpere facit, mictionem proritat, & alvum liquidiorem reddit. Nec metuendum ibi, quod in melle bilioſum eſt, iſtud enim, juxta divinum ſenem, caſtigat acetum. Debitas vero ſcillitico aceto laudes fuſe tribuit Galenus, cujus ad præſentem ſcopum conferentia hæc ſunt verba (t): *Nullus Flatuoſus vapor in ventre excitabitur .... non acidum*

(s) Lib. de Vict. rat in Morb. acut. pag. 224. litt D.

(t) De medicament. facile parand. lib. 3. 177. C. claſſ. 7.

non salsum ructabis, si aliquid aceti hujus mane assumpseris. Inde partim Hippocraticum, partim Galenicum, proindeque æquum, maximive in arte nostra momenti, oxymelitis scillitici encomium habes; quod remedii genus perperam hodie, in desuetudinem abiisse crediderim. Mel enim blandum esse saponaceum & eximie resolvens, nemini non notum. Acetum concreto liquido solvendo par esse, biliosos temperare humores, putredini adversari, aerem efficaciter frenare ac cohibere compertum est. Scilla tandem sic aceto melleque mitigata, ventriculum & intestina non acri morsu lacessit, sed media quadam & moderata vellicatione, ad æquam pauloque validiorem contractionem edendam concitat. Unde Flatulento affectui, præprimis in casu de quo hic agitur, oxymel scilliticum multiplici nomine opem ferre potest.

281. Non parum ibi juvarent, sordes omnes viscidas & mucosas efficaciter everrendo, per tres dies epotatæ bellilucanæ thermæ, pauco sulphure, copioso vero marino sale divites. Hic tandem monendum, tonici ac resolventis apozematis (279.) iterandum esse usum, nec non postea, aut etiam alternatim,

opiatam quamdam carminativam, ſtomachicam, ac chalybeatam uſurpandam eſſe, ut nova præcaveatur pituitoſi humoris collectio, perdituſque primarum viarum integre reſtituatur elater.

EXTERNA AUXILIA IN OMNI COLICA FLATULENTA PROFICUA.

282. Peculiarem ac cuilibet Colicæ Flatulentæ ſpeciei privatim propriam, ea qua licuit diligentia, jamdudum (a 220. ad 282.) tradidimus medendi rationem; nec non ad dirum hunc affectum ſubigendum, numeroſam internorum medicaminum cohortem ſtrenue ordinavimus. At vero, ſi his domari præfracte renuat, & maneat adhuc in ancipiti triumphus, auxiliatrices copias, externa ſcilicet remedia, locuples ſuppeditabit materia medica. Nec de eorumdem efficacia dubium move; non enim medicamentoſas omnes topicorum partes, ad reconditam uſque morbi ſedem pertingere, mollia vetant abdominis integumenta, ſed potius per patentes meatus, ſubtilioribus hiſce moleculis liberam ſatis concedunt viam; quin imo quamvis ad affecta viſcera non perducerentur, ni-

hilominus exteriores nervulos laxando aut vellicando, ob proximum cum intestinalibus & gastricis consensum, quemdam in ventriculo vel intestinis effectum parere queunt. Hisce tamen externis subsidiis ita ne crede, ut præcipuam in internis spem salutis non ponas, semperque hæc duo simul adhibere tutius erit.

283. Sunt autem hæc topica multiplicis generis, fotus nempe, cataplasmata, linimenta, emplastra, sacculi, insessus, & plura alia, quæ omnia diversimode, pro causarum varietate concinnanda. Si enim acerbus urgeat dolor, æstus ac pertinax intestinorum strictura vigeant, laxantia emollientia & anodyna sint topica, qualis est fotus sequens.

Rec. radic. alth. unc. ij. fol. viol. branc. ursin. & lactuc. ana manip. j. flor. malv. chamæm. melil. semin. anis. & lin. ana pug. ij. coq. in aq. comm. q. s. ad lib. ij. vel iij. colatura foveatur abdomen tepide, cum linteis crassioribus quadruplicatis, vel pannis laneis, aut spongiis, aut vesicis bubulis, vel suillis dicto liquore semi-plenis.

Mollissimum, tepidum, ac humano corpori maxime congruens & affine fomentum

tum ſubminiſtrant, admotum recens mactati animalis omentum, & vivi catuli nudo abdomini accumbentes.

284. Decocti (283) reſiduum, pultis conſiſtentiam æmulans, optimum ſuppeditat cataplaſma, cujus hæc altera formula eſto.

Rec. fol. malv. parietar. ana manip. j. fol. linar. & hyoſciam. ana manip. ij. ſummit. aneth. flor. verbaſc. & ſemin. fœnugr. ana pug. ij. Concidantur & contund. omnia, coq. dein in ſ. q. lact. uſque ad pulpæ conſiſtentiam: add. farin. ſemin. lin. unc. j. olei chamæm. unc. ij. miſc. f. catapl.

Dolenti loco, partibuſque finitimis, poſtquam manuum frictu, appoſitiſque linteis calidis incaluerint, admovendum, conſtricto dein mantilium ope abdomine.

285. Componuntur linimenta ex oleis lenibus & carminativis, vel etiam unguentis, & balſamis blandis, hac v. g. ratione.

Rec. ol. lilior. amygd. dulc. & chamæm. ana unc. ij. eſſent. aniſ.

drachm. j. misc. f. litus quo calide illinatur totus venter.

vel

Rec. ol. rosac. & aneth. ana unc. ij. ol. laurin. & unguent. alth. ana unc. semiss. aq. vit. tantillum m. f. litus quo calide venter inungendus.

Hæc linimenta maxima pollent efficacia, possuntque ante & post fotus vel cataplasmatis usum adhiberi. His consultum erit addere, vel laudani opiati grana tria, vel liquidi Sydenhamii drachmam unam, si sœvissimus sopiendus sit dolor.

286. Fiunt emplastra ex oleis, mucilaginibus, vitellis ovorum, pulveribus, variis gummi generibus, & cera. Hoc modo.

Rec. ol. semin. lin. & chamæm. ana unc. j. & dimid. mucilag. ex semin. psyll. & fœnugr. simul extract. unc. ij. semin. levistic. cumin. fœnic. pulver. ana drachm. j. gumm. tacamahac. unc. j. vitell. ovor. n°. ij. ceræ alb. q. s. ex his commixtis & leni igne coctis f. emplastr. secund. art.

Summe probantur emplastra de meliloto & de baccis lauri. Tertium aliud & qui-

dem optimum ex utriusque miscela consurget. Efficax parabitur ex oleo chamæmeli & anethi, zibetho, pulvere cumini, aut alio quovis carminativo, alterutro ex ultimis hisce emplastris, vel emplastro mucilaginum confusis. Iisdem etiam addita assa foetida, salino sulphureis suis partibus prodesse potest.

287. Constant sacculi ex milio, furfure, avena, sale, floribus, seminibus, & foliis carminativis in sartagine frixis, vino vel aceto irrotatis. Minus ponderosi laudantur, & alter post alterum calide imponitur. Polychrestus in Flatulentis doloribus, juxta Wedelium (*u*) fieri potest ex floribus chamæmeli, semine lini, carvi, sale, & furfuribus triticeis ubivis obviis, quæ omnia circiter ad manipulum unum sigillatim usurpanda; vel etiam unum tantum ex his crassiuscule tritum, sacculo includi & admoveri potest.

288. Paratur insessus seu semicupium ex aqua tepida, in qua species emollientes & carminativæ larga copia bullierint, vel ex oleo ipso, si diro cruciatu vexetur æger, & pertinacissima laxanda sit constrictio; manebit autem in hoc balneo, medio corpore immersus, fere per unius

(*u*) Amœnitat. mat. med. lib. 2. sect. 2. cap. 8.

horæ ſpatium; idque bis in die, mane & ſero, iterabitur.

289. Hæc omnia medicamenta (a 282. ad 289), abdominis non tantum exteriora, ſed & interiora ipſa, blando calore fovent, aqueis partibus molliunt, lenibus oleoſis & ſalino-volatilibus laxant, nec tonum dejiciunt, ejuſdem ut & humorum commeatus optatam reducunt æquabilitatem, ſicque Flatulentis torminibus abigendis non parum conferunt.

290. At vero dum morbum peperit laxitas, aut huic fovendo quadamtenus contulit, viſcidique in primis viis hoſpitantur humores; paulo acriora, calidiora, magiſque reſolventia uſurpari queunt carminativa, ut in ſequenti fotu.

Rec. fol. calamenth. puleg. ſalv. & roriſmar. ana manip. j. flor. chamæm. ſambuc. & millefol. ana pug. ij. ſemin. carv. & cumin. ana drachm. ij. calam. aromat. unc. j. & ſemiſſ. leviter conciſa hæc omnia bulliant in ſ. q. vin. alb. colatura calida foveatur abdomen, ut prius (283.).

291. Cataplaſma ſequens hic congruet ſatis.

Rec. fol. menth. flor. rorismar. & majoran. ana manip. j. baccar. laur. manip. semiss. contund. in mortar. cum vitell. ovor. n°. ij. aut iij. ol. cumin. per infusion. parat. & tritic. farin. parca quantitate, accurate misc. omnia. f. catapl. affectæ parti calide admovend.

Id etiam remedii genus ex variorum animalium stercore, cum carminativis paratur, v. g. ex fimo vaccino, caballino, semine cumini, oleo lini, chamæmelino, laurino, simul cum vino malaxatis. Quod topicum, licet paulo sordidius, calidissime admotum, non raro opem tulisse, referunt gravissimi Autores (x).

292. Nec minus in hoc casu prosunt litus, quales hi duo.

Rec. ol. aneth. & anis. distill. ana unc. j. & semiss. ol. nucist. unc. dimid. balsam. peruvian. drachm. vj. misc. f. linimentum.

Rec. ol. carv. unc. ij. ol. ruthac. unc. j. & semiss. ol. caryophill. & cumin. pulver. ana drachm. j. m. f. litus.

(x) Roder. a Castro de morb. mulier lib. 2 pag. 282 Fienus Comment. de Flat. cap. 21. pag. 165.

293. Emplastrum efficacissimum sic concinnatur.

Rec. ol. laurin. & ruthac. ana partes æquales; in iis incoque vitellos ovor. cum pulvere semin. cumin. anis. puleg. & origan. agitatos. add. Theriac. unc. j. & aq. vit. tantumdem. f. emplastr.

Confert & alterum istud.

Rec. ol. chamæm. vulgar. seu per infusion. parat. unc. ij, myrrh. rad. galang. & zedoar. ana unc. semiss. zibeth. drach. ij. gumm. carann. & theriac vet. ana vnc. j. f. ex arte emplastr.

Præstat emplastrum de baccis lauri, ut & galbanum in aqua vitæ solutum, umbilicali regioni admovere.

294. Unguentum etiam longe utilissimum sic componit Fienus (y).

Rec. ol. macis drach. vi. ol. absynth. & mastich. ana drachm. iv. lign. aloes, nuc. moschat. cubeb. caryophill. ana drachm. semiss. mosch. benzoin. croc. ana. gr. vi. redigantur in pulverem tenuissimum, & cum ceræ

(y) Comment. de Flat. cap. 19 pag. 144.

quod satis est, f. unguent. secund. art. quo calide inungatur dolens abdominis regio.

295. post fotus (290.), cataplasmatis (291.), linimenti (292.), vel ungenti (294.) usum; calentes sacculos apponere juvat. Ex plumis anserinis confectus commendatur; ut & qui sal commune crassiuscule tritum ac siccatum (z); vel cuminum contusum & vino calido aut aqua vitæ irroratum (a) concludit. Sequens Fieno (b) debetur.

Rec. origan. absynth. menth. ana manip. semiss. semin. milii anis. tostor. ana unc. semiss. flor. chamæm. lavand. anthos, furfur. ana pug. j. baccar. laur. drachm. j. nuc. moschat. drachm. dimid. pulverent. grosso modo & insuantur panno serico raro, fiatque sacculus, qui vino aliquo generoso respersus & optime calefactus ventriculo applicetur.

296. Singula vero jam descripta topica (a 290. ad 296.) dilatant excitato calore poros; partibusque suis tenuibus

(z) Remed. de mad. de Fouquet pag. 39.

(a) Boerhaave Catalog. plantar. quæ in horto Lugduni-Batavor. crescunt. art. de cumin.

(b) Comment. de Flat. pag. 144. & 145.

volatilibus, rigidis, salinis, vel oleosis aromaticis, non in integumentis solum, sed & in ipsismet chylopoieticis visceribus solida vellicant & succutiunt, fluida movent & resolvunt; sicque priorum æquabilem oscillatorium motum, comparemque posteriorum fluxum revocant; nec raro lentescentem ac viscidum liquant humorem; tandemque hoc multiplici nomine, discutiendis Flatibus inserviunt. Quoniam vero horumce medicaminum vis, abdominis claustris maxime frangitur, & omnia ferme aqueis nonnullis, ac oleosis blandis particulis instructa sunt, nonnisi leviter in ventriculum & intestina agunt; unde pleraque in ipsamet vere spasmodica Flatulenta Colica prosunt.

297. Cave tamen ne calidiora, olea v. g. stillatitia macis & caryophillorum, largiori dosi, topicis hisce confundas, quæ ut plurimum, ne dicam semper, noxam inferrent. Nec tutum est ad hæc externa adminicula statim confugere, præsertim, si in primis viis, quid superfluum erret, nisi prius clysterum ope, soluta alvo, ad infimas sedes deturbatum fuerit; vel etiam congruum quoddam propinatum fuerit medicamen internum.

298. Nec prætermittendum, in ambiguo casu, dum v. g. spasmi & laxita-

tis, vel delitescentis pituitosi humoris, societatem adesse suspicamur, simul scite maritanda esse anodyna & calida resolventia ac stimulantia, ut in plerisque jam descriptis medicaminibus præstitum fuit. Hujus autem prudentis miscelæ luculentum præbet exemplum Frideric. Hoffmann (*c*), in linimento crassiusculo sub emplastri forma composito, ex theriaca, croco, oleo nucistæ, camphora, balsamo peruviano, & oleo hyosciami; quod, præ cœteris omnibus, in cardialgia levamen attulisse testatur. Notandum tandem, non anticæ tantum abdominis parti, sed & posticæ, juxta vertebras lumbares, quibus proximiores sunt nervei omnes abdominales plexus, hæc admovenda esse remedia.

PRÆSIDIA DOMESTICA ET EXTEMPORANEA.

299. Verum præter hæc jam prolixe exposita topica (a 282. ad 299.), quæ omnia fere nonnisi ex Pharmacopœorum cystulis depromi queunt; alia adhuc utiliter extus adhibentur, quæ extemporanea, ac nullibi non obvia occurrunt. Sic

(*c*) Dissert. de errorib. Vulgarib. circa usum topicorum in praxi.

plures probe calefacti & quasi candentes, linteisque vino madentibus involuti lateres, dolenti loco successive imponuntur. Lapis molaris, quernus asser, & opercula ollarum, calide parique ratione, admoventur. Item filum ex lixivio coctum cum cineribus, calidum applicatur. Ita & etiam linteo coquinariis sordibus conspurcato, ac mediocriter calefacto, non sine fructu, sœpe contegitur dolens venter. Nec parum prodest appositus panis e furno calens, vino vel aqua vitæ irroratus, qui pulvere baccarum juniperi aut piperis, haud citra virtutis augmentum, conspergetur.

300. Hæc autem omnia (299.) calore præprimis Colicum dolorem leniunt; est enim calor anodynus, ad internas usque partes diffundens se, subsistentes solvit ac æquabiliter movet humores, constipata vasa ex æquo laxat & aperit, necnon uberiorem ad partes externas humorum, forteque ipsiusmet Flatulenti aeris affluxum promovens (128. 153), ab expansione molesta immunes reddit internas. Interim diligenter adverte calida hæc topica potissimum juvare, ubi morbo ansam præbuit susceptum frigus, nec maximus fervet in primis viis calor.

301. Caute igitur ab iisdem (299.)

abſtinendum eſt , ſi a fervidiſſimo æſtu natales duxerit affectus , ne ſcilicet huic fomitem ſubminiſtrent ; quin imo hoc in caſu , contraria prorſus incedere via ſatius erit , & quemadmodum frigidæ conceditur hauſtus (264.) , ita & eamdem , ut efficacius igneus ille retundatur ardor , infimo ventri extus affundere præſtabit ; exemplum præbente Hippocrate (*d*), qui mulieri aliunde ſanæ & obeſæ , a catapotio conceptus gratia accepto , Colico dolore , torminibus , intumeſcentia , aliiſque ſymptomatis conflictatæ , quinquies fere emortuæ , ut expiraſſe videretur , triginta frigidæ amphoris corpus irrigari juſſit ; & hoc unicum opem ferre videbatur , itaut poſtea deorſum proceſſerit bilis multa , cum autem dolor obtineret , nihil ſecedere poterat : vixit.

302. Nec ſola hac divini ſenis obſervatione , iiſdem propemodum vocibus relata , quibus ab ipſo narratur , propoſitum (301.) firmare licet ; aliæ adhuc in promptu ſunt. Sic Zacutus Luſitanus (*e*) Colicum dolorem ſœviſſimum urgente ſiti ſtipatum , qui variis per duodecim dies exhibitis carminativis , frigiditati oppoſitis & pituitam vacuantibus præſidiis

(*d*) Lib. 5. de Morb. popul. pag. 158. C. claſſ. 1.
(*e*) De prax. med. admiranda Lib. 2. Obſerv. 23.

mitigari abnuerat; nec etiam contraria ab ipso calcata methodo, v. s. scilicet, refrigerantibus clysmis, frigidis julapiis, & aliis hujusmodi lenientibus mitescebat; nive tandem parti dolenti circumposita, & gelidissima cum saccharo, ad satietatem propinata, citissime sanavit, & ægrotantem eodem victu frigido nutritum, a dolore immunem reddidit. Consimilia exempla apud Avicennam (*f*) & Amatum (*g*) legere est. Nec ibi omittendum, frigidorum balneorum usum, in Flatulentis sicut & in biliosis, hypochondriacis & hystericis malis, enixe commendari, ab equite Anglo medico doctore Floyer, in peculiari tractatu, cui titulus est, *reviviscens exercitatio de balneorum frigidorum usu æque tuto ac utili, Londini* (*h*). Frigida autem extus adhibita, non tantum æstum temperando, sed & ulteriori membranacearum partium distensioni valide obsistendo, prodest. Verumtamen prudens ista non reticeri debet cautela, procul nempe hujusmodi subsidia amovenda esse, ubi imminens timetur phlogosis, aut jam præsens adest; nec unquam e medici memoria excidere de-

(*f*) 16. 3. Tractat. 4. cap. 17.
(*g*) Lib. 1. centur. 2.
(*h*) Act. Erud. Lips. ann. 1704, pag. 181.

bet, frigus spasmos facile advocare, & frequentissimam esse Colicæ Flatulentæ causam (74).

303. Inter hæc externa remedia, mechanica nonnulla auxilia, merito recensenda. Sic autor quidam (*i*) medicamenta improbans, & facilia ad tuendam valetudinem media proponens, Flatus e ventriculo & intestinis expellendi modum optimum censet, si frequentes fiant abdominis compressiones, cum inspiratione seu attractione aeris. Et certe, dum variis hisce topicis utimur, adhibenda semper valida satis abdominis deligatio, qua devictus fibrarum intestinalium contractilis nisus fulcitur, caute præcavetur major eorumdem extensio, tandemque sic repulsi Flatus feliciter persœpe excluduntur. Compressionis hujus utilitatem docuit Hippocrates ipse his verbis (*k*) *si præcordia distenta fuerint, manu comprimito ac lavato.*

304. Nec tantum arcte premendus est venter, verum & antrorsum inflectendum est corpus, ac sollicite quærendus est si-

(*i*) Moyens faciles & assurés pour conserver la santé sans prendre aucun remede, par D. Domergue, à Paris chés Nicolas Legras, Act. erud. Lips. Supplem. tom 1.

(*k*) Lib ij. de Morb. popul. sect. 6. pag. 117. C. class. 1.

tus leniendo dolori congruens magis. Monitum iſtud firmat Pechlini obſervatio 57a. in qua, id oppido rarum notat, quod ſolus decubitus in unum alterumve latus, tantam in Titio generaverit Flatuum & borborygmorum copiam, graviſſimis comitantibus ſymptomatis, cardialgia, frequentia pulſus, & ſudore frigido, ut nonniſi erecto in angulum corpore, & mutato viſcerum ſitu, a præſenti periculo liberari potuerit, quatenus tum ἄνω & κάτω miſſi ructus crepituſque, in ſpeciem choleræ, ventriculum & inteſtina omnino exoneravere.

305. Non ſolum autem ad Colicæ Flatulentæ ſœvitiem perdomandam, totum corpus inflectere & in certo ſitu ponere, ſed & etiam ipſum movere ac concutere præſtat. Quod ſequenti obſervatione apte confirmabitur. Filiola D..... ſextum circiter ætatis annum agens, dum in prædio non longe a Lutetia Pariſiorum diſtante, cum tota familia ruſticaretur, diriſſima obſeſſa fuit Flatulenta Colica, cui cum ſputo cruento ſtatim juncta febris. Periculo conterrita mater, parumque agreſtibus fidens præſidiis, haud mora, dilectiſſimam puellam, in urbem reducere cogitavit. Utut prima fronte temerarium videretur cœptum illud, ceſſit

tamen feliciter. Vix enim rhedæ, ab aliquot momentis commissa fuerat paupercula patiens, cum ecce symptomata omnia remiserunt, tandemque priusquam Parisios adventaret, omnino persanata fuit. Tremula succussio, qua tenellum ægrotantis corpus undique commotum fuit, pendula quatiens abdominis viscera, dubio procul, spasmos laxavit, reseravit obices, incarceratis Flatibus expedivit iter, eosdemque per tubum alimentarium æquabiliter diffudit, & ita molestam vasorum Pneumonicorum pressionem auferens, liberiorem per hæc sanguinis commeatum reddidit. Unde Colicam Flatulentam sœvissimam cum symptomatis suis, tam cito subactam fuisse non mirum. Hoc ergo singulari exemplo, summa jamque laudata (211. 212.) evincitur exercitii, vectionis præcipue, in Flatuosis omnibus morbis, utilitas. Eadem autem puella semper inposterum Flatibus obnoxia fuit, cumque in duodecimo ætatis anno versaretur, Colica Flatulenta iisdem symptomatis stipata rediit. His sedandis potiusquam primario affectui radicitus evellendo, intenti fuere medici; periit egregiæ indolis puella, magno cum parentum planctu Si autem summa morbi acuties, totius corporis

ſuccuſſioni obſtaret, imum ventrem leviter perfricare & hinc & inde commovere haud fruſtraneum eſſet. Hic etiam locum merentur lenes extremorum frictiones, quibus ad longinqua vaſa uberior ac celerior provocatur humorum omnium appulſus, ſicque accedentis liquidi nimio impetu, majorique mole allevantur interna tum nervea tum ſanguinea vaſa, proindeque ſpaſmodicus mitigatur affectus. Et hæ præprimis conducunt frictiones, ubi partibus extremis exceptum frigus, aut incuſſus terror, aut inſenſilis perſpiratio cohibita morbum intulere.

306. Hæc tandem inter externa præſidia, remedium a Galeno tantopere jactatum, ſeu cucurbitulam amplam dolenti loco, cum multa flamma appoſitam, reticere nefas. Nam juxta Famigeratiſſimum hunc artis noſtræ antiſtitem (*l*) nullum magis proprium ac præſentaneum præſidium inveniri poteſt in doloribus Flatulentis, & ſi adhibeatur, incantamenti quid ſimile efficit, cum ægrotantes illico tum a dolore liberi, tum omnino ſani reddantur. Quare vero cucurbitula promptiſſimum Flatulenti cruciatus lenimen inferat,

(*l*) Cap. ultim. Lib 12, Method. Medend pag. 79, H.

enodare

enodare valde arduum est. Num quia vividiorem extus dolorem movens, internum sic obscurat mitigatque; nec non æquiparem in universo alimentario ductu, contractilem concitat nisum, quo Flatuosa domatur collectio? Num potius quia aeris externi pressionem auferens aut summe frangens cucurbitula, & ita partis cui admovetur resistentiam minuens, uberiorem in eamdem humorum, sanguinis scilicet, lymphæ, succique nervei affluxum promovet, huncque sic ab intestinis abducit, & spasmos sedat? An tandem ab applicata cucurbitula pari ratione Flatuosus ipsemet extus allicitur aer? A verosimili non absolute distat conjectura, huicque favent superius exarata (152.) puellæ Tympaniticæ observatio, in qua subsidente nonnunquam immani turgescentia, prominebant in abdominis peripheria aerei tumores, & Flatulentæ Colicæ expositum supra (112) exemplum, in cujus diris cruciatibus, multi in imo ventre protuberabant hujusmodi tumores dolenti loco accurate accumbentes. Huc confer, quæ dicta (128). Utut tamen miris extollatur encomiis cucurbitulæ usus, si morbus a materia intus latitante foveatur, quoniam hanc educere nequit, dolorem quidem ali-

quamtulum lenit, ſed non ita certo profligat, ac ſi ſolus adeſſet Flatus a ſpaſtica strictura aut ab alia cauſa ortus. Non ita faustum etiam effectum parit, dum abdomem admodum craſſum, pingue & distentum eſt.

COROLLARIA PRACTICA EX TRADITA THERAPEIA ELICITA.

307. Ex his ombibus, quæ huc uſque prolata ſunt (a 220. ad 307.) cuilibet perſpicuum erit, quam caute ſe gerere debeat medicus, in Colicæ Flatulentæ curatione. Si enim ad ſedandam doloris ſœvitiem, narcotica largiori manu propinet, infauſtam ac exitialem inertiam inducet. Si e contra ad debellandam partium laxitatem, tonica vel validiora & calidiora, vel majori doſi exhibeat, pejor exurget effectus, naſcentur nempe æſtus, ſpaſmi, immaniora tormina. Hic medium tenuere beati, hic ab extremis prudenter deflectendum. Conſtricta pars leniter laxanda; debilitata & nimium diſtenſa blande refocillanda; ſicque motus periſtaltici deperdita æquabilitas revocanda, in quo præcipuus hic verſatur medentis ſcopus. Hinc maxima in eo deſideratur ſagacitas, ut detegat an magis laxandum quam corroborandum; ut plu-

rimum tamen de lenienda constrictione debet esse sollicitus, ac demum ita se præstare, ut si morbum non depellat, saltem noxam non inferat.

REMEDIA SPECIFICA CREDITA IN COLICA FLATULENTA.

308. Priusquam vero Colicæ Flatulentæ curationem absolvamus; ne quidquam huic domandæ conducens omisisse, nobis probro verti possit; nonnulla consultum est subnectere de remediis quæ passim ab autoribus variis, proprietate substantiæ, vel peculiari cum affecta parte proportione, seu, ut rectius loquar, vi quadam specifica & occulta, summum hic auxilium præstare jactantur. Omnia fere suppeditat animale regnum, partibusque suis gelatinosis, sulphureis & salino-volatilibus, tum extus tum intus, opem ferre queunt. Sub amuleti forma adhibitis sit fluxa fides, ne dicam, nulla. Inter hæc appropriata præsidia, potissimum numerantur plures lupi partes, ut ipsius intestinum siccatum, tritum, & pondere drachmæ unius aut scrupulorum quatuor datum, cum vino albo tenui, in quo chamæmeli flos vel anethi efferbuerit; pellis ejusdem ventri admota, ex hac comparatæ stragulæ, vel confecta

cingula (*m*); item lupinum ſtercus album, contritum, ex vino albo tenui propinant nonnulli, quod remedium ſumme laudat & exemplis confirmat Galenus (*n*), hocque occulta vi Colicis prodeſſe, tenent Fernelius (*o*) & Fracaſtorius (*p*). Stercus idem alii nucula includunt perforata, ſuſpendunt e collo, ut ad ventrem perveniat, aliaque obſervant ridicula magis & ſuperſtitioſa circa ligulam qua in id utuntur (*q*). Lupinum tandem hepar prædicant nonnulli (*r*). Tauri pudendum, ſi Zacutum Luſitanum audiamus (*s*), ſpecifica virtute mirifice juvat in Colico dolore; *plurimos*, inquit expertiſſimus hic autor, *notavi hoc miſerrimo tormento concuſſos, qui ſolum hoc auxilio ſanitati ſunt reſtituti, alii ab eo, hujus vi, ſunt præſervati. Utere eo in pulverem redacto, ſcrupuli quantitate in malvatico diſſoluto.* Laudantur ab aliis, talus ſuillus combuſtus ac deinde cum liquore quodam ſumptus (*t*); galeritum alaudæ genus

(*m*) Holler. de Morb. lib. 1, cap. 41, de colic. dolor. pag. 315, Fienus de Flatib. cap. 22, pag. 167.
(*n*) Lib. 10, de medicam. facil. ſimpl. tit. ſtercus lupinum, pag. 76, claſſ. 5, D.
(*o*) 2, De abdit. rer. cauſ. 17.
(*p*) Lib. 1 de Morb. contagios. 8.
(*q*) Holler. Ibid ut ſupra.
(*r*) Avenzoar. lib. 2, teiſir Tract. 1, cap. 2, &c.
(*s*) Prax. admirand. lib 1, Obſerv. 24.
(*t*) Fienus ibid. ut ſupra.

(*u*) uſtum aut elixum cum jure galli; ſtercus gallinæ exercitæ & ſicciore pabulo nutritæ (*x*); ejuſdem interanea, ventriculus ſcilicet & inteſtina ſiccata, trita, & in liquido quopiam hauſta; tunicæ interiores ventriculi erinacei; cochlea cruda contuſa cum duobus cyathis vini vel aquæ (*y*); particula de umbilico infantuli recens nati in argentea capſula, vel annulo incluſa, ut carnem attingat (*z*); magnes circa umbilicum applicitus; unguentum ex ſerpentis exuviis & oleo roſaceo in ſtanneo vaſe coctis (*a*); veſpertilionis (*b*), ut & anguillæ (*c*) ſanguis ventri illitus; pellucidus tandem in limacum cinerei coloris capite inventus lapis, qui contritus & in vino vel aquis convenientibus propinatus, ex Hollerii mente (*d*), mirabile contra Colicum dolorem, remedium præſtat.

309. Huic etiam medicaminum claſſi (308.) accenſetur urina, quæ veneno-

(*u*) Holler ibid. ut ſupra, pag. 316. Fien. Ibid. ut ſupr.

(*x*) Holler. ibid.

(*y*) Capivacc. de affection. ventric. cap. 13. pag. 617.

(*z*) Serrier obſerv. 9. de dol. col. ex crollio.

(*a*) Serrier ibid. Ex Hartman.

(*b*) Mercurial. medic. pract. lib. 3. cap. 28. de ileo marcell. cap. 29.

(*c*) Mercurial. ibid.

(*d*) Holler. ibid. ut ſupr.

rum antidotus dicitur a Dioſcoride,& colicis torminibus ſummo eſt auxilio, ut exiſtimant autores celeberrimi (e). *Hanc a puero impube & adhuc venerem non experto extractam*, ait jam citatus Zacutus (f) *ſæpe unciarum octo quantitate, cum melle deſpumato permixtam, actu calidam, patientibus Colicum dolorem, cæteris noc conferentibus auxiliis, exhibui; omnes excretis Flatibus per inferiorem & ſuperiorem ventrem, ruptaque copioſe alvo, ſuperſtites evaſere.* Quamvis ergo excrementitii hujus laticis potus, palato parum arrideat & quaſi nauſeoſus ſit; hunc tamen, memorata illa Zacuti obſervatione, aliorumque practicorum (g) exemplo incitatis porrigere fas erit, poterit que ſœvum abigere dolorem, ſalino-ammoniacalibus, aut fixis tartareis partibus, viſcidos ſolvendo humores, ductus alimentarii interiora omnia vellicando, ſicque æquum in periſtaltico motu renovando tenorem; ſulphureis rarefactum aerem coercendo; tandemque aquea ſua parte, & canalem & ipſius contenta proluendo. Interim adverte, internum urinæ uſum huic Colicæ ſanandæ potiſſimum parem

(e) Plin. lib. 28. cap. 6. Paul. lib. 7. tit. de urina.
(f) Ibid. ut ſupra obſerv. 25.
(g) Avicenn. lib. 2. tract. 2. cap. 725. Galen. lib. 1. ſecund. loc. 8.

esse, quæ a laxitate vel pituitosi humoris collectione suboritur. Eamdem per anum, majori cum audacia, sub clysterum forma, infundes.

310. Verum quoad cœtera superius exposita (308), specificorum nomine ditata; nec vilipendenda, nec etiam pluris facienda quam æquum est. Sulphureæ parti aerem frenanti ductumque mulcenti, gelatinosæ pariter lenienti, salinæ contractilem nisum æquabiliter proritanti accepta referenda est singulorum fere qualiscumque efficacia. Si combusta sumantur, absorbentem & alcalinam vim exercent. Ut quid ergo occulta quædam proprietas huc precario advocatur?

BORBORYGMI, RUCTUS, CREPITUS, ET ANADROMES CURATIO.

311. Strepentes Borborygmi (60. 93.) Ructus (46. 94.) & Flatus per inferiora emissi (46. 95.) cum nullam molestiam inferant, ubi soli occurrunt, aliaque Flatulenta mala, si his superaddantur, lenire possint; peculiari therapeia non indigent, nisi frequenter & incommode recurrant; & tunc Flatulentia adest, cujus medelam mox subnectemus. Sed pertinax Flatuum ad superiora recursus (7. 97.) medicam opem, tum nati-

va sua gravitate, tum quæ minatur periculis, expostulat. Ad eum ergo abigendum, inferior intestinalis tubi pars nimium constricta & angustata laxanda, potissimum per enemata ex plantarum emollientium, radicis althææ, & liliorum, seminum lini, florum malvæ, nymphææ, chamæmeli, verbasci decocto, cui larga adjicitur olei amygdalarum dulcium dosis, parata & frequenter injecta. His addendi fotus eodem prorsus modo compositi; semicupia etiam in usum vocanda. Sed cum molestus hic affectus a sanguine in intestinalibus vasis aliquatenus stagnante, præprimis foveatur; hic non omittenda sanguinis missio, & ad causam hanc haud dubie spectat jam relatum istud Hippocratis effatum (h) *ventositatem v. s. fluxionem Pharmaco illito sistito*. Confer jam dicta (230. 231. 232). Mittetur ergo sanguis e brachio semel aut bis, deinde injectis prædictis clysteribus, lenientia quædam intus assumentur, ut oleum amygdalarum dulcium ad uncias duas, in decocto florum chamæmeli & seminum anisi: juscula refrigerantia & mitigantia, serum lactis, & balnea aquæ tepidæ ex usu erunt. Si tandem in con-

(h) Lib. 2. de morb. popular. sect. 5. pag. 115. C. class. 1.

spectum

ſpectum prodeant hæmorrhoides, earumdem fluxus admotis hirudinibus & instituta parca v. ſ. in talo, promovendus; & ſi in fœminino ſexu cohibita menſtrua morbo anſam dederint, congruis auxiliis eorumdem concitandum erit profluvium.

CURATIO CHOLERÆ SICCÆ.

312. Ad Choleram ſiccam (4. c. 96.) profligandam, Flatuum vis & acrimonia retundenda, ſiccior inteſtinalis fiſtula emollienda, fervens placandus eſt æſtus, ſpaſtica conſtrictio inteſtinis tenuibus hærens ſedanda, & Flatus per anum leniter educendi. Ut hi varii ſcopi attingantur, medendi methodum ab Hippocrate traditam (*i*), ceu tutiſſimam adamuſſim calcabimus. Ad curationem enim ſœvi hujus affectus, vomitoria & cathartica prohibet divinus ſenex, & clyſteres oleoſos, aquæ dulcis balneum, olei perfuſionem, & internum ejuſdem uſum, ſomnum, quietem, abſtinentiam a cibo, tandemque ſi contumax ſit morbus, lac, aſininum præcipit, nec veroſimiliter vinum concedit, niſi ad ventriculi cruditatem corrigendam. Verum ipſamet Hippocratis verba huc transferre lubet. *In*

(*i*) Lib. 4. de vict. rat. in acut.

Cholera sicca, inquit, *venter inflatur & strepitus insunt, & laterum ac lumborum dolor; nihilque infra dejicit alvus, sed adstringitur: ita affectus ne vomat videto, verum ut alvus subducatur. Infuso igitur per clysterem calido & perquam pingui, quamcitissime utitor; perunctumque in calidam quamplurimam, in solio collocatum, calida sensim affusa, dimittito, & si cum calefactus fuerit, alvus subducatur, morbus solutus est. Huic etiam dormire confert, & vinum tenue vetus ac meracius bibere. Oleum quoque exhibeto, ut quiescat & alvus subeat, ac solvitur morbus. A cibis omnibusque aliis abstineat. Quod si dolor minime remiserit, lac asininum donec purgatus fuerit, propinato; at si alvus liquida fuerit & bilis subducatur, torminaque vexent, vomitiones & suffocationes, iis optimum est quiescere, aquam mulsam bibere, ac minime vomere.*

313. Tanti Magistri, cui fere nunquam fallere aut falli contigit, vestigiis inhærentes, enemata primum emollientia, cum ampla dosi olei amygdalarum dulcium, vel liliorum, vel lini, vel chamæmeli injiciemus, decocto leniente ventrem fovebimus, & prædictis oleis calide inungemus. In graviori affectu, aquæ dulcis, aut etiam olei olivarum se-

micupium adhiberi jubebimus. Interim per os, oleum amygdalarum dulcium, aut lini ad aliquot uncias hauriri poterit, aut laudanum liquidum a guttis decem ad triginta. Mira præſtabit mixtura ſequens.

Rec. aq. lilior. unc. iij. aq. fœnic. & naph. ana unc. j. oleî amygd. dulc. unc. ij. ſpirit. nitr. dulc. gutt. x. laud. liquid. gutt. xxiv. miſc. pro dupl. doſ.

314. Pro potu erit aqua in qua expreſſus fuerit ſuccus limonum, aut cui affuſus ſpiritus ſulphuris ad gratam aciditatem, vel aqua oryzæ, vel aqua pulli junioris. Solis juſculis vitulinis, vervecinis, aut pullorum; vel melius adhuc, dilutioribus tantum hordeaceis vel avenaceis cremoribus nutrietur æger. Emulſio ſuperius præſcripta (262.), vel alia conſimilis, pluries in in die, ſed præſertim ſub veſperam, maxime conferet.

315. His omnibus opportune adhibitis præſidiis, haud dubie ſedabitur tanti morbi ſœvities. Si in hujus declinatione, fractus videatur inteſtinorum tonus, hunc per infuſa carminantia lenia & moderate calida, aut etiam, juxta divini ſenis con-

ſilium, per parcum vini meracioris potum, reſtaurare nitemur.

316. Denique ſi omnibus his remediis pertinaciter obſurdeſcat affectus, præeunte Hippocrate, lac aſininum exhibere audebimus, quod eximia ſua vi refrigerante, abſtergente, ac leniente, conſtrictas partes emolliet, Flatuum ferociam domabit, eoſque placide per inferiora educet. Poteſt & etiam propinari lactis vaccini aut caprilli ſerum clarificatum; cui incoquentur ſemina aniſi, fœniculi, aut alia quæcumque carminativa ad pugillum unum, necnon certa addetur ſacchari quantitas. Utriuſque vero, lactis nempe aſinini & ſeri lactis, matutinus & ſerotinus erit uſus, ſi conſentiat ventriculus. Nec plura ad morbum hunc fugandum adjicere juvat; cum ex jam dictis infinita propemodum mutuari fas ſit. Id unicum ſupereſt annotandum, perſœpe antequam plenior victus adhibeatur, genitas ſœviente morbo primarum viarum ſordes leni ac pingui cathartico eluendas eſſe.

FLATULENTIÆ CURA.

317. Flatulentia (§. 98.) medicamentorum fere omnium, utut perite & tempeſtive adhibeantur, vires illudere

ſolet (177); ita ut pari jure, crux & flagellum Medicorum dici mereatur, ac hypochondriaca paſſio, cui fere perpetuo ſe comitem adjungit. Ad hanc tamen cujuſcumque ſit generis, mitigandam, inſtitutum ſuperius victus regimen (a 201. ad 214), & cauta a remotis & procatharcticis cauſis declinatio, potiſſimum conferent.

Prioris Flatulentiæ ſpeciei Curatio.

318. Priorem Flatulentiæ ſpeciem (9.) quæ laxitati natales debet, curaturus, id præcipue in votis habeat, languidum ſcilicet & torpidum ventriculi ac inteſtinorum tonum reſtituere; ad quod præſtandum, lenioribus ac tutioribus utens auxiliis, calidiora & acriora nunquam uſurpabit. Verum fruſtranea erunt ſubſidia omnia, niſi prius cauſæ antecedentes, & intus corpori inhærentes ſedulo eradicentur. Quapropter ſi ab aſſumptis oleoſis, viſcidis, Flatuoſiſque fiſtulæ alimentariæ inducta fuerit Flacciditas; horum ſordidas ſuperſtites reliquias quamprimum expurgare decet. Nec in hoc tantum caſu cathartica conducere exiſtimes; ſemper enim ibi præmittenda eſſe, eloquitur ductus alimentarii laxitas cruditatum aggeſtioni neceſſario anſam præbens.

319 Injicietur ergo clyster superius (268) præscriptus, cum adjecta catholici optimi uncia una. Sequenti die hæc propinabitur potio purgans.

Rec. senn. mund. drachm. ij. rhab. elect. & contus. drach. j. sal. tartar. drachm. semiss. summit. absynth. semin. anis. & cumin. ana pug. j. coq. in s. q. aq. f. in colatur. & express. unc. vj. dissolv. mann. calabr. unc. ij. electuar. de citr. drachm j. m. f. potio mane exhibenda cum regimine.

Hac potione pituitosa & viscida primarum viarum colluvies intestina aggravans ac laxans eliminabitur. Si tamen non tota expurgata fuerit, pulvis sequens mane per duos aut tres dies sumendus.

Rec. semin. fœnicul. scrupul. j. semin. cumin. gr. xv. rhab. gr. xxiv. diacrid. gr. vj. sal. tartar. & cass. lig. gr. viij. nitr. depurat. gr. x. f. ex omnibus pulvis.

320. In hoc casu, Flatus pertinacius resistentes egregie elicit radix scillæ præparata ad drachmas duas, aut ad summum, ad unciam semissem, clysteribus

carminativis admixta (*k*). Oxymel ſcilliticum, ad unciam unam, ut jam monuimus (280), addito ſemper oleo quodam blando, ut amygdalarum dulcium, vel chamæmeſino, ad mitigandam ſcillæ acrimoniam. Oxymel idem intus aſſumptum, ſemperque vel leni quodam oleo, vel alia ratione temperatum, hic opem ferre poteſt, viſcidum ſolvendo ac educendo, & ductus alimentarii interiora proritando.

321. Verum ad primarum viarum ſordes eliquandas ac efficaciter eliminandas, tum & ad membranaceum canalem ubique laceſſendum, & ad æquabilem ipſius contractionem revocandam; nihil forte hoc in caſu, præſtantius erit Bellilucanis thermis, quæ per triduum, mane ad cyathos quindecim aut decem & octo calidæ hauriuntur. Prima die in priori cyatho, & tertia in ultimo ſolvitur ſalis Anglici uncia dimidia, cum mannæ unciis duabus. Eadem ferme ratione epotari queunt thermales aquæ Vicienſes, Borbonienſes, aliæque ejuſdem indolis.

322. Sic eliminata Flatuoſa ſaburra, fractum primarum viarum tonum, mox proponendis auxiliis erigere congruet.

(*k*) Stahl, ars curandi morbos cum expectatione not. ad cap. XXX.

Consona interim huic Flatulentiæ generi, superius tradita victus ratio (216.) diligenter observanda.

323. Si longæ febri intermittenti, aut prægresso immodico sanguinis profluvio, aut alteri cuicumque diuturniori ac vires deprimenti affectui successerit ventriculi & intestinorum debilitas; huic tollendæ inprimis conducent alimenta euchyma & optimi succi sale tamen, pipere, aut aromate quopiam, cinnamomo puta, vel nuce moschata paululum conspersa; qualia sunt jura carnium, ova sorbilia, decocta panis bene fermentati, gelatinæ, quæ ventriculum parum gravant, ac paulatim languidum reficiunt ægrotantem. Removenda interim cum studio, crassiora, viscidiora, & Flatuosa, ut ea quæ infensa quadam acrimonia prædita sunt. Verbo, ne actum agamus, iisdem præceptis hic mos gerendus, quæ jam fuse exarata fuere (a 201. ad 214. & 216.)

324. At vero inter medicamina, ea probantur quæ leni vi stimulante gaudent (197. 198.), ut infusa vel decocta calida, aromatica, & carminativa de quibus supra (242. 271. 275.), idemtidem in die saltem mane & sero propinata; qualia sunt leve cinnamomi & baccarum juniperi decoctum; foliorum melissæ,

menthæ & florum chamæmeli; vel seminum fœniculi, cumini, & florum millefolii infusum; & millena alia. Post pastum pulvis sequens carminativus & stomachicus a Fieno descriptus cum fructu usurpabitur.

Rec. anis. cond. unc. iij. semin. fœnic. unc. j. & semiss. coriandr. præpar. unc. j. cumin. carv. sesel. in vin. alb. macerat. ut ingratus sapor mitescat, ana drachm. j. cortic. citr. sicc. cinnamom. crass. ana scrup. iv. sacchar. alb. dupl. omnium. f. pulvis cujus cochlear j. sumat post cibum, nec amplius bibat.

Sequens aromaticus & resolvens insigniter proderit.

Rec. cinnam. mac. cardamom. zimzib. nuc. myristic. serpill. & coriandr. ana drachm. j. tartar. vitriol. aut sal. admir. Glauber. drachm. ij. sacchar. albiss. unc. semiss. f. pulv. bis in die, mane scilicet & hor. quarta pomeridiana ad drach. dimid. sumendus.

325. Si autem his (a 318. ad 325.) pertinaciter obsistat id Flatulentiæ genus, ad alia præsidia confugiendum erit,

Præmissa igitur catharsi, sequens opiata ex carminativis quartæ (197) & quintæ (198) classis composita, per decem dies, quolibet mane exhibebitur.

Rec. conserv. absynth. & extract. juniper. ana drachm. iij. rad. imperator. & cortic. citr. cond. ana drachm. ij. cathecu, cinnam. & semin. fœnic. ana drachm. j. cumin. scrup. ij. pulverand. pulverent. & incorpor. omnia in s. q. syrup. menth. add. essent. anis. gutt. xij. f. opiat. pro x. dosib.

Elapsa post assumptam opiatæ dosim dimidia hora, jusculum haurietur ex decocto carnis vitulinæ aut vervecinæ; in quo tres aut quatuor cancri fluviatiles calida eloti & contriti, per horam unam ebullierint; cuique sub coctionis finem, adduntur folia cichorii sylvestris ad manipulum unum, folia menthæ, flores chamæmeli & millefolii, singula ad pugillum unum.

326. Opiatæ (325.) martialia jungi possunt, ut crocus martis aperiens, vel limatura chalybis; ita & jusculo, alia quam plura, ut radix enulæ campanæ & flores hyperici, adjici queunt. Post horum usum, superius descripta (319.)

potio purgans, aut alia consimilis, vel mitior proponabitur. Quandoque juscula sola primum, deinde vero opiatam per totidem dies, exhibere satius erit; sic utriusque alternus poterit esse usus. Tunc autem devoratæ cuilibet opiatæ dosi, superaddendus infusi carminativi cyathus.

327. Verum plura adhuc in hac Flatulentiæ specie, usurpare fas erit, ut pulverem pepticum Batei, ejusdem tabellas carminativas, electuarium de baccis lauri, aliaque plura solida remedia, singula ad drachmam unam, cum adjecta modica theriacæ vel diascordii, vel confectionis hyacinthorum dosi, hausto insuper infuso, decocto, vel alio liquore carminativo. Essentiæ carminativæ Wedelii triginta guttæ, & compar elyxirii proprietatis Paracelsi quantitas, in aqua chamæmeli simplici, mane per aliquot dies propinatæ, eximiam opem ferent; sicut & liquoris *Rossolis des six graines* dicti, cochl. j. cum tincturæ *Garus* guttis triginta aut quadraginta.

328. Hic tamen a practicis studiose notandum, raro laudatam therapeiam (a 318. ad 328.) adhibendam esse, cum hanc Flatulentiæ speciem, cui debellandæ dicatur, in quotidiana praxi, deprehendere infrequens sit; & si eam reperi-

re contingat, calidioribus & acrioribus, ut jam observatum (318), oppugnare nefas: notum est enim, quam facile ab his exhibitis, spasmus atoniæ succedat (86), præsertim cum hæc partialis sit & & vaga, nec omnes ex æquo ductus alimentarii partes detineat; tum namque rigidis calidiorum medicaminum aculeis, moleste lacessitæ quæ laxitatis expertes sunt, aut minus flaccidæ, intensius & spasmodice constringuntur. Unde præ cœteris, tonica mitiora, & præsertim ea quæ partibus oleosis blandis prædita (198.) eligere, & in usum vocare decet.

Secundæ Flatulentiæ speciei Curatio.

329. Ut secunda Flatulentiæ species (10.) alia multo frequentior edometur; compescenda occurrit spasmodica ventriculi & intestinorum constrictio, e qua præcipue sobolescit (100). A quibus vero causis antecedentibus vel remotis hæc inducta fuerit, aut adhucdum foveatur, intenta mente, Medicus inquirat; & semel detectas quam cito ab ægri accessu arceat. Vinum, liquores ardentes, salita, piperata, aromatibus condita, acria, fermentativa (61.), effervescentia (60.) putrescentia (62.), procul amovenda. Ab immodicis laboribus

& exercitiis, effrenata venere, violentis animi-pathematis, assidua meditatione & intempestiva refrigeratione, caute declinandum. Cibis lenibus, blandis, ac facilis coctionis, ut cremoribus hordeaceis, avenaceis, & ex oryza, offis dilutioribus nec diu coctis, carne vitulina, agnina, aut vervecina elixata vescatur æger. Ante & post pastum, aquæ calidæ cyathum hauriat, & leni deambulatione corpus quotidie exerceat. Peculiare tandem victus regimen supra laudatum (215.) sedulus observet.

330. Emollientia dein, lenientia, & anodyna medicamenta (196.) exhibere expedit, quibus tamen quintæ Classis remedia (198.) parca manu consulto addentur, ne plus æquo laxetur tonus, & vitium vitando, stulte in contrarium curramus. Ante eorum usum, mittendus sanguis, præsertim si juvenilis ac florida sit ætas, aut temperies plethorica & sanguinea, ut sanguine minus turgidæ intestinales tunicæ, a spastica tensione facilius descifcant. Celebrata V. S. vespere blandum infundere clysma, & postridie leni quodam carthartico, ut potione superius (237.) tradita, aut alia simili, primas vias eluere juvat, subjuncto sub vesperam narcotico. Postea jusculum se-

quens refrigerans, carminativum, & anodynum, per decem dies, mane exhibebitur.

Rec. pull. junior. pelle nudat. & exenterat. cujus venter infarciatur semin. quat. frig. maj. mund. unc. semiss. semin. papav. alb. anis. & ligustic. ana drachm. j. coq. per bihorium, in s. q. aq. fluviat. aut pluvial. nitidæ; dein add. ranar. quatuor fluviatil. denudata, elota, & contrita crura posteriora; bulliant por hor. j. sub coctionis fin. projice folior. lactuc. manip. j. fol. meliss. & flor. verbasc. ana pug. j. cola & exprime. f. jusculum.

331. Transacto jusculorum usu, nisi necessitas urgeat, purgans non iterabitur, sed sequenti opiata per novem aut decem dies, utetur æger, quæ ex carminativis, tonicis, absorbentibus, refrigerantibus, & anodynis concinnata.

Rec. theriac. veter. oculor. cancr. fluviat. præpar. & semin. papaver. alb. ana drach. ij. flor. chamæm. rom. semin. anis. viol. & ligustic. ana drachm. j. nitr. depur. & succin. flav. ana scrup. ij. cum s. q.

ſyrup. de limonib. & eſſent. aniſ. gutt. aliquot f. opiata pro x. doſib.

Mane vorabitur, & paulo poſt largus haurietur ſeri lactis cyathus, in quo leviter bullierint chamæmeli flores ad pugillum unum. Opiata hæc quinquagenario viro hypochondriaco - Flatulento exhibita, alvum ipſi laxabat pertinaciter antea adſtrictam, hac ſane ratione, quod primarum viarum ſpaſmos ſedabat. Huic in urgentiori caſu, nonnullæ laudani ſolidi miculæ, aut liquidi Sydenhamii guttæ adjungi queunt, & exhinc potentius præſertim magis antiſpaſmodicum conſurget medicamentum. Adde quod, in hoc affectu, utrumque largiori doſi & ſuperius deſcriptis (a 225. ad 228.) remediis nuptum, vel quæpiam paregorica potio (224.) concedi poſſit; ſi vehementer excrucietur ægrotans.

332. Nec encomio ſuo orbantur, in hoc percurando Flatulentiæ genere, enemata (222. 223.), fomenta (283.), cataplaſmata (285.), & linimenta (285) quæ ſupra deſcripſimus. Frequenter ergo clyſteribus emollientibus, oleoſis & carminativis, alvum irrigare; decocto lenientium herbarum, florum, ſeminum, radicum in aqua aut in lacte abdomen fo-

vere; oleis anodynis & carminativis illinire; ſacculis paregoricis (287.) contegere, optimum erit. Adverte tamen raro admodum, externa iſta adminicula hic in uſum vocari, niſi acerbior urgeat cruciatus. Sed in pervicaci affectu, ſummopere & merito quidem commendantur balnea aut ſemicupia aquæ dulcis & tepidæ, quibus ſolida rigida molliuntur, tenſa & conſtricta laxantur, fluida æſtuoſa frenantur, denſiora & ſicciora diluuntur. His ergo per novem dies, mane e lecto excedens, aut hora quarta pomeridiana, uti poteſt æger, ſi faveat anni tempus, & in ea haud inconſulto immittentur herbæ emollientes, flores & ſemina carminativa. Quo tempore balneo immerſus eſt æger, aut cum ex eodem proſiliit, lectoque commiſſus eſt, ſupra præſcriptum juſculum)330), aut aliud conſimile, aut infuſum meliſſæ, florum chamæmeli, & verbaſci, in ſero lactis exhibendum.

333. Verum priuſquam balneis proluatur æger, lenes aquas minerales ipſi, per quatuor, quinque aut ſex dies, exhibere ſumme proficuum erit: his enim primarum viarum ſordes blande educuntur, alimentarius omnis tubus emollitur, eluitur & ad æquam contractionem proritatur;

tatur; ſanguis diluitur leniterque reſolvitur; ſolida laxantur, obſtructi meatus reſerantur, æquabilis redditur humorum omnium circuitus, & ſecretiones ac excretiones ubique legitime ſuccedunt. Acidulas ergo vulgo dictas, ut Lodovenſes, Camarienſes, Yeouſenſes, & Vallenſes quæ in Occitania noſtra proſtant, in uſum ducere confert. Cave ne nimia aut diuturnior ſit earumdem potatio, quæ ventriculi & inteſtinorum tonum forte infringeret; nec frigidæ hauriantur, ſed balneo mariæ paululum calefactæ, matutinis horis ad duodecim aut quindecim cyathos, ſolvendo prima die, in priori cyatho, mannæ uncias duas, ſalis anglici drachmas tres, ſicut & ultima die, in poſteriori. At vero, ob ſupra adductam rationem (195), in Flatulentiæ cura, præ cœteris emicant aquæ thermales blando, ſuavi ac vaporoſo ſulphure prægnantes, quales ſunt ibidem (195) relatæ Bathenſes, Baregienſes, Balneolenſes, & ſancti Laurentii, quæ primarum viarum ſordes abſtergere, conſtrictas partes laxare, & præcipue aerem frenare aptiſſimæ ſunt. Hæ igitur eodem ordine, & iiſdem ſervatis cautelis, epotandæ: balnea dein uſurpanda. Poſt aliquot dies rurſus propinabuntur minerales aquæ; tandem,

que ſubjungetur iteratus balneorum uſus, qui prior nonnunquam & ante mineralium aquarum potum, locum habebebit; ubi ſcilicet ſiccitas ingens citiſſimam expoſtulat a balneis præprimis inferendam mollitiem.

334. Morbi ſœvitie præſidiis hiſce (a 329. ad 334.) ſubacta, ſanguinis leniendi, tum & univerſi ſolidorum ſyſtematis blande molliendi gratia, lac aſininum mane vel hora ſomni, per plures menſes, ſummo cum fructu, ſorbebit æger; tuncque tertia qualibet die, pulverem ex oculorum cancrorum fluviatilium præparatorum ſcrupulo uno, ſuccini flavi & cathecu ana granis octo, ſeminis fœniculi granis duodecim conflatum, & aquæ naphæ cochleari dilutum, ante lac ſumet. Præſtabit etiam pulvis de gutteta eadem ratione exhibitus, cum carminativo quodam ſemine.

335. Si ſpaſmodica inteſtinorum ſtrictura, a ſanguine nimia copia eorumdem vaſa opplente pronata ſit ac foveatur; redundans ille ſanguis V. S. educendus, quæ in principio celebrabitur non tantum in hoc caſu, ſed & etiam in aliis, modo conſtent vires vigeatque pulſus; hanc enim Flatuoſos affectus mire ſolvere, jampridem docuit Divinus artis noſ-

træ Magiſter, ut ſupra notatum eſt (232. 311.). Ibi tamen majori cum audacia, largiori manu, ſæpiuſque, ſervatis tamen prudentiæ legibus, mittendus eſt ſanguis, cum morbum intulerit uberior hujus copia; ſeduloque cavendum ne pleniori lautiorique victu, torpidave ſegnitie, nimium increſcat ejuſdem moles; quapropter ſobrietas & moderatum exercitium, ad morbi hujus prophylaxim, in hoc caſu, cœteris omnibus præſtant.

336. Si ſanguis in inteſtinalibus vaſis exuberet, ob lenteſcentem in jecore ejuſdem motum; liquidum ſubſiſtens diluere leniterque conterere, obſtipatos reſerare hepaticos ductus, iiſdem deperditum robur impertiri, tandemque liberum per totum jecoris corpus fluorem conciliare, operæ pretium erit, non prætermiſſis interea quæ Flatuum ferociæ ſubigendæ dicantur. Quapropter inſtituta primum V. S. & eliminata primarum viarum ſaburra, juſcula mane per novem aut decem dies, haurientur diluentia & aperientia, ex pullis junioribus, vel agnina, vitulina, aut vervecina carne, cum radicibus cichorii, acetoſæ, fragariæ, aut graminis & rubiæ tinctorum, foliis variis, cichorii v. g. & pimpinellæ, vel

agrimoniæ ac fumariæ & duobus vel tribus cancris fluviatilibus. Post jusculorum usum, blanda iterabitur catharsis; ac dein per duodecim aut quindecim dies, succus taraxaconis, aut cichorii sylvestris, vel fumariæ, vel chærefolii, vel etiam nasturtii hortensis, ad unciam unam aut alteram, mane quotidie assumetur limpido confusus lactis sero, in quo species quædam carminativæ leviter ebullierint, cum millepedibus octo vel novem, ubi major hærentis liquidi tenacitas, graviorque est infarctus.

337. Si vero medicamentis hisce (336.) profligari recuset affectus, subsidiarias vires præbebit pulvis ex tartari vitriolati granis viginti quatuor, cinnabaris nativæ granis sex, radicis curcumæ granis quindecim, seminis anisi scrupulo uno, millepedum præparatorum granis duodecim, seminis cumini & nitri purificati ana granis decem compositus, & aliquot essentiæ chamæmeli guttis conspersus; quo mane sumpto, propinabitur insuper foliorum melissæ, florum millefolii & chamæmeli infusum. Erit autem utriusque usus circiter per decem aut duodecim dies; nec postea omittetur purgans, quo expediti liquidi portio, simul cum primarum viarum cœno elimi-

netur. Martialia tandem congruet usurpare, tartarum scilicet chalybeatum, aut pulverem cachecticum Hartmanni, aut crocum martis aperientem, aut ferri rubiginosi scobem, ut firmetur ulterius vasorum hepaticorum tonus, rectiusque eorumdem excutiatur obstructio.

338. Si in ductus alimentarii vasis redundet sanguis, propter cohibitum mensium fluxum; hunc omni molimine Medicus revocare nitatur; ad quem scopum assequendum, præmisso cathartico miti, mox laudata juscula (336.) diluentia ac resolventia, aut consimilia; semicupia dein, pediluvia, ac emmenagoga, ut crocus, borax, myrrha, sal ammoniacum carminativis juncta, necnon prudenti parcaque manu exhibita, tandemve tempestive, seu instante solito menstruorum tempore celebrata V. S. in pede, eximie prosunt. Circa curam hanc sic paucis & quasi compendiario adumbratam, plura certe notanda occurrerent, quæ tamen reticere consultius duximus, ne a proposito aberrantes, in alienam messem, falcem avidius mittere videamur.

339. Ad restituendum autem hæmorrhoidalem fluxum, cujus suppressio sanguinis congestioni in gastricis & intestina-

libus vasis, tam sœpe ansam præbet; in insessum emollientem & laxantem immittendus est podex, ibique aliquamdiu detinendus. Dein panno asperiori aut foliis ficus fortiter fricandus, vel hirudines aliquot admovendæ sunt, tandemque parce e talo mittendus sanguis. Nec placet aloetica exhibere quamvis in hoc casu laudata, ne scilicet particulis suis gummosis & resinosis, intestinorum interiora acrius vellicent & pungant, sicque malum exacerbent. Si vero nulla arte, hæmorrhoidalem fluxum provocare fas sit, aut senilis ætas menstruale profluvium cum fœcunditate abstulerit, utrumque supplebit opportune instituta sanguinis missio.

340. Dum Flatulentia a nimio sanguinis ad intestina confluentis æstu, intensiori halituosi humoris e vasis excretoriis erumpentis rarefactione, & aeris ex eodem evolutione (65.) præcipue infertur; medendi scopo satisfaciunt V. S. in principio celebrata; potio purgans lenis & antiphlogistica; refrigerantia acida, oleosa, nitrosa, emulsa, aliaque (a 261. ad 267.) descripta, sicut & juscula pullorum juniorum; serum lactis, balnea & clysmata mitia: quæ omnia sanguinis æstum compescunt, & aeris extri-

cationi ac expansioni nimiæ frena injiciunt. Hic ergo non vilipendenda methodus medici cujusdam Itali, qui Colicam ut & plures alios morbos, plerumque frigidis medicamemtis mire persanabat (*l*). Nec omittendus jam alibi (259. 265.) commendatus internus & externus (301. 302.) gelidæ usus, cum notatis ibidem cautelis.

341. In Flatulentia passionis hystericæ comite aut prole; cum uterque affectus spasmodicæ sit prosapiæ, omnes intendendi sunt nisus, ut effrenis & irregularis mitigetur generis nervei succussio, spasticæ laxentur stricturæ, & æquabili tenore tum liquidum nerveum ad singulas partes influat, tum per easdem circumducatur sanguis. Quapropter anodynis, paregoricis, narcoticis, carminativis copulanda sunt anti-hysterica, quæ postrema hac virtute gaudent (198.), & sulphure suo blando ac volatili, lacessitas partes leniunt & placant, simulque rigidis ac salinis quibusdam particulis, æquiparem ubique vasorum oscillationem, liquidorumve fluxum sollicitant; talia sunt crocus, castoreum, succinum, syrupus de arthemisia, syrupus de karabe, quæ superius præscriptæ opiatæ

(*l*) Paul. Æginet. apud Fienum de Flatib.

(331.) aut variis concinnatis (224.) potionibus, aliisque, haud sine fructu admiscentur. Hic etiam narcoticorum tutior erit usus; sic v. g. laudanum liquidum ad guttas viginti quatuor cum totidem guttis essentiæ carminativæ Wedelii, & tincturæ castorei guttis quindecim, eximium in paroxysmo hystherico-Flatulento, constituet medicamentum.

342. Mira præstabunt diluentia, nitrosa, sal sedativum Hombergii. Jusculum sequens, præmissa v. s. si id æstuans aut redundans sanguis expostularit, blandaque dein celebrata catharsi, mane sorbillatum per plures dies, egregie proderit.

Rec. seri lact. vaccin. aut caprill. album. ovor. clarific. cyath. iij. ranarum viij. aut x. quibus abscissus fuerit truncus, quæve pelle nudatæ ac probe elotæ sint, crura posteriora contusa & fracta. coq. per hor. j. & dimid. sub fin. coction. projice in vas florum nymph. & verbasc. ana pug. ij. flor. chamæm. & semin. anis. ana pug. j. col. & fortiter exprime. f. jusculum, in cujus primo cochleari solvantur succini flavi gr. xv. castor. gr. iv. nitr. purif. gr. viij. potest solius sedativi salis scrupulus addi.

343. Jure etiam laudantur ibi, carnis vitulinæ, pullorum juniorum, aut testudinum juscula, cum radice pœoniæ maris, lactuca, portulaca, cichorio, scorzonera, cœterisque lenientibus ac resolventibus herbis; serum lactis cum succo blande aperienti, taraxaconis puta, vel cichorii, vel borraginis, vel buglossi; leves aquæ minerales acidulæ nuncupatæ, vel oleosæ thermæ; dulcis aquæ balnea; tandemque lac asininum sumpto pulveris de Gutteta scrupulo superhaustum per plures menses.

344. Sedulo tamen ablegandà medicaminum farrago, & præcipue commendanda diversi generis oblectamenta, ut ambulatio, vectio, peregrinatio, equitatio, navigatio, suavia amicorum colloquia, lepida & festiva spectacula, quibus variæ ac jucundæ in animo excitantur ideæ, irregulares cerebri ac systematis nervei motiones, proteiformis hujus morbi parentes & comites placantur, & æquabilis restituitur humorum circumactio.

345. Peculiarem ibi hypochondriaco-Flatulenti mali therapeiam addere consentaneum videretur; verum id jam præstitum fuisse fatebitur, cui nota erit tanta quæ inter hypochondriacam & hysteri-

cam affectionem intercedit cognatio. Quæ igitur (a 341. ad 345.) enixe laudata fuere, demptis forte antihystericis quibusdam, ut croco, castoreo & arthemisia, hic etiam merito locum habebunt; quibus caute congruet addere, ea præsidia quæ legitimo coctionis successui famulantur, tum & quæ crassum ac viscidum sanguinem leniter exsoluere & consterere, sicque liberum & expeditum ejusdem per omne corpus, sed præsertim per abdominalia viscera ac venæ portæ propagines, commeatum tueri valent. vid. dicta (336. 337.). Nec omittenda tantopere ab omnibus, in hoc affectu, commendata levis exercitatio equitatione potissimum peracta, quæ cuncta vasa, at inprimis hypochondriaca blande concutit, eademque ab infarctu expedire nec non æquabilem solidorum ac fluidorum revocare motum tantopere apta (211. 212.).

346. Quæ autem jam satis prolixe (a 329. ad 346.) circa hujus Flatulentiæ generis medelam, adducta sunt, non tantum quotidiana fulcit observatio, sed & longæva firmat experientia. Si enim Galenum consulamus; postquam hypochondriacum Flatuosumque morbum a calore nimio potissimum deduxit, vulga-

ris suæ circa Flatus theoriæ quasi immemor, & varia hujus accidentia, ex Diocle narravit, hæc pauca de ejusdem cura benigne adjungit (*m*). *Interim monendi sunt mihi amici, qui me curantem viderunt, frequentibus balneis, victuque humido boni succi, nullo alio adhibito præsidio, hujusmodi me morbum curasse, ubi nondum ob longum temporis tractum, nocuus humor multum vacuationi resisteret...*

Quo in loco, haud dubie, de hac Flatulentia Galenus egit, quam huc usque curandam suscepimus, quamve medicaminum cohorte exasperari, congruo vero victus regimine (329.) leniri, tam sœpe docuit experientia. Nec sinit operis hujus angustia, alia innumera circa rem hanc, autorum testimonia addere.

347. Hic mirari subit, quod tanta medicamentorum supellex (a 317. ad 347.) Flatulentiæ (8.) contumaciam utplurimum frangere nequeat; notum est enim morbum a solidorum laxitate natum, legitime usurpatis tonicis & corroborantibus obsequi, & ab eorumdem constrictione ortum, perito laxantium usui, pro solito victam manum porrigere. Summa igitur in Flatulentiæ (8.) medicatione, difficultas, eamdem ab hac du-

(*m*) 3. de loc. affect. 19. D. Class. 4.

plici opposita simul tamen concurrente causa (100, 101. 102. 103.) persæpe manare, seu frequentissimam esse tertiam Flatulentiæ speciem (11.) subindicat.

Curatio tertiæ Flatulentiæ speciei.

348. Hic forte medicamentis abstinere satius esset, quam ea adhibere, cum huc usque fere semper frustranea fuisse, infelici experientia compertum sit. Cum tamen ibi partialis sedandus sit spasmus, unaque refovendus flaccidarum partium tonus; si quemdam auspicatum præstolari liceat effectum, hunc præ coeteris præstabunt medicamenta emollientia, anodyna, & antispastica tertiæ classis (196.), cum quartæ (197.) & quintæ (198.) classis remediis, solerti ac prudenti manu maritata. Huc ergo referenda sunt, quæcumque seorsim ad utriusque prioris Flatulentiæ (9. 10.) curationem observata fuere. Ita commiscenda utriusque auxilia; ut prædominanti causæ oppugnandæ præcipue colliment.

349. In ambigo casu, quoniam ad spasmodicam diathesim, fere semper magis vergit affectus, antispastica paulo majori dosi exhibere, quam tonica & corroborantia, jubent sanioris praxeos leges. Tunc leni clystere & purgante po-

tione præmissis, aut etiam nonnunquam, si necesse sit, antea misso sanguine; fausto cum successu, mane per novem aut decem dies hauriri poterit jusculum ex juniori pullo, cujus venter semine anisi, cumini & papaveris albi fuerit infarctus, aut cum vitulina carne, seminibus iisdem nodulo inclusis, duobus canoris fluviatilibus elotis & contusis, radicis pœoniæ maris drachma una, radicis enulæ campanæ drachma semisse, foliorum cichorii hortensis amari manipulo, florum millefolii & chamæmeli ana pugillo, paratum. Dein per quindecim aut viginti dies, matutinis horis, largus seri lactis epotabitur cyathus, in quo flores hypericonis, vel millefolii & meliloti, vel chamæmeli flores & folia melissæ, ad pugillum unum ebullierint, cuique succi menthæ depurati cochlear unum aut alterum cum saccharo addetur. Postea tandem, superius laudata (331.) opiata, non absque fructu usurpabitur, hausto insuper theiformi quodam carminativo infuso. Quandoque autem pro re nata, mitia quædam, inter hæc auxilia, juvabit interponere cathartica, quibus sine ulla turba, hoc in affectu tam sæpe genitæ, ob minus recte peractam coctionem sordes, expurgentur.

350. Urgente cruciatu, theriaca ad drachmam unam aut dimidiam tantum, cum ſucci limonum cochleari, & aliquot eſſentiæ aniſi, ac laudani liquidi guttis feliciter adhibebitur; non ſecus ac tabellarum carminativarum batei pondus idem, infuſo quodam leniente carminativo, adjectis aliquot ſpiritus nitri dulcis glauberiani guttis. Olei amygdalarum dulcium cochlear unum cum theriaca, quandoque ante paſtum, Flatulentis torminibus maximum affert levamen. Eſſentia carminativa Wedelii ad guttas viginti cum laudani liquidi guttis octo, in aqua anethi vel chamæmeli compoſita, mane & ſero per aliquot dies aſſumpta, egregium ad contumacem & diram hanc mixtæ Flatulentiæ ſpeciem ſedandam, conſtituit medicamentum.

351. Ad ejuſdem medelam, ſymbolum conferent aquæ dulcis ſemicupia vel balnea, tum lenes acidulæ aquæ, aut mites ſulphureæ thermæ. Nec penitus ex hujus morbi cura excludendæ ſunt thermales validiores, ut Borbonienſes, Bellilucanæ, Vicienſes, aliæque hujus generis, quæ maximum ibi præſtare poſſunt emolumentum, tum pituitoſam & ſordidam colluviem everrendo, tum toni æquabilitatem in univerſo alimentario ductu revocando (321.), ut nuperis annis ob-

ſervare contigit in puella quadam, quæ licet macilenta eſſet, & pathematis Flatulentis, æſtate præprimis torqueretur, nihilominus tamen hauſtis thermis Bellilucanis, ab iiſdem diu manſit immunis, cum antea pluribus præſcriptis medicamentis præfracte obſtitiſſent. In quo caſu, certe ſpaſmi & intermediæ cujuſdam laxitatis ſocietas veroſimiliter aderat.

352. Hic ſane maxima in medico requiritur ſagacitas ac prudentia, ut partium affectarum tonum nec nimium laxet nec morboſe intendat, ſed ab his exceſſibus ſapienter temperans, medium teneat iter, tandemque ita ſe gerat, ut ſi ipſi Flatulentiam abigere datum non ſit, eam ſaltem aliquamtulum leniat, aut incauta medicatione non exaſperet.

TYMPANITIS THERAPEIA.

353. Rectam & accuratam Tympanitem profligandi methodum, adhucdum inter artis deſiderata jacere, judicant ſimulque dolent peritiſſimi plures practici. Veterum monumenta ſi pervolvas, eorum præcepta, hac in parte, perdiſcere geſtiens; ab imbecillo calore, aggeſtoque pituitoſo humore, Flatuum geneſim confidenter eruentes, in caloris hujus inſtauratione, Flatuum diſcuſſione & at-

tenuatione, tandemque in pituitosi humoris præparatione, liquatione, & expulsione spem salutis ibi reponendam esse, unanimi ore docebunt, varia medicamenta multiplici huic scopo assequendo congrua, calida pleraque ac validiora præcipientes, morbumque his obsistentem, ut insanabilem habentes.

354. Hanc medendi rationem, pervulgatam licet ac antiquam, prorsus fallacem & infaustam esse, heu nimium! probavit eventus, quod non paucis observationibus firmabitur infra. Unde autores nonnulli, dum tritæ huic viæ inhærerent, Tympaniticorum ventrem non sic detumescere sed magis turgere experti, a calidiorum usu, in hoc morbo, dehortantur, communis cui adstipulantur de Flatuum ortu sententiæ quasi obliti. Sic Fienus curationem ab humoris concoctione, ejusque evacuatione auspicandam esse præcipit (n) *cavendo ne valentioribus medicamentis, mezereo, chamelæa* &c. . . *quod multi faciunt, imbecillum calorem ad internecionem ducas. Manifestum enim est*, pergit ille, *quanta vi pharmaca necdum diutino & gravi morbo afflictis, sed etiam robustioribus corpus con-*

(n) Comment. de Flat. de curat. Tympan. cap. 24. pag. 174. & 175.

cutiant, quam molestas torsiones inferant, vires prosternant ac spiritus resolvant, &c. Nihilominus tamen, in curando Tympanite, calida tantum medicamina, carminantia inprimis potenter discutientia adhibet oculatus hic autor: verum quasi ipsum pœniteret talia præscripsisse, quæ sœpe damnosa noverat, prudentiæ & moderationis legibus horum circumscipsit usum, rectiora non habens quæ impertiret, sicque locutus est (*o*) *verum quod alias admonui, iterum repeto, moderate hisce utendum esse, alioqui graviter offendunt.* Et id exemplo perspicuum reddit ac illustrat, quod quidem infra ex ipso deprompum narrabimus. Willisius autem candide fatetur, carminativis vulgo dictis, quacumque possibili ratione adhibitis, morbum hunc plerumque obsurdescere; *unde*, addit ille (*p*), *plurimum suspicari fas est, veram hujus morbi causam adhuc latere, quia medicamenta per ætiologiam ejus ordinariam indicata aut suggesta minime prosunt.* Ludovicus tandem Mercatus, minus felicem haud dubie calidorum usum expertus in hoc morbo, si opem ferre non videantur hu-

(*o*) Ibid. pag. 178.
(*p*) Pharmaceut. Ration. part. 2. de curat. Tympan.

jusmodi præsidia, ad frigida transeundum esse monet.

355. Inde (354.) profecto manifeste arguitur, quam parum fida ac secura sit a veteribus tradita Tympanitis therapeia; hac tamen nonnunquam, licet raro, morbum hunc devictum fuisse perhibent observationes inferius recensendæ. Quapropter, eamdem penitus & in perpetuum explodere nefas. Priusquam vero alteri inquirendæ incumbamus, nos hic de intestinali Tympanite ut pote frequentiori curando, statim sollicitos esse monemus.

TYMPANITIS INTESTINALIS CURATIO.

356. Verum quo pacto ab hoc trito & erroneo tramite (353.) deflectere, necnon expeditiorem tutioremve ad affectum hunc depellendum aut saltem mitigandum, viam detegere ac inire fas erit? In perscrutanda, & quantum penes nos fuit, recludenda abdita ipsius indole, multum profuit, ea omnia quæ accurata obtulit historia, singulatim ac sedulo expendere (109.), & quod exinde vel sponte vel subacto ratiocinio deducebatur, peculiariter connotare. Forte & pari felicitate, ad optatam medendi normam,

haud fallax parabitur iter, si singula quæ circa Tympanitis ætiologiam, ex diligenti hujus descriptione eruta ac stabilita fuere, (a 109. ad 118.) examussim trutinentur, & quidquid unumquodque ad morbi expulsionem peragendum suadeat, sollicite advertatur.

Indicationes.

357. Primum igitur violenta hæc & constans restrictorum Flatuum expansio, molem abdominis adeo portentose distendens & attollens, ad eorum usum maxime hortatur, quæ aeri coercendo ac frenando, ipsiusque rarescentiæ cohibendæ apta, qualia sunt inprimis aquea lenia, diluentia & refrigerantia oleosæ acidæque familiæ, & alia quæ potissimum in secunda classe (195.) enumerata fuere. Ingens illa Flatuum expansio, hæc insuper adhiberi vetat, quæ calida ac vehementiora tubi alimentarii interiora acriori morsu lacessunt, contentam ibidem materiem plus æquo movent, æstum intendunt, turbas cient, sicque aerem uberius evolvunt, & ipsius elastico molimini novas addunt vires. Hinc ergo generatim proscribenda cathartica, validiora præsertim & mochlica, mere aromatica, acria, stomachica, tum & carminativa potentius discutientia.

358. Secundo ſpaſmodica hæc ventriculi & inteſtinorum ſtrictura, qua Flatus in hoc morbo, pertinaciter reſtringi & ab exitu arceri evicimus (111.), laxantium, emollientium, lenientium, narcoticorum, & antiſpaſmodicorum efflagitat exhibitionem, quibus occluſa via reſerari, & negatus antea exitus Flatibus comparari poſſit. Contrariorum lege, eadem conſtrictio purgantium, emeticorum, acrium & irritantium quorumcumque diſſuadet uſum, ut pote quibus haud dubie ingraveſceret, & ad lethiferam inflammationem, aut miſerandum ileum forte panderetur iter.

359. Tertio arida, exſucca, hectica fiſtulæ alimentariæ intemperies, Tympanitem fovens (112.), uberrimum expoſcit aqueorum diluentium, & emollientium, tum & oleoſorum uſum, metuitque que ab acri quocumque exaſperari.

360. Quarto fervens in Tympanite calor (111. 112.), quidquid æſtum hunc compeſcere, ac refrigerium afferre aptum, id omne adhibendum eſſe ſuadet; quod vero movendo calori, noviſque calcaribus, intendendo aeris elaſtico niſui idoneum, id procul amovendum eſſe innuit.

361. Quinto immanis & conſtans abdominis turgeſcentia, quarumdam alimentarii ductus partium tonum ab aeris elatere fractum ac pene ſubverſum arguens, eumdem refovendum, ac ſi fas ſit, reſtituendum eſſe indicat. Cum autem nonniſi tonicorum, ſubadſtringentium, aliorumve hujuſmodi leviter ſaltem ſtimulantium ope, id præſtari poſſit; cœteris jam explanatis indicationibus (a 357. ad 361.) hæc repugnare videbitur, quod quidem non inficiandum; & inde elucet cur morbum hunc profligare tam arduum ſit.

362. Verum præſentem ſcopum (361) quadamtenus aſſequi licebit, ſi blandioribus medicamentis quorum uſus tot indicantium concurſu præcipitur, prudenti doctaque manu jungantur leniora tonica (197.), & quintæ claſſis carminativa (198.), quæ vi aerem frenante & inſuper anodyna pollent.

363. Plerumque prioribus indicationibus (a 357. ad 361.) ceu numeroſioribus & magis urgentibus parendum, inprimis ſi recens ſit malum; tunc enim qui clauſtra coercentia laxando, Flatibus exitum parat, partium intermediarum contractilem niſum, vi tantum ſuperiori devictum, non vero prorſus everſum,

causa distendente sublata, brevi revocat. Ubi vero, jam confirmato affectu, ob distensionis diuturnitatem, magis dejectus est ille tonus & fere destructus; hunc eadem ratione erigere promptum non est; tuncque paulo majorem ex parte medentis attentionem meretur hic mox exposita (361.) indicatio: semper tamen quæ prius enarratæ (a 357. ad 361.) ut potiores ac palmariæ spectandæ sunt, nisi talis occurrat Tympanites qui doloris, cruciatuum, sitis, caloris, aliorumque hujusmodi symptomatum expers, suum a sola laxitate ortum, extra dubium omne ponat. Hujus exemplum nec vidisse nec perlegisse memini, ut jam notatum est (117.).

364. Sexto ita nonnullis in locis immaniter expandi, & in aliis arctari nequit alimentarius canalis (109. 5°.); quin ingestorum comminutio, hujus contractili motu potissimum peragenda lædatur; eademque diutius ibi tum hac ratione, tum ob alvi adstrictionem remorentur, proindeque putrescant, aut alia prava ratione immutentur. Inde pronatæ sordes sui expulsionem & idcirco catharsim expostulant. En iterum indicatio quatuor prioribus (a 357. ad 361.) adversa, novam in medendo difficultatem pariens, cui-

que audacter obsequi prohibet conditionis ad purgationem legitime instituendam requisitæ defectus. Exigit enim sana praxis, priusquam exhibeatur purgans, fluxile reddi corpus, & præcipue sufficienter patulas esse vias. Præmaturus ergo catharticorum usus, in hoc morbo culpandus, in quo spasmis angustata intestinalis via, sicca, simulque præduris scybalis infarcta. Hæc ergo lex esto; non purgandum ibi, nisi prius diluta ac emollita eliminanda materie, satisque patefacto peragrando intestinorum itinere; nec unquam id præstandum esse, nisi benignioribus catharticis lenium oleorum imo & quandoque narcoticorum accessu mitigatis; tandemque clysmatum usum, ad alvum movendam, hic sœpe internæ purgantium exhibitioni anteponendum esse. Interim tamen in confirmato Tympanite, incassum adhibitis congruis auxiliis, alimentario ductu sordibus prægravato, spasmis prævalente atonia, paulo validiora usurpare licebit cathartica; haud neglecta tamen sufficienti dilutione, subjunctove anodyno: possuntque nonnunquam illa, vehementiorem promovendo succussionem, æquiparem amissum restituere tonum, simulque primas vias abstergere, ac Flatus una cum sordida saburra educere.

365. Septimo Flatuosus aer gastricas & intestinales tunicas magnopere premens, sanguiductus arctat utrobique; tum ventriculus & intestina turgida, vicina viscera comprimunt, eorumdemque vasa angustant. Inde quadamtenus præpeditus liber sanguinis commeatus, V. S. in Tympanite celebrandam esse docet, quam quidem iterare operæ pretium erit, si recens affectus, si juvenilis floridaque fuerit ætas, si plenus validusque pulsus, si plethorica ac sanguinea temperies, si febris accesserit, si tandem vel redundans sanguis vel velociori impetu raptus morbum præcipue intulerit. Hæc vero quandoque omittenda erit S. M. in jam provecto nimis affectu, vel ubi signa mox expositis contraria occurrent.

366. Octavo glandulas mesenterii aridas, his interceptum chyli iter, aliaque viscera obstructa, persœpe in Tympaniticorum cadaveribus, exhibuit autopsia anatomica (109. 50. 113.); quæ morbi causæ, vel potius effectus, ad lenia aperientia ac resolventia, sed præsertim diluentia usurpanda impellunt. Cui indicationi cœteris potioribus (a 357. ad 361.) non adversæ, prudenter auscultare nil vetat.

367. Nono maximam inter choleram

siccam

ſiccam & Tympanitem intercedere affinitatem, plurimi fatentur Autores, nullus tamen Profeſſore Avenionenſi jam ſœpe citato rectius evicit. Cum ergo ad choleræ ſiccæ curationem, vomitum prohibeat Hippocrates, & oleoſa ac pinguia clyſmata, aquæ dulcis balneum, olei perfuſionem, internum ejuſdem uſum, lac aſininum, ſomnum, quietem, & abſtinentiam imperet; mitem hanc & prudentem methodum (312.) in Tympanite pertractando amplecti, novo rationis pondere urgemur: & mirum videtur eamdem a veteribus, alteri jam culpatæ ac ſœpe damnoſæ (353. 354.) non præpoſitam fuiſſe.

Peculiaris medendi ratio, in Inteſtinali Tympanite cum Æſtu Spaſmoque prævalente.

368. Jam ſufficienter forteque fuſius, varios indigitavimus fontes, e quibus, in Tympanitis cura, hauriri queunt indicationes (a 357. ad 368.). His vero ſic prænotatis, & principiorum ac canonum inſtar ſtabilitis, peculiarem medendi proceſſum exarare, varias auxiliorum formulas concinnare, hæc adhibendi ordinem ſpecialiter definire muneris eſt noſtri,

369. Primum igitur recentem supponimus Tympanitem solitis prodromis (19.) prænuntiatum, ac genuinis stipatum symptomatis, (20.) cruciatu scilicet, alvi siccitate, æstu, aliisque hujusmodi; & in quo spasmodica strictura manifestum habet prædominium. Tunc statim alvum mollire & laxare, sicque coercitis Flatibus exitum pandere Medicus annitetur, in hunc finem, pinguia, oleosa, emollientia clysmata sœpissime infundi jubens. Sequens ergo injicietur.

Rec. fol. malv. branc. urs. & summit. melil. ana manip. j. rad. alth. contus. unc. j. semin. lin. flor. chamæm. & verbasc. ana pug. ij. coq. in s. q. aq. f. ad libr. j. in colatur. dissolv. butyri recent. mell. mercurial. & olei amygd. dulc. ana unc. j. & semiss. f. clyst. statim injiciendus.

370. Parantur etiam enemata ex florum malvæ & seminis lini decocto, ex sero lactis, ex emulsionibus, brodio omasiorum, solo leni olivæ, aut lini, aut amygdalino oleo. His addi possunt butyrum, mel, oleum chamæmelinum & liliorum, pinguedines variæ, sebum, sperma ceti, nitrum, sal prunellæ, ovo-

rum vitelli, aliaque innumera. Nec licet acria & cathartica jungere, quibus haud dubie intenderetur ſpaſmodica inteſtinorum conſtrictio. Hujuſmodi clyſteres, mane & ſero, aut ſaltem ſemel in die primis morbi temporibus infundere juvabit.

371. Poſt primum ſerotinis horis injectum enema, poſtridie venam cubiti mane tundere par erit, quo phlogoſis a ſanguiductuum arctatione imminens (365.) præcaveatur, tunicisque inteſtinalibus, dempto ſanguine, major concilietur laxitas. Si juvenis ac plethoricus fuerit æger, ſi ab uberiori aut vehementius moto ſanguine morbum ſoboleſcere compertum ſit, aut quidquam inflammatorii, vel ſit in procinctu vel adſit; bis, ter, aut pluries adhuc S. M. iterare fas erit. Elapſa poſt hanc celebratam hora, leniens & emolliens infundetur clyſma.

372. Primis hiſce diebus, aquam pulli junioris, aut aquam expreſſo limonum ſucco imbutam, aut cui ſpiritus ſulphuris ad gratum acorem fuerit inſtillatus, hauriet æger. An acidus vel alterius generis debeat eſſe potus ille ordinarius, diligenter inquiſita primarum viarum conditio indicabit.

373. Mane julepus iſte refrigerans &

egregie carminativus propinabitur.

Rec. aq. lilior. unc. iij aq. fœnic. unc. j. spirit. nitr. dulc. gutt. viij. syrup. de nymph. unc. j. f. julep.

Huic amygdalini olei uncia, haud frustra adjungetur. Poterit idem, addito ad unciam dimidiam papaveris albi syrupo, hora somni exhiberi, vel hujus loco superius concinnata emulsio (262).

374. Sic per tres, quatuor, aut quinque dies, materia primis viis conclusa mitigata, & fluxili ac meabili reddita; necnon eadem fidelia, prudenter emollita & laxata intestinali via; tandemque quadamtenus refrenata Flatuum ferocia; blandum purgans, sequenti ratione, tutius usurpabitur.

Rec. tamarind. ping. unc. j. & semiss. cryſtall. miner. drachm. ij. flor. malv. verbasc. melilot. ana pug. ij. semin. anis. contus. pug. j. coq. leviter in seri lact. unc. xij. cola & exprime: in colatur. & express. dissolv. mann. calabr. unc. iv. add. syrup. de cichor. compos. unc. j. & dimid. olei amygdal. dulc. unc. ij.

misc. f. pot. pro dupl. dos. dato bihorii intervallo, inter utramque.

Manna cum oleo amygdalarum dulcium; in aqua vel jusculo pulli junioris, sufficienti copia soluta, congruum adhuc catharticum esset.

375. Ibi etiam, si catharsim instituendi necessitas urgeret, redundante in primis viis saburra, simulque ob spasmum intestina arctantem, medicaminis usum, vel frustraneum, vel exitiosum fore metueretur; aliquot ante ejus exhibitionem horis, haustu quodam narcotico oleoso, v. g. oleo amygdalarum dulcium cum laudano liquido, viam laxare; ejusdemque obtundere sensum, aut purganti ipsimet anodynum opiatum scite confundere fas esset, ut supra in Colica Flatulenta fieri posse notavimus (238); tum autem paulo efficaciora possunt usurpari cathartica. Plerumque eadem iterare non expedit, & quacumque ratione concessa fuerint, semper eadem die, sub vesperam, inducta ab iisdem irritatio hypnotico placando.

376. Sic primarum viarum eliminatis sordibus, coercendæ Flatuum rarefactioni, spasmodicæ constrictioni mitigandæ, sanguinique diluendo, diligentius

invigilabit Medicus, cavebitque simul, ne partium Flatu turgidarum tonum infringat. Mane igitur per decem dies, sequentis opiatæ dosim vorandam præbebit.

Rec. conserv. kynorrhod. & rob ribesior. ana drachm. ij. theriac. veter. & semin. viol. ana drachm. j. & semiss. flor. chamæm. semin. fœnic. & ligustic. ana drachm. j. nitr. purif. & radic. zedoar. ana scrup. ij. laud. opiat. gr. ij. pulverand. pulverent. & incorporent. omnia in s. q. syrup. de limonib. add. essent. anis. gutt. x. f. opiat. pro x. dosib.

Sumpta opiatæ dosi, sorbillabitur juscu-lum istud.

Rec. pull. junior. pelle nudat. & evisceratum, cujus venter infarciatur contus. semin. quatuor frig. major. tum & semin. anis. parca copia. coq. per ij. hor. in s. q. aq. fluviat. aut pluvial. bulliant. dein per hor. j. radic. scorzoner. & alth. contus. ana unc. j. quatuor aut quinque ranarum fluviatil. coxæ pelle exutæ, elotæ, & in frustula discissæ; sub

coction. fin. projice folior. portulac. & lactuc. ana manip. j. flor. verbasc. & malv. ana pug. j. flor. chamæm. pug. semiss. cola & exprime. f. jusculum.

377. Quo tempore jusculum & opiata (376.) usurpantur, sequens paregoricum carminativum, serotinis horis hauriet æger.

Rec. aq. fœnic. unc. iij. spirit. nitr. dulc. gutt. vj. laud. liquid. gutt. xv. essent. carminat. Wedel. gutt. xij. f. haustus.

Huic oleum amygdalarum dulcium nonnunquam jungi potest. Interim aqua succo limonum, vel spiritu sulphuris acidula reddita, vel infusum florum nympheæ & seminum anisi, in quo nitrum vel sal prunellæ, ad drachmam unam solutum fuerit, potus erit ordinarius; mitesque & oleosi clysteres sæpissime infundentur.

378. Transacto jusculorum & opiatæ (376.) usu, iterum miti cathartico alvus subduci poterit, si tamen id evidenter congruum videatur, ita docente primarum viarum conditione; alias consulto omittetur purgans, cujus enematum

injectio frequens vices supplebit.

379. Si selectis hisce aptissimisque subsidiis (a 368. ad 379.) adhucdum reluctetur Tympanites, nec tamen ingravescat, aut si etiam aliquantulum mitescat; alia consimili prædita virtute, in usum vocare consentaneum erit. Sic mane in lecto decumbens Tympaniticus pilularum de cynoglosso grana duo, succini flavi, & nitri depurati ana grana decem, oculorum cancrorum fluviatilium præparatorum grana quindecim, croci orientalis grana quatuor, omnia cum sufficienti quantitate syrupi nympheæ, in opiatæ formam redacta, & aliquot essentiæ carminativæ Wedelii guttulis consperſa ingeret; ac paulo post largum pellucidi seri lactis caprilli aut vaccini cyathum hauriet, in quo florum chamæmeli pugillus dimidius, florum verbasci & millefolii ana pugillus unus leviter ebullierint. Vespere laudani liquidi & mixturæ simplicis de tribus ana guttæ quindecim aut viginti, aqua naphæ aut fœniculi, aut chamæmeli simplici dilutæ, somnum, & in eo mali lenimen quærenti ægro propinabuntur. Triplicis hujusce auxilii usui, per duodecim aut quindecim dies, inhærere congruet.

380. Interim si, quo tempore varia

hæc

hæc adhibentur medicamina, horum efficacia laxentur ſpaſmi, inteſtinales viæ reſerentur, Flatuſque per anum uberrime erumpant; tunc naturæ a morbo ſeſe expedire nitenti, manum auxiliatricem Medicus præbebit, & fauſtæ huic Flatuum exploſioni totis viribus favebit, clyſmata emollientia, oleoſa, ac paulo magis carminativa infundens, quibus aperta teneatur alvus, tum & tutiora intus exhibens carminativa, v. g. eſſentiam carminativam Wedelii, mixturam ſimplicem de tribus, ſpiritum carminativum Sylvii, aquam chamæmeli compoſitam, aliaque bene multa, quorum vi paulo auctiori reddito ventriculi & inteſtinorum niſu contractili, Flatus ad inferiora urgebuntur, & qua data porta proſilient. Tuncque haud fruſtraneum erit ventrem leniter comprimere, ſicque tubi alimentarii fulcire robur (303.).

381. Si cuncta hæc (380.) feliciter cedant, tantaque fiat Flatuum eruptio, qua detumeſcat venter; fractum ventriculi & inteſtinorum tonum, aliquamdiu adhuc uſurpatis carminativis refovere, tum & blando cathartico mineram Flatulentam, aliaſque primarum viarum ſordes expurgare juvabit.

382. Si ſuperius præſcripta (379.)

medicamina, seu lactis serum, opiata; & haustus carminativus ac paregoricus, adeo felicem non sortiantur effectum (380.), nec tamen noceant, aut morbum potius leniant quam exasperent; leni purgante, si necesse sit, cum laudatis cautelis exhibito, ad alia quæ haud dissimili efficacia polleant, confugere licebit. Num lac ipsum asininum Tympaniticis exhibere par erit? Id suadere videtur Hippocrates, hujus lactis usum, cœteris non conferentibus, in pertinaci cholera sicca præscribens (312), quacum tantam analogiam, ut jam notatum est (367.), morbus iste fovet. Equidem lac asininum hic maximam opem ferre debet, si nativam ipsius indolem ac vires expendamus; cum enim aqueum sit, tenuissimum, insigniter demulcens, ac penetrans, contenta primis viis acriora diluet, obtundet, inertia reddet; ferociores Flatus reprimet ac mitigabit; alimentarium canalem emolliet, laxabit, sicque hecticam ejusdem profligabit intemperiem; tandemve hac multiplici ratione, Flatuum expulsionem promovere poterit. Adde quod diluendo ac leniendo sanguini nullum forte aptius suppetat auxilium.

383. Verum, quod hic reticere ne-

ſas, merito metuendum, ne lac aſininum per inæqualiter arctatam & expanſam fiſtulam libere tranſmitti nequeat, & nonnullis in locis, diutius commorari coactum rareſcat, & infletur novos progenerans Flatus, aut aceſcat & fermentetur, aut tandem putridis, acribus, & alcalinæ indoli proximis ſuccis confuſum ac conſpurcatum, putredinem concipiat. Unde non immerito pronunciavit Hippocrates (q), *quibus præcordia elevata ac permurmurantia, lac non eſſe exhibendum.*

384. Ut hæc damna (383.) præcaveantur, de aſinino lacte Tympaniticis concedendo nunquam cogitabit Medicus, niſi primum ea in uſum vocata fuerint auxilia, quæ contentam materiem, jam quadamtenus mitigarunt, & tubi ſtricturam aliquantulum correxere, ſicque morbi vim & impetum ſaltem leviter fregere; nec tunc propinabitur lac iſtud, niſi clyſterum, vel etiam mitiorum purgantium uſu recens expurgata fuerit alvus, & cum illo talia conſocientur medicamenta, quæ tum ſpaſmis ſedandis, tum partium Flatu turgidarum tono refocillando paria.

385. His ita prælibatis (284.), lac aſininum recenter ab ubere emulctum &

(q) Aphor. 64. ſection. 5.

adhuc calidum, soluta modica sacchari regii quantitate grate dulcescens, parca statim, deinde vero paulo majori copia, mane hauriendum præbebitur in lecto jacenti ægro, qui prius pulveris de gutteta scrupulum unum, corallorum rubrorum præparatorum grana quindecim, & cathecu grana decem, uno aut altero aquæ fœniculi cochleari, cum laudani liquidi guttis sex diluta sumpserit. Quod si post aliquot dies lac asininum prodesse videatur, idem somnum petenti Tympanitico exhibere congruet, dato prius haustu ex laudani liquidi & essentiæ carminativæ Wedelii modica dosi, cum sufficienti quantitate aquæ chamæmeli simplicis.

386. Num ibi fas esset levibus sulphureis thermis, lac asininum confundere? Huic associationi nihil repugnat; plura vero consentiunt, tum cognita ac sæpe laudata harumce thermalium aquarum, ad cohibendos Flatus, & ad spasmum leniendum efficacia (195.); tum dilutio major, quam in asinino lacte præstant affusæ; tum impedita modico sale neutro vel alcalino miti, levique terreo absorbente principio, quæ thermæ devehunt, lactis coagulatio aut acescentia; tum expeditior propter hanc miscelam, lactis asinini trajectus; tum denique

virtutis utrique commixto medicamini intactæ inhærentis, in eumdem medendi ſcopum conſpiratio. Verum hic advertendum, non majori quam par eſt copia, lacti aſinino affundendas eſſe thermales aquas; ne ſic intenderetur ventris turgeſcentia. Hæc autem thermarum cum lacte permixtio, opiatæ & hauſtus paregorici (385.) exhibitioni non obſtat. Interim ſemper clyſterum uſu, hic requiſitæ alvi laxitati proſpiciendum, necnon idemtidem prudenter adhibitis lenioribus catharticis, manna, ſyrupo florum perſicorum, ſyrupo cichorii compoſito cum rheo, aliiſque paulo magis alvum ſollicitare congruet. Quamdiu vero ſic uſurpato aſinino lacte (385.) & 386.) miteſcere videbitur affectus, tamdiu in ipſius uſu pergere conſentaneum erit. Si autem diu ſatis exhibiti hujus auxilii vim eludat, ab eo abſtinere ſatius erit, & non ſecus ac in aliis morbis, hic utilis eſſe poterit remediorum mutatio. Aliud tamen ac diverſum non eligendum eſt medicationis genus, *omnia enim*, ut Hippocrates ait, *ſecundum rationem agenti, ſi ſecundum rationem non cedant, ad aliud non eſt tranſeundum.* Quapropter diligenter inquirendum, an alia præſto ſint auxilia, jam commendabis virtute affinia.

387. Ab Hartmanno (*r*) ut præstantissimum & quasi specificum in Tympanite simplici, medicamentum laudatur liquor florum tapsi barbati seu verbasci hac peculiari methodo paratus

Rec. flor. verbasc. dum sol leonem ingreditur, collector. quant. vis: recentes in matrac. immittantur, iisque illud impleatur, comprimendo quantum fieri potest. Claudatur vitri orific. cum vesica madida quadruplic. circumdetur matrac. pasta ad crassitiem quatuor digitorum, & imponatur in furno, cum panibus, sed super asserem, ne frangatur matracium. Sinatur ibi, tanto tempore quanto coquuntur panes, imo longiori potius quam breviori. Tum extrahatur matrac. e furno, eoque aperto materiam contentam exprime: & habebis flores in aquam rubram & pinguem conversos, quos distilla per alembicum vitreum, in balneo mariæ, quia alias non conservaretur hæc aqua, sed rancida fieret.

Hujus liquoris scrupulus unus, aliquoties & quotidie sumptus, juxta Hartmannum, ventositates mire expellit. Haud

(*r*) Prax. Chimiatric. pag. 273.

immerito remedium iſtud, ut ſuccedere poſſit, majori copia exhibendum eſſe advertit Williſius (s), & Carolus Delafont (t) congruam doſim deſignat, ad uncias duas aut tres, ſingulis diebus, mane ſumendum eſſe præcipiens.

388. Hanc aquam (387.) licet a me inexpertam, ut ſelectam & optimam habendam eſſe cenſeo. Illa enim parandi ratione, blandæ oleoſæ ſubtiliores, & ſalinæ volatiles particulæ in floribus verbaſci deliteſcentes, ignis vi extricantur, & cum aqueis ac mucilaginoſis, in unum & eumdem liquorem abeunt, qui eximia virtute anodyna & antiſpaſmodica pollere debet. Feliciorem præſtabit effectum, inquit Hartmannus, ſi ſimul foveatur venter hoc modo.

Rec. urin. puer. mund. libr. iv. lapid. prunell. unc. iij. bulliant invicem ad ignem lentum, uſque ad caſum tertiæ partis urinæ. Calide foveatur venter intinctis petiis, facta inſuper forti frictione cum manu.

389. Feliciſſimus practicus & Pharmaceuticæ rei ſumme peritus Georgius

(s) Pharmaceut. Ration. part. 2. Tympan. curat. pag. 153.
(t) Diſſert. de Hydr. Tympan. pag. 249.

Bateus, tanquam efficacissimum in curando Tympanite remedium, merito prædicat aquam cerasorum compositam, quæ sic ab ipso describitur (*u*).

Rec. cerasor. nigr. cum nucl. optime contus. libr. x. lact. recent. vacc. rubr. cong. ij. folior. violar. rubi, prunell. caprifol. ana manip. iv. destill. secund. art. dos. libr. semiss. bis in die.

Ideo tantopere proficuum arbitror id medicaminis genus, quia lacte, viola, necnon pulposis & acidis cerasorum particulis constrictæ partes leniuntur, acrior & expansus aer cogitur; dum interim rigidis & austeris nucleorum sicut & rubi, prunellæ ac caprifolii moleculis, leniter proritatur intestinorum contractio.

390. Carolus Delafont post infusum unum aut alterum leniens & carminativum enema, sanguinemve e brachio missum, Tympanitico sexta quaque hora, uncias sex hauriendas præbet julepi sic parati

Rec. aq. hord. libr. iij. rosar. rubr. unc. j. spirit. vitriol. vel sulphur. q. s. ad grat. aciditat. in-

(*u*) Pharmacop. Batean. pag. 6.

fund. per hor. vj. in balneo aquæ dulc. donec tinctura rosar. sit extracta. Colatur. add. syrup. de nymph. unc. iij. misc. f. julep.

Hanc etiam præscribit emulsionem

Rec. amygd. dulc. excortic. unc. j. semin. melon. cucum. papav. alb. ana drach. ij. cum decoct. hord. f. emuls. ad libr. j. in colatur. dissolv. syrup. de papav. rubr. unc. ij. sal. prunell. drachm. j. pro duab. dosib. mane & sero, imo & aliis temporibus, ad libitum sumendis, & quamdiu visum fuerit, iterandis.

Sequentem addit julepum pro duabus dosibus.

Rec. aq. cichor. & portulac. ana unc. iv. syrup. violac. syrup. de papav. rubr. una unc. j. spirit. nitr. dulc. gutt. vj. m. f. julep.

At si blandis hisce præsidiis nullomodo cedat affectus, remedia opiata, ceu humorum effervescentiæ sedandæ & Flatuum generationi inhibendæ aptissima, reliquis permiscere jubet, sub his formulis.

Rec. aq. lactuc. nymph. ana unc.

iij. syrup. de papav. alb. unc. j. sal. prunell. drachm. j. misc. capiat æger cochlear. iij. vel iv. sæpius in die.

Vel

Rec. aq. borrag. & portulac. ana unc. iij. syrup. de papav. rubr. unc. j. m. cap. æger cochl. j. bis aut ter in die.

Ptisannam tandem ex crystallo minerali paratam pro potu ordinario, & lactis asinini usum, per quindecim, viginti aut triginta dies, commendat laudatus Autor.

391. Innumera alia ex aqueis, oleosis, acidis, salibus & spiritibus volatilibus, anodynis, narcoticis, tonicis, & stomachicis levibus, tum & carminativis secundæ (195.), tertiæ (196.), & quintæ (198.) classis, concinnare fas esset medicaminum compositorum genera; quæ brevitatis ergo reticemus, quæve pro lubitu quispiam materiæ medicæ simulque morbi naturæ peritus, fingere poterit. Interim tamen, si mitioribus hisce adminiculis (a 368. ad 391.) diversimode aptatis, Tympanitis contumaciam frangere, Medicus diu & incassum nisus fuerit; jamque provectior affectus, expansi intestinalis tubi nimiam, nec proposita metho-

do tollendam atoniam arguat; unave cruciatus & æstus remiserint: aliam inire licebit medendi viam, & ea tentare auxilia, quæ valentiora ac fortiora, inferius proponere magis congruum erit.

ExternaRemedia in Genuino & Intestinali Tympanite.

392. Hactenus interna exposuimus medicamenta (a 368. ad 392.), quæ ad incipientem, & a spasmo prædominante ortum Tympanitem feliciter oppugnandum efficaciora colligere licuit, & ne abrumperetur orationis filum, aut susceptus inverteretur ordo, altum de præsidiis externis, si Hartmanni fotus excipiatur, servatum fuit silentium. Hæc tamen cœteris consociare, & idcirco de his breviter disserere expedit.

393. Primum igitur jam superius commendata lenissima fomenta (283.), linimenta (285.), cataplasmata (284.), emplastra (286.), sacculos (287.), nascente affectu, tugido ventri calide admovere præstabit. Hæc enim totum abdomen perfundere, contenta viscera mollire, prædominantem spasmodicam stricturam laxare, tandemque Flatuosam turgescentiam mitigare paria erunt.

394. Anne semicupia usurpare aut ab-

legare congruit? Dubium ſic ſolvi poſſe videtur. Si pertinax alvi adſtrictio, ructus, borborygmi, lumbaris & umbilicalis regionis cruciatus, Tympanitem proxime inſtantem prænuntient; vel ſi cum his perſtantibus ſignis, ſenſim turgeſcere & elaſtice reniti incipiens abdomen, morbi hujus ortum certo doceat; in utroque caſu, ſemicupium adhibere fas erit, quo totus venter imus prolui, æſtus in eo fervens placari, ſpaſmuſque inteſtina arctans & Flatus reſtringens leniri poterunt. Unde ſic quandoque vel imminens præcavebitur, vel in ovo jugulabitur affectus. Parabitur autem ſemicupium ex tepente aqua, cui plantæ emollientes & carminativæ leviter incoxerint (288.), & in eo circiter per horam unam verſari debet æger. Semicupium iſtud vel mane, vel hora quarta pomeridiana, per novem dies, adhibebitur, cum interim reliqua præſcripta remedia interna vocabuntur in uſum.

395. Si vero jam diuturnus ac confirmatus fuerit affectus; ſi maxima ſit ventris turgeſcentia; ſi torminibus ac cruciatu careat æger; tandemque ſi immaniter dilatati ductus alimentarii prævalentem debilitatem omnia perhibeant: damnandus eſt ſemicupii uſus, qui tum abdo-

minalium integumentorum, tum ventriculi & inteſtinorum tonum magis adhuc frangens, vehementiori Flatuum expanſioni, ac proinde majori abdominis intumeſcentiæ anſam præberet.

396. In hoc convulſivi morbi genere tum recenti, tum adulto, abdominis peripheriam arcte ſatis premere ac ligare, operæ pretium erit. Ubi enim recens eſt, hoc artificio compreſſus undique ac fultus alimentarius canalis, congeſtum Flatum hujus parietes nonnullis in locis extrorſum agere nitentem efficacius reprimit, & æquabiliter urget; unde neceſſe eſt ſpaſmodica clauſtra quadamtenus reſerari, ſicque morbi incrementum arceri. Nec iſtud practici mirabuntur, quos experientia docuit ſœviſſima nonnunquam hyſterica ſymptomata, convulſivam præcipue ac Flatuoſam abdominis turgeſcentiam, non alia ratione felicius mitigari ac ſiſti poſſe, quam graviſſimi incumbentis ponderis preſſura, vel etiam ſatis ſtricta partium affectarum faſciatione. Dum vero jam firmatus eſt morbus, & diuturnior quibuſdam in partibus fiſtulæ inteſtinalis diſtractio, ipſius detrivit vires; externa accedens abdominis preſſio, tum integumentis ac muſculis, tum ventriculo & inteſtinis novum addet robur ac ful-

crum, quo juvante rarescentem ac contranitentem aera validius repellent; sicque praecavebitur ulterior expansio, & quae jam praesens notabiliter deprimetur, aut etiam restituta in intestinali tubo priori contractilitate, penitus fugabitur. Juvabit ergo caute ac prudenter, hanc ventris compressionem & deligationem instituere, eamdemque sensim ac per gradus intendere; dum interim alia in usum advocabuntur subsidia quae spasmos tollere, aestum compescere, & Flatuum expulsionem urgere valeant. Abdomen sic premere potissimum congruet, ubi ex tepido insessu prosilit aeger; verum quid vetat, paulo antequam in hunc immergatur, aut cum mollissimum appositum fuit fomentum, circumductis linteis aut fasciis ligare ventrem? Hac enim ratione, duo hic optata praestari poterunt, mollietur ac levissime fovebitur abdomen, simulque ita fulcietur, ut ex inducta requisita laxitate, amplior non sit pertimescenda expansio.

397. Jam vero, quasi sponte & ipsa argumenti natura ducimur, ad proponendum auxilium, consimili fere ratione ac mox expositum (396.), hic opem ferens. Est autem aqua nivalis, aut alia quaecumque gelida ac propemodum in

glaciem concreta, quæ Tympanitico ventri applicatur. Si quo pacto hæc prodesse possit, inquiras; in promptu erit responsio; frigore suo, quo ferventem in abdomine æstum cohibet, quo rarescenti Flatui frenum injicit, quo tandem integumenta, musculos, peritonœum, ipsaque dilatata alimentariæ fistulæ loca densat & constringit, sicque coercitum aera ubique valide reprimens, pristinam revocare potest in toto ventriculi & intestinorum tractu æquabilitatem. Quæ hac de re jam supra prolata fuere (301, 302.), relegere, aut saltem meminisse juvabit. At præter adductas ibi observationes, alias adhuc præsenti scopo magis accommodatas, hic addere consentaneum est.

398. Legitur ad calcem Libri cujusdam Anglice conscripti (x) historia Tympanitis, in juvencula decennali curati per submersionem in aqua frigida maris. Paucis autem abhinc annis, interno & externo glacialis aquæ usu, Lugduni feliciter percuratæ fuere binæ Tympaniticæ mulieres, quarum historiam breviter

(x) Phisico-Medical essay Concerning alcali and acid. &c. id est Tentamem Medico-Physicum de alcalibus & acidis, quatenus habent respectum ad morborum curatiomem, &c autore Joanne Colbatch Medico, Londini apud Daniel. Brown 1696. 8. pag. 10, Acta Erud Lips. ann. 1697. pag. 356.

hic attexere haud abs re erit. Vidua Triquet Lugdunensis, post puerperium in quo parcius stillarant lochia, in synochum putrem lapsa est, qua, curante peritissimo D. Rast Doctore Medico Monspeliensi, & in Lugdunensium Medicorum Collegium cooptato, liberata fuit. Recrudescente paulo post Febre, diris lumborum cruciatibus & umbilicalis regionis torminibus, consuetis, docente Hippocrate & firmante experientia, Tympanitis prodromis divexata fuit. Ne affectus hic in procinctu esset, merito veritus est D. Rast. Metum ejus non fefellit eventus. Sensim folliculi aerei instar, intumuit venter, percussus tinniebat, pressus cito resiliebat, nec œdemate turgebant crura. Verbo simplicis ac genuini Tympanitis notas præ se ferebat morbus. Hunc non oleosa, non refrigerantia, non diversi generis carminativa depellere potuere. Cum hæc incassum adhibuisset D. Rast, Flatus in isto casu, nimio calore rarescentes, frigore reprimendos esse cogitavit. Id admota glaciali aqua præstare proposuit, nec tamen ausus experiri, quin venerandum practicum D. Pestalozzi patrem in consilium acciret, qui exquisitum Tympanitem ut pote rarum cernere lætus, desideratum huic

huic usurpando remedio præbuit assensum, simulque spirituosa quædam cardiaca, ob mulieris debilitatem, intus exibere suasit. Quod factum. Flatus quosdam eructavit ægra, paululumque detumuit venter. Aliquamdiu adhuc utrumque usurpatum fuit auxilium, verum iterum turgidior venter evasit, sæviusque excruciata fuit mulier. Pessimum hunc effectum intenso a spirituosis & calidis Flatuosi aeris elastico nisui jure adscribens medicus, in horum locum, uberrimum glacialis aquæ potum porrexit ægrotanti, a qua avide & cum voluptate hausta simulque extus admota, Flatuosam abdominis turgescentiam domavit & ad subsidentiam coegit, sine ulla sensibili Flatuum eruptione. Non multo tempore post singularem hanc curam, quæ per totam Lugdunensem civitatem, magna cum medici laude promulgata; alia quæpiam mulier, eodem conflictata affectu, consimili ratione, parique successu, opem ferente D. Rame altero Lugdunensi medico, persanata fuit. Binas hasce observationes, quas primum a felicissimo practico Professore Medico Monspeliensi D. Lazerme didiceram, Lugduni narravit mihi ipsemet D. Rast, quem peculiares posterioris circumstan-

tiæ latebant. Utraque deprompto ex Zacuti Lusitani praxi admiranda exemplo (302.) affinis, Tympanitem non raro a nimio calore sobolescere, eumdemque gelidissima intus & extus adhibita, tanquam apposito remedio debellandum esse comprobat. Id mirum tantum videbitur, citra ullam Flatuum explosionem, fugatum fuisse Tympanitem; verum repressus in hoc casu aer, verosimiliter lacteorum vasorum hiantia ostiola subiit. Vide jam hac de re prolata (128. 153.)

399. Gelidissimam ergo, in Tympanite, extus adhibere, non tantum ratio suadet (397.), sed & experientia (398.) jubet; quapropter utrique parendo, vel linteis frigidissima aqua communi, aut nivali imbutis, vel circumposita nive, prominens Tympaniticorum abdomen contegere, aut etiam in frigidum semicupium ægrotantem immergere licebit; idque bis per aliquot dies iterare oportet, ut efficacius depellatur affectus, ipsiusque recursus avertatur. Interim non omittentur medicamina interna, nec negligetur clysterum infusio, & linteis aut mantilibus circumductis ligabitur ac comprimetur venter, postquam sic frigore constrictus fuit & densatus; ne denuo rarescens aer, eadem quæ prius am-

plraverat, & a quibus mox repulsus fuerat, loca subeat, iterum diducat, magisque ferat extrorsum.

400. Verum spasmus persœpe a frigore sobolescit, aut saltem ab eo intenditur (74.); nonne igitur ab externo gelidæ usu, metuendum morbi Tympanitici incrementum? Certissimum quidem est, majorem & quasi spasmodicam partium solidarum constrictionem, has proxime & immediate attingentis frigoris genuinum esse effectum; at vero in eo quem hic excutimus casu, æqualiter ac simul tota arctatur abdominis peripheria, stringiturque tubus omnis alimentarius, proindeque universalis ille spasmus coercitum aera consimili undique nisu premens, inæqualem ac partialem abigit, sicque morbum ipsum feliciter sanare potis est.

401. Attamen quamtumvis celebretur hujus auxilii efficacia, nonnisi maxima cum prudentia, misso prius sanguine, primarum viarum sordibus eliminatis, ac mitigatis aliquamtulum, quapiam alia ratione, Flatibus, illud usurpare fas est; semperque omittendum, dum imminens in abdomine aut in aliis partibus, timebitur phlogosis. Hanc tandem par erit servare cautelam, primum parum frigidam, dein paulo frigidiorem, tandem

que gelidissimam adhibere aquam; sicque gradatim progrediendo, tutior erit hujus medicamenti usus, quem pariter competere arbitramur, in recenti ac in confirmato affectu: at vero in maxime inveterato, tanquam valde dubium ac persœpe damnosum spectamus, ob summam morbi pertinaciam, & ingentem quam tunc experiuntur viscera abdominalia, pressionem.

402. Hic etiam topica complura carminativa, resolventia ac calida Tympanitico ventri apponi possent, præcipue ubi jam inveterascit affectus; nec pertimescendus eorum usus, nisi acriora ac vehementiora fuerint. Verum eorumdem expositionem consulto remittimus ad Tympanitis curam, in quo laxitas prædominium tenet.

Tradita Tympanitis Therapeia Exemplis Firmatur.

403. Cum autem ad Tympanitem intestinalem oppugnandum, refrigerantem, lenientem, & anodynam medendi methodum tam fuse ac confidenter commendavimus (a 357. ad 403.); ad id non sola nos impulit superius stabilita ætiologia (a 109. ad 118.), sed & quamplurimæ ac indubitatæ coegerunt doctissimorum

medicorum obſervationes. Legitur enim apud Criſtophorum a Vega (quod refert (y) Riverius) ſolo cichorii atque endiviæ interno & externo uſu, curatum fuiſſe Tympanitem. Matronam quamdam jam a pluribus menſibus, Tympanite conflictatam, celebrata v. ſ. temperantibus, anodynis, oleoſis lenibuſque carminitivis intus & extus adhibitis, ipſo curante, integre reſtitutam fuiſſe, aſſerit ævi noſtri fide digniſſimus ac eruditiſſimus autor (z).

404. In fine toties citati operis (a), hiſtoriam narrat Carolus de la Font, Hebræi cujuſdam Tympanitem ſimplicem nec crurum œdemati ſociatum, ſed immanem ac febre, lingua ſicca & ſcabra, urina craſſa & rubra, ventris torminibus, caloris ſenſu, pulſu inæquali, laborioſa nec niſi erecto corpore exercita reſpiratione ſtipatum gerentis, itaut mortem præ foribus eſſe, adſtantes putarent. Hunc tamen dirum ac letho fere proximum affectum, intra quindecim dies, feliciter depulerunt, profeſſore Avenionenſi præcipiente, ter iterata ſ. m. & de-

(y) Prax. medic lib. 11. cap. 6.

(z) Hecquet, Des Maladies de l'Eſtomac, part. 2. chap. 12. pag. 333.

(a) Diſſertat. de Hydrope Tympan. cap. ultim. pag. 152. & ſequent.

mulcentia atque mitigantia remedia; nempe clyster ex radicis althææ, foliorum malvæ, althææ, verbasci, parietariæ, violariæ, seminum psyllii & florum verbasci decocto, melle, sale prunellæ, & larga butyri recentis dosi compositus ac frequenter injectus; potus ordinarius ex tinctura rosarum, interdum ex conserva fructus cynorrhodi, cum aqua fontis agitata & permixta, cui addebantur spiritus vitrioli guttæ aliquot; mane & sero exhibitæ emulsiones ex seminibus quatuor frigidis majoribus, semine papaveris albi, amygdalis dulcibus excorticatis, decocto hordei, syrupo de limonibus & sale prunellæ paratæ; harum loco præscripti interdum julepi ex aquis cichorii, portulacæ & nympheæ, syrupis de nymphea & de papavere rubro conflati, pro duabus dosibus, quarum utrique sal prunellæ addebatur, cum spiritus sulphuris guttis tribus; opiata tandem ex oculis cancri præparatis, crystallo minerali, & vitriolo martis, cum conserva violarum concinnata, cujusque mane & sero drachmam unam vorabat æger, emulsionem vel julepum superbibendo. Interea abdomini fotus admovebatur Hartmannianus (388.). Horum auxiliorum efficacia, tam fauste descrip-

ta omnia ſymptomata ſedata fuere, ut decima quinta die, tum morbo, tum curationi finem impoſuerit Carolus de Lafont, potiuncula confecta ex foliis endiviæ, cichorii, acetoſæ, & tapſi barbati, tamarindis, cremore tartari, floribus violæ, borraginis & verbaſci decoctis; ſenna ſucco limonum irrorata, ſemine aniſi, rhabarbaro, & ſantalo citrino infuſis; tandemque ex manna & ſyrupo roſato ſolutivo, poſt colaturam & expreſſionem additis.

405. Alteram ſanati hujus morbi prorſus ſingularem hiſtoriam, Franciſcus Oſwaldus Grembſius (*b*) refert his verbis. *Ego olim medicus Friſingenſis, ibidem cantorem quemdam Tympaniticum, præter ſpem, curavi. Exhibitis hydragogis, difficultas ſpirandi & ſimul abdominis diſtentio aucta fuit, unde a purgantibus abſtinui, & fomentum ex urina pueri & lapide prunellæ imperavi, cœtera prognoſtico relinquendus; miſit is quodam tempore ad me, pro conſilio & remedio, ad reſtingendam ſitim, qua miſere excruciabatur; habui tum temporis, ſpiritum ſulphuris præ manibus, hujus portionem miſi ad inſtillandum aquæ fontanæ. Itaque*

(*b*) Lib. 2. Arbor. integræ & ruinoſæ hominis, cap. 1. artic. 6.

dictus patiens his acidulis artificialibus, non solum sitim restinxit, sed etiam cœpit a bibitione copiosiori, Flatus ita egerere, ut eorum (taliter sic narrante cantore) subtus erumpentium finis non esset; quo solo remedio venter detumuit, & totaliter sanitati restitutus est. Ex hac pulcherrima observatione, non tantum refrigerans, mitigans, tonica, & eximie carminativa spiritus sulphuris virtus elucescit, sed & perspectum habetur, quantopere in Intestinali Tympanite præcipue siti & æstu stipato, purgantia hydragoga, sicut & calidiora alia quæque noceant.

406. Hujus noxæ plura alia exempla hic recensere possem. Unicum sufficiet sic a Fieno relatum (c). *Muliercula quædam Tympanite misere afflicta, curam sui medico familiari commendaverat; hic Flatuum discussioni dumtaxat attentus, sine alterius medicamenti prægressu, electuarium aliquod admodum calidum administraverat. Illa paulo post sensit rugitum solito multo majorem, torsionesque molestiores, difficilius spirat, & ventris tumore pristino remanente, novus accrescit, qui a malo punico, ubi prior terminabatur, se elevans, totum pectus mirabiliter distendebat,*

(c) De Flatib. Comment. novus cap. 24. de curatione Tympanit. pag. 178 & 179.

debat,

debat, tumores vero a ſeſe, mediante foſſula, diſtinguebantur. Ego illico accerſitus, vaticinor mortem præ foribus eſſe, ac ob id temerarium eſſe de medicaminum ulteriori exhibitione conſilium. Nec fefellit opinio. Tertio enim ab eo, quo vocatus eram, die obdormivit in Domino. Porro recentis tumoris, addit Fienus, *cauſam fuiſſe judico calefacientem & extenuantem medicamenti vim, quæ nebuloſum Flatum extenuando, arcto quo prius ſtringebatur loco, minime contentum, ampliorem capeſſere coegit.* Qui alia conſimilia exempla legere in votis habuerit, variorum autorum opera pervolvat; verum ex jam adductis, ſat luculenter & valide firmatur tradita therapeia.

407. Hanc autem medendi rationem variandam eſſe perſpicuum eſt, pro diverſo cauſarum, ſymptomatum, aliorumque morborum concurſu. Sic ſi paſſio hyſterica Tympanitem potiſſimum induxerit, vel ipſi adjuncta fuerit, cum jam laudatis auxiliis, antihyſterica his ſumme affinia, & ad eumdem finem collimantia (198.) conſocianda erunt. Qua de re conſulenda ſunt, quæ ſupra attulimus (a 341. ad 345.). Si glandularum meſenterii aut viſcerum quorumdam obſtructiones, affectui promovendo contule-

rint, aut eidem nato comites accesserint; eadem fere calcanda erit methodus, quæ in prægressis, ubi de reserando agebatur hepatis infarctu, accurate fuit exarata (336. 337.) : resolventia & aperientia cœteris præsidiis caute maritare congruet. Jusculo v. g. lenienti & carminativo (376.), cancri duo fluviatiles probe loti ac contriti addentur, cum radicibus cichorii & rubiæ tinctorum, chærefolio, fumaria, aliisque hujusmodi. Millepedes etiam vivi octo vel novem in vino albo abluti & extincti, vel eidem jusculo, vel sero lactis leviter incoquentur; & huic ultimo affundetur chærefolii, aut cichorii sylvestris, aut fumariæ, aut aliarum plantarum succus expressus ad aliquot cochlearia. Pulverem tandem resolventem & carminativum)337.), tum & ipsamet chalybeata, quandoque exhibere præstabit; sicut & diuretica, quæ Flatibus in lactea vasa adactis, & ad sanguinem usque devectis, per uriniferos ductus exitum parare, & serosi ac lixiviosi laticis requisitæ excretioni famulando, imminentem ascitem præcavere valent. At raro admodum aut fere nunquam, per urinæ vias, Tympaniticos Flatus eliminari posse censemus; plerumque enim, ubi sanguini confunditur

aer, brevi in ejuſdem textu ſolutus, vi elaſtica pene exutus & quaſi conſepultus jacet. Nec diureticorum aperientium formulas hoc in loco, ſubnectimus; id enim alibi conſultius præſtabimus, cum nempe Tympanitem aſciti junctum debellare conabimur.

408. Quæ hactenus, ea qua licuit, diligentia & animi ſollicitudine patefacta ac expedita fuit medendi via, (a 368. ad 408.) hæc utplurimum, hæc fere ſemper ineunda; inprimis ſi ſupra depictam (369.) imaginem, profligandus adamuſſim præ ſe ferat Tympanites. Verum in medica praxi, nulli fere morbo ſanando congruam præfigere fas eſt conſtantem ac perpetuam quamdam methodum. Cujus rei veritatem, in Flatulentis aliis affectibus pertractandis, jam experti, iterum in tradenda Tympanitis curatione, agnoſcimus.

Curatio Tympanitis, in quo prædominatur Laxitas.

409. Si pituitoſa ac phlegmatica temperie præditus ſit æger; ſi cruciatus & tormina quibus imminens præſagitur, incipiens ſtipatur Tympanites, mitiora fuerint, nec diu excruciarint; ſi chronico morbo corporis vires ſenſim exſolventi,

ut quartanæ longiori, chlorosi successerit; vel etiam, si morbus hic, licet a spastica constrictione primam & evidentem ducens originem, jam valde provectus sit, doloris expers evaserit, & descriptæ therapeiæ (a 368. ad 408.) vim eluserit: tum ab alimentarii ductus inertia & laxitate, affectum saltem maxima ex parte foveri, proindeque penitus diversam requirere medelam, existimandum. Parcius igitur emollientia, anodyna & narcotica præbenda; liberalior ex adverso debet esse tonicorum, corroborantium, ac validiorum carminantium (197.) usus, ut languens ac torpidus quarumdam ventriculi tubique intestinalis partium tonus sensim refoveatur, ac tandem restituatur.

410. Primum ergo sequens infundetur clysma, ad Flatus deorsum proliciendos.

Rec. fol. origan. flor. chamæm. & melilot. ana manip. j. semin. anis. & cumin. baccar. juniper. contus. & hord. integr. ana pug. j. coq. in s. q. aq. f. ad unc. x. add. olei laurin. unc. j. & semiss. ol. chamæm. & ol. nucum ana unc. j. misc. f. clyst.

411. Sequenti die, mane propinabitur potio sequens.

Rec. ſenn. mund. drachm. iij. rhabarb. elect. & contuſ. drachm. j. ſal. polychreſt. Seignette drachm. ij. flor. perſicor. manip. ſemiſſ. pomum citrium in fruſtula ſectum, flor. chamæm. ſemin. fœnic. & ſummit. abſynth. ana pug. j. infund. in aquæ fervidæ ſuff. quantit. dein leviter coq. col. & exprime ad unc. x. pro duobus cyathis : in primo diſſolv. mann. calabr. unc. j. & dimid. ſyrup. cichor. compoſ. unc. j. in ſecundo, ejuſdem mann. unc. j.

Bihorio poſt aſſumptam primam doſim elapſo, ſorbillabitur juſculum, eodemque a juſculi exhibitione tranſacto temporis intervallo, altera potus cathartici doſis haurietur. Sic ſordida ventriculum & inteſtina moleſtans ſaburra ſat efficaciter eliminabitur, ſimulque languidus exſuſcitabitur eorumdem tonus.

412. Ultimum hunc ſcopum ibi palmarium, ut tutius feliciuſque Medicus aſſequatur, ſequentem præſcribet opiatam,

Rec. electuar. de bacc. laur. &

theriar. veter. ana drachm. iij. conserv. enul. campan. & extract. juniper. ana drachm. ij. cascarill. cathec. sal. volatil. oleos. angelic. cortic. citr. sicc. & semin. fœnic. ana drachm. j. croc. mart. aperient. tartar. vitriol. & sal. prunell. ana scrup. ij. pulveranda pulverent. & incorpor. omnia in s. q. syrup. de absynth. ad. ol. chamæm. stillatitii gutt. xv. f. opiat. pro xx. dosib. quarum una mane, altera hora quarta aut quinta pomeridiana, per decem dies, exhibebitur.

Matutinæ dosi vitulinum superhaurietur jusculum, in quo per horam unam ebullierint aqua prius abluti & in mortario contusi tres cancri fluviatiles, atque radicum zedoariæ & enulæ campanæ ana drachma una; cuique sub coctionis finem additi fuerint foliorum cichorii sylvestris & pimpinellæ ana manipulus unus, florum chamæmeli & millefolii ana pugillus unus. Post devoratam pomeridianam dosim, largus epotabitur cyathus infusi florum chamæmeli, millefolii & foliorum menthæ, cui ad jucundam aciditatem, affusus fuerit spiritus sulphuris, quodque pro potu ordinario usurpabitur.

413. Cum hæc (412.) intus adhibentur, juvat ſaltem alternis diebus, injectis carminativis clyſteribus (410.), alvum ducere, Flatuumque per inferiora emiſſionem ſic promovere. Decima die, veſpertinis horis, non carminativus tantum, ſed & ſimul purgans infundetur; & poſtridie ſuperius præſcripta potio cathartica (411.) iterabitur.

414. Innumera alia concinnari ac uſurpari poſſent compoſita medicamina ex radicibus imperatoriæ, galangæ, ari, pimpinellæ albæ, tum ex aromaticis, cinnamomo, ſantalo citrino, aliiſque potiſſimum in quarta (197.) & quinta (198.) claſſe, recenſitis. Non parum prodeſſe poteſt, ſumptus per aliquot dies, mane & ſero, hauſtus ex eſſentiæ carminativæ Wedelii guttis triginta, tabellarum carminativarum Batei drachma una, æquali aquæ naphæ & chamæmeli ſimplicis copia dilutis, atque ſpiritu nitri dulci Glauberiano guttatim & parca copia inſtillato. Per hujuſmodi medicamenta, vellicata univerſa tubi alimentarii facie, æquabilis forte revocabitur amiſſus ejuſdem tonus, qui tandem diſtendenti Flatui repellendo compar evadet.

415. Hic tamen alta mente inſculptum maneat, quod alibi toties monuimus,

a calidioribus ſemper & acrioribus, in hujus morbi cura, caute abſtinendum eſſe; quamvis præſentis laxitatis haud æquivoca deprehendantur ſigna. Huic enim ibi comes perpetuo jungitur inæqualis aliqua ventriculi & inteſtinorum ſtrictura; & ob hanc peculiarem ac ægre domabilem ſocietatem, Tympanitem profligare tam arduum eſt (117). Hæc igitur præſtat ſeligere medicamina, quæ ſale volatili oleoſo blando gaudent, qualia ſunt antihyſterica, præcipue caſtoreum & ſuecinum. Hic etiam maxime congruunt acida, quæ præter vim quam egregie poſſident, fervori, turgido Flatui, & putredini adverſam, aliorum remediorum acrimoniæ retundendæ, tum & alimentario ductui grate titillando & ad contractionem proritando aptiſſima. Eximie inſuper commendant ſe infuſa vel decocta carminativa non ſemel antea laudata (242. 243.), quæ inertem primarum viarum tonum, ut par eſt, refovendo, idoneam tum ibi coercitæ materiæ, tum ſolidis aſſumptis remediis dilutionem præſtant.

416. Si jam præſcripta auxilia (a 409. ad 416.) morſum acriorem, æſtum nimium, aut majorem ventris intumeſcentiam intuliſſe medicus advertat; illico

horum dosim notabiliter minuere, aut largius adjunctis aqueis diluentibus, vel acidis & narcoticis, eorumdem vim nimiam infringere, aut etiam quandoque ea penitus omittere debet.

417. In ambiguis casibus, qui frequenter ibi, sicut & in aliis morbis curandis occurrunt, (non enim semper quid facto opus sit, cernere prompum est) id pro explorata lege teneatur, tutius esse ab emollientibus, anodynis & carminativis blandis (198.) curam auspicari; levia deinde tonica adhibere; tandemque gradatim ad fortiora priorum admixtione aliquatenus temperata ascendere.

418. Cum amissum alimentariæ fistulæ tonum sic prudenter restituere & erigere nitimur, nec ullam noxam inferunt in hunc finem usurpata præsidia; cathartica carminativis nupta, non drastica quidem, sed valida satis identidem propinare juvat, quæ Flatulentam colluviem non violenter, sed tuto ac efficaciter extrudere valeant. Quapropter expedito per injectos clysteres, necnon per hausta infusa & decocta carminativa, itinere, supra descriptam potionem (411.) pluries exhibere par erit. Sal Anglicum seu Ebshamense, electuarium de citro ac diacarthami, pulvis de tribus, aliaque complu-

ra, ex uſu eſſe poterunt. Semper tamen ſedulo cavendum, ne purgantibus hiſce, ventriculi & inteſtinorum interiora, acriori morſu vellices, & ſi talis præter ſpem, illata fuerit læſio, narcotico ſopienda.

Specifica Remedia in hac Tympanitis ſpecie.

419. Nonnulla velut præſtantiſſima & quaſi ſpeciſica ad Flatus in Tympanite excutiendos jactantur, quæ idcirco ſilentio hic prætermittere nefas: inter hæc laudatiſſimum eſt, & mirificum, ſi eruditiſſimo Fieno (*d*) ut decet, ſit fides, decoctum ſequens.

Rec. alb. græc. & hord. integr. ana unc. j & ſemiſſ. coquantur lento igne, in libr. iij. aut iv. vin. alb. gallic. ad hordei crepaturam: coletur: colatura per reſidentiam defœcata, denuo coquatur ad medietatis conſumptionem; poſtea clarificetur & aromatiſetur cum cinnamomo ſufficiente, edulcoretur cum ſaccharo. Hujus decocti propina unc. v. ter de die, jejuno ſtomacho, emittetque Tym-

(*d*) De Flatib. Commentar. novus de curatione Tympanit. cap. 25. pag. 178.

paniticus (pergit Fienus) *mirabiles bombos*, *&* *ſenſim venter ſubſidet.*

Excrementitium iſtud medicamentum, a cane ſolis oſſibus enutrito ſuggeſtum, doctiſſimi viri haud ſpernenda auctoritate, nec non ratione ſuffulti adhibebimus, nec hujus ſordities obſtabit, quam præ ariditate levem facile eluet ac prorſus abſterget experta efficacia. Nam album græcum congruo ſeu aqueo-ſalino-oleoſo vehiculo dilutum, ſulphurea ſua parte Flatus ad ſubſidentiam cogere, ammoniacali ſale quo ſcatet, eorumdem promovere expulſionem, tandemque utriuſque elementi concurſu, ſaponis inſtar, tenacia quæque in primis viis obvia reſolvere tuto poterit, præcipue cum nimia ejuſdem vis hordeo addito infringatur, ſaccharoque miteſcat.

420. Vinum ſuum antipneumaticum ſeu contra Flatum, & hydragogum, ter mirabile prædicat eximius & integerrimæ fidei practicus, Epiphanius Ferdinandus (e). Illius autem ſequentem tradit formulam.

Rec. rad. cucumer. agreſt. ſeu aſinin. ſambuc. ireos & ſoldanell. ana

(e) Hiſtor. ſeu Caſ Medic. centum. Hiſtor. 40. Hydrop. Tympan. pag. 122.

unc. iij. incidant. optime & infundant. per duodecim horas, in libr. vj. vin. alb. & clari: deinde bulliant ad consumpt. tert. part. quo tempore adde cumin. anis. semin. fœnic. ammi, dauc. seseleos, ruth. aneth. quatuor anodyn. ana pug. j. cortic. citr. drachm. ij. cinnamom. elect. unc. semiss. tragacant. & mastich. ana drachm. j. bulliant secund. art. coletur & servetur. Dosis sit unciar. vj. vij. vel *viij.*

Hoc quidem vinum, partim ab Aetio, & partim a sua inventione esse narrat laudatus autor, & multoties expertus est, ut ingenue fatetur, ad educendos Flatus tum per os, tum per secessum præstantissimum esse, evacuare per vomitum & quandoque per alvum aquam citrinam, tantamque ructuum & Flatuum copiam movere, ut certe sit incredibile. Nimiam ejus amaritiem saccharo vel sapa leniendam esse monet; tandemque ut difficultati ex nonnullorum simplicium acriori, drastica & quasi deleteria indole depromendæ obviam eat; hæc aliorum additione probe mitigari ac corrigi asseverat, & sic vinum suum ab omni noxa & virulenta labe eximens, tanquam tutum ac saluberrimum,

tum in aſcite, tum in Tympanite, remedium commendat. Hunc ergo liquorem Tympaniticis nonnunquam propinare proderit, præſertim ſi ſimul aſcitici fuerint; & ſi vehementiorem illius pertimeſcas acredinem, radicum cucumeris aſinini, ſambuci, ireos, & ſoldanellæ doſim minuere penes te erit; aut eumdem non mutata ingredientium doſi, ſed parciori manu, vel alio addito leni medicamento temperatum adhibebis.

421. Eximie commendatur ibi a nonnullis aurum fulminans, quod quidem tanquam potentiſſimum ad ſordes acido-viscoſas & Flatulentas eliminandas catharticum habetur, ob particulas ſalinas cum auri calce intimius junctas ac ſubactas, & natam inde calciformem ac metallicam acrimoniam. Verum ingenue fatetur Joannes-Mauritius Hoffmann (*f*) in auri fulminantis doſi ſe parcum eſſe, cum aliquot grana nonnunquam infauſtum reliquiſſe eventum recordetur. Idem remedium alvum quodam in caſu, pene funeſte moviſſe, obſervavit Ludovici (*g*). De hujus uſu loquentem audiamus clariſ-

(*f*) Acta Laborator. Chemic. Altdorfin. proceſſ. 172. pag. 268.

(*g*) Pharmac. modernor. ſeculo applicanda. Diſſert. 1. de purgantib. mineralib. pag. 182.

ſimum Boerhaave; (*h*) cujus tantæ molis eſt in arte noſtra ſuffragium. *Qui pulverem hunc* (*auri fulminantis exploſi*) *hominibus ingeſſerunt*, *arcani magno pretio*, *promittentes eximia*, *dolores*, *tormina*, *alia mala excitabant*. Verum Etmullerus, Lentilius, Rolfincius, paſſim in operibus ſuis, remedii hujus fauſtos enarrant ſucceſſus. Unde non prorſus ablegandum videtur, ſed nonniſi pauciſſima quantitate, & ſumma cum prudentia uſurpandum. Ad grana duo aut tria tantum, nitro, vel lacte, vel ſyrupo violaceo mitigatum exhibebitur, præmiſſis ſemper & ſubjunctis lenientibus, imo & quandoque narcoticis. Nec ad grana quatuor aut quinque aſcendere licebit, niſi prius tentata incaſſum & innoxie parciori doſi. Clyſmata ex lacte & oleis carminativis lenibus, poſt ejus exhibitionem, infundere præſtat, juxta practicorum quorumdam conſilium. Si ſuperaddatur aquæ forti ſimplici, tantum ſalis fuſi, mundi, ac pulverati, quantum ſolvere poteſt; antimonio craſſiuſcule trito affundatur hæc aqua; ubi regulus cum fervore eroditur, frigida inſtilletur; ſeparatum videbitur

(*h*) Element. Chem. tom. 2. operat. chemic. pars 3 in foſſilia, proceſſ, 205. pag. 319. Pariſiis apud Cavelier.

ſulphur, quod aquæ inſtar picis ſupernatabit. Hoc frigida ablutum & edulcoratum, nec vulgari abſimile, eximium eſt in Tympanite remedium, ſi Tachenio (*i*) ſic loquenti credamus. *Quantum hoc ſuſphur præſtat in hydrope quem Tympanitidem dicunt, norunt ii, qui illud mecum in uſum vocarunt.* Hujuſmodi tamen remedium, caute & parciſſima tantum copia ingerendum.

422. Si cœtera non conferant auxilia, conſulit Carolus de la Font in Diſſertatione ſua de Tympanite (*k*), urinam pueri impubis exhibere. Hanc Flatulentis torminibus ſummo levamini fuiſſe, graviſſimorum autorum teſtimonio, & inprimis obſervatione e Zacuto Luſitano excerpta, ſuperius fuit evictum (309.); ſimulque eamdem tenacia quæque diluendo ac ſoluendo, Flatuoſum aerem cogendo, laxa ſtimulando, & ita Flatuum expulſionem ciendo, opem ferre poſſe expoſitum fuit. Lixivioſum ergo illud liquidum, hoc multiplici nomine, Tympanitem levare, imo & quandoque prorſus ſolvere par erit, præſertim ſi una admoveatur turgido ventri, ex ipſo & la-

(*i*) Hippocr. Chimic. cap. 23. pag. 198. Lutet. Pariſior.

(*k*) Pag. 264.

pide prunellæ confectus fotus Hartmannianus (388.), & ex eodem, necnon ex terebinthina ovi vitello soluta paratum infundatur clysma. Melle adjecto aut saccharo, nauseosum hujus excrementitii medicaminis saporem Zacuti exemplo, mulcebis. Si urinam in Tympanite liberalius fluxuram esse spes sit, pueri impolluti destillatam urinam, ratione sympathiæ, in usum revocari posse docet Benedictus Sylvaticus (*l*).

Curatio Tympanitis cum Acido in primis viis.

423. Cum autem prævalet in Tympanite atonia, acidum in primis viis luxuriare mirum non est, præsertim si ex vegetabilium familia victus depromatur. Tunc autem jam antea commendatis auxiliis (a 409. ad 423.) addenda erunt quæ acidum absorbent aut invertunt, terrea & alcalica remedia, oculi cancrorum fluviatilium præparatorum, coralla, margaritæ, conchæ, antimonium diaphoreticum, limatura ferri, species de hyacintho, cornu cervi ustum; sal tartari, sal absynthii, sal volatile oleosum cornu cervi, aliaque alcalinæ tam vola-

(*l*) Consilior. & Responsor. Medicinal, Centur. iij. XXX de Tympanite pag. 225.

tilis

tilis quam fixæ proſapiæ. Hæc in pulveris aut opiatæ formam reducuntur, ſingulaque ſed inprimis ſalina prudenter exhibenda. Si vero magis arrideat liquida forma, quæ ſœpius in hoc morbo tutior, præſto ſunt aquæ menthæ, fœniculi, pulegii, majoranæ, betonicæ, naphæ, chamæmeli ſimplex vel compoſita; in quibus mox dicta ſoluuntur. His caſtorei tinctura, ſpiritus ſalis ammoniaci, ſpiritus cornu cervi ſuccinatus, elyxir proprietatis Paracelſi ad aliquot guttas, affundi queunt. Potibus iiſdem haud perperam adjunguntur theriaca vetus, diaſdium, opiata ſalomonis, confectio hyacinthorum. Inſignem etiam conferre poteſt opem cortex peruvianus pulveratus, aut conſerva quadam appropriata obvolutus, ad drachmam ſemiſſem vel ad drachmam unam exhibitus, qui præter eam quam in ſinu ſuo gerit, acido adverſam flaccidiſque partibus ſtimulandis aptam amaritiem, terrea ſua ac ſubadſtringente ſubſtantiâ, languidam contractilem vim, in tubo alimentario redintegrare compar. Ibi tamen parce cauteque eo utendum.

Curatio Tympanitis a primarum viarum Glutinoſo pingui.

424. Hunc autem ibi peculiari medela

profligare congruit Tympanitem, qui a glutinoso pingui intestinorum parietibus tenaciter adhærente, hæc laxante & vasorum lacteorum ostiola occludente sobolescit; quod in infantili ætate haud infrequens. Huc igitur revocanda, quæ jam in prægressis, ad pituitosum humorem liquandum & extrudendum laudata fuere (a 279. a 282.). In hoc enim casu, ea omnia conferunt, quæ gluten illud pingue diluere, solvere, abstergere, eliminare valent; quæve flaccido canali robur addunt, quo validius id excutiat, nec denuo ipsius lateribus accrescere patiatur.

425. Quapropter ex probe fermentato, vel etiam biscocto, aut salis seminumque carminantium accessu condito pane, & volatilium animalium jusculis, chærefolii, cinnamomi, aliorumque hujusmodi additione, sapidioribus redditis, præcipue victus instituatur. Paulo validiori motu, quotidie exerceatur corpus, sicque firmentur ac roborentur vasa & viscera. Mane post somnum, asperis pannis laneis perfricetur abdomen; & hæ repetitæ frictiones, glutinoso humori resolvendo & excutiendo magnopere conducent. Consuetus sit potus ex levi baccarum juniperi & cinnamomi decocto,

vel ex florum millefolii & foliorum menthæ infuso, in quo sal polychrestum Seignette, vel arcanum duplicatum ad drachmam unam aut alteram solutum fuerit. Hic maxime proderit oxymel scilliticum: nec exiguam opem ferent juscula ex plantis amaricantibus, cichorio, fumaria, centaurio, enula campana, absynthio parata; supra præscriptum apozema (279.); tum jam alibi descriptus pulvis resolvens & aromaticus (324.); aut alius ex zimzibere, borace, & tartaro vitriolato confectus.

426. His omnibus, cathartica præmittere, & idemtidem interponere, aut etiam miscere juvat, qualia sunt rhabarbarum, mercurius dulcis, pulvis de tribus, electuarium de citro & diacarthami, sal Ebshamense, sal polychrestum Seignette, syrupus de cichorio compositus cum rheo, syrupus rosatus solutivus &c.

427. Verum post hæc, iterum ad resolventia recurrendum, inter quæ haud dubie primas tenent sulphurea ac biliosa, ibi semper deficientis aut inertioris bilis indolem præ se ferentia, ut fel lucii piscis, fel anguillarum; tum saponacea, ut Venetus sapo; tum denique gummi-resinosa, quale est gummi ammoniacum. Ex hisce variis & convenienti syrupo,

catapotia concinnare, ac bis in die, exhibere præſtat, hauſto inſuper aromatico quodam ac carminativo potu.

428. Ubi jam ſatis liquatum fuit viſcidum illud gluten, ejus omnimodæ expurgationi catharticis peragendæ unice incumbendum; nec neceſſum eſt ibi peculiariter ac fuſe annotare, quantopere proſint in hunc ſcopum ſœpe injecta aromatica, carminativa, & purgantia enemata.

429. Interim hac data anſa, advertere operæ pretium eſt, non ſolum in mox explanato caſu, at in omni Tympanitis genere, cum prædominante laxitate, generatim maxime proficuum eſſe iteratum clyſmatum uſum; verum hæc paulo calidiora, acriora, magiſque reſolventia exoptantur, ut promptius & efficacius amiſſum revocent craſſiorum inteſtinorum tonum, & Flatulentam colluviem deorſum proliciant. Idcirco ea ex quartæ (197.) & quintæ (198.) claſſis carminativis largiori manu aſſumptis & aquæ incoctis componere juvat. Decocto huic olea nucum, chamæmelinum, laurinum, ruthaceum, aliaque hujus generis, aut etiam olea ſtillatitia ſed multo parciori doſi, feliciter adduntur. Nonnunquam in his clyſteribus, ſal quoddam ut ma-

rinum, ammoniacum, gemmeum, aut polychrestum, ad drachmam unam aut alteram solvere par erit. Persœpe optime eorumdem intenditur efficacia, adjecta terebinthina oui vitello soluta. Eximie prædicantur, quæ ex stercoris canini, vaccini, aut equini, simulque flosculorum chamæmeli infusione aut decocto fiunt enemata, semper adjuncto melle mercuriali aut violaceo mitiganda. Maximo in pretio habentur, quæ ex urina pueri impubis adhuc calida, vel sola, vel vino sociata parantur. Decantatissimum est jam alibi præscriptum ex urinæ sanæ libra una, salis prunellæ drachma una, therebinthinæ venetæ cum ovi vitello solutæ uncia una & dimidia conflatum. Aliorum omnium singulares hic formulas attexere nec placet nec vacat; eas enim pro lubitu confingere cuicumque licebit, præsertim si supra traditas (268. 269. 270. & 410.) ad hunc locum non parum accommodatas consulat.

Externa Præsidia Tympanitis cum prævalente Atonia.

430. Sic delineatis (a 409. ad 430.), quæ in hoc Tympanitis genere, intus exhibere, aut per anum infundere juvat, medicamentis; ea tandem consulto sub-

jungemus, quæ turgido Tympaniticorum abdomini fauste apponuntur, quæve non tantum in externa integumenta vires suas exerere, verum etiam ad ipsam usque mali sedem, particulis suis salino-sulphureis volatilibus valdeque mobilibus, perferri valent. Inter hæc miris extollitur laudibus, ac frequentissimo est in usu, apud varios autores, jam aliquoties recensitum, ex urina pueri impubis & sale prunellæ confectum Hartmanni fomentum (388.), quod tepide admovendum, renovandum idemtidem, calidisque linteis contegendum. Hoc solo externo subsidio, mulierem viduam Tympanite afflictam, a medicis desperatam se restituisse gloriatur solertissimus hujus inventor.

431. Ob prædominantem ibi laxitatem, aquæ tepidæ balneum usurpare, crimen esset. At quoniam illa a frigore quæcumque attingit constringente, feliciter depellitur, aqua gelida aut ipsa nive, ægrotantium ventrem cingere lubens permitterem, imo & juberem.

432. Innumera propemodum fotuum, linimentorum, unguentorum, cataplasmatum, & emplastrornm genera parari possunt, carminantibus ex quarta (197.) & quinta (198.) classe præcipue desump-

tis. Huc refer quæ ſuperius deſcripta (a 290 ad 299.). Maxime commendantur quæ ex pleriſque mineralibus, vel ex animalium excrementis fiunt. Narrat Cabrolius, referente Helmontio (*m*), ſe octuagenarium ſanaſſe cujus ventrem bis in die fovebat cum lixivio, cui ſal, alumen atque ſulphur incoxerat; poſtea fimo vaccino pro cataplaſmate utebatur, tandemque horum auxiliorum ope, ſalvus evaſit æger, ac ſupervixit centenarius.

433. Unguento ſequenti, ventriculi regionem, calide inungebat Fienus (*n*).

Rec. olei nard. olei maſtich. ana drachm. iij. ol. nuc. moſchat. ol. mac. ana drachm. j. menth. ſicc. corallor. rubr. maſtich. cumin. ana ſcrup. j. cum ceræ q. ſ. f. unguent.

Totum deinde ventrem, calentibus linteis aut manibus, ad ruborem uſque fricari jubebat, quo facto, vel vino ſublimato, aut oleo ruthaceo, aut utroque æqualibus partibus mixto, diutiſſime illinebat; aut emplaſtri de baccis lauri libram dimidiam, ſtercori caprino vel

(*m*) Ignot. hydrops num. 46.

(*n*) De Flatib. Comment. novu. curat. Tympan. pag. 180.

bovino confuſam, addendo vini potentis quantum ſatis ad malaxandum, calidiſſime ventri admovebat; aut demum ſacculos ex abſynthio, mentha, rutha, ſeminibus calidis, baccis lauri, floribus pſeudo-nardi, ſambuci, chamæmeli, roriſmarini & ſthœcados, milio, furfure & ſale conſutos, ac cum vini aſperſione frixos calidoſve apponebat, & ubi refrigeſcebant, recalefactos iterum applicabat.

434. Fotum hunc laudat Fullerus, in pharmacopoea ſua extemporanea (*o*).

Rec. nitr. unc. ij. ſal. armon. unc. j. ſpirit. vin. tenuior. mult. phlegmate imbuti libr. ij. miſc. & diſſolv. in vitro: pannus laneus huic tepide intinctus ſuper totum abdomen applicetur, & ſubinde mutetur, denuo intingendo, f. bis in die per horæ ſemis: dein applicetur cataplaſma ex fimo vaccino, & pulv. ſtercor. canini.

Williſius (*p*) ex florum ſalis ammoniaci uncia, cryſtalli mineralis unciis duabus, in ſpiritus vini tenuioris multo phlegmate imbuti libris totidem mixtis ac ſolutis fo-

(*p*) Londin. pag 136.
(*q*) Pharmaceut. Ration part. 2. curat. Tympan. pag. 152.

tum

tum parat, bis in die per ſemi-horam adhibendum; dein vel cataplaſma ex fimo vaccino cum pulvere ſtercoris canini, vel emplaſtrum de minio cum ſapone veneto, toti ventri applicat. Haud inefficax fomentum præbet decoctum ſulphuris in urina. Optimum concinnat Carolus de Lafont (*q*) ex aquis menthæ & cardui benedicti, ſpiritu vini tenuiori multo phlegmate imbuto, extracto juniperi, ſale abſynthii & cardui benedicti; tum ex radicibus imperatoriæ, angelicæ, zedoariæ, foliis abſynthii, veronicæ, menthæ, ſalviæ, thymi, pulegii, ſeminibus & floribus carminativis in vino albo decoctis. Poſt fotum vero, emplaſtrum ſequens admovendum eſſe cenſet.

Rec. galban. ammoniac. bdell. ana unc. ſemiſſ. thur. maſcul. myrrh. ana drachm. ij. opii drachm. ſemiſſ. diſſolvantur omnia in aceto ſcillitico, parum inſpiſſentur: tum adde ceræ flavæ, colophon. ana drachm. iij. balſam. perruvian. ol. phyloſoph. ana drachm. j. therebinth. venet. q. ſ. miſc. f. ſecund. art. emplaſtr.

vel

(*q*) Differt. Med. de Hydr. Tympan. cap. ultim de curat. Tympan.

Rec. unguent. martiat. ol. chamæm. ana unc. j. ol. ſalv. diſtillat. ſcrup. j. m. f. liniment.

Mercurialis (*r*) extrinſecus totum ventrem ſpongiis ſubſcripto decocto calente immerſis, & deinde expreſſis fovendum curabat.

Rec. aniſ. pug. ij. radic. cyclamin. unc. ij. folior. arthemiſ. manip. ij. ſal. commun. libr. ſemiſſ. aq. commun. libr. x. vin. alb. libr. iv. bulliant ſecund. art.

435. Epiphanius Ferdinandus (*s*) varia Tympaniticorum abdomini medicamina admovebat, & primum carminativis ſacculis contegebat, quorum hæc eſt deſcriptio.

Rec. milii, ſal. furfur. ana manip. j. ſemin. aniſ. apii, fœnic. dauc. cumin. ana drachm iij. quatuor anodyn. ana pug. j. folior. ruth. laur. puleg. ana manip. ſemiſſ. contund. & f. ſacculi.

(*r*) Conſultat. Medic. tom. 1, de Hydrop. Tympan. conſult. 52. pag. 115 & 116.

(*s*) Hiſtor. ſeu Caſ. Med. centum Hiſtor. 40. Hydrop. Tympan. pag. 122. & 123.

Unguento ſequenti ſæpe ſæpius, inſtituta prius frictione, calidiſſime ventrem ungebat.

Rec. ſtercor. caprin. unc. iv. chamæm. melil. aneth. ana manip. j. farin. fabar. lent. ana unc. iij. farin. orob. unc. ij. cum ſapa & lixivio barbitonſorum. f. unguent. ad ignem, addendo ol. chamæm. aneth. ana unc. ij. cumin. drachm. vj. fœnic. coriandr. præpar. ana drachm. ij.

Poſtquam hæc per aliquod tempus adhibuerat, alia vocabat in uſum; v. g. mane & ſero ante cibos, totum abdomen cum ſpongia, hoc calido decocto fovebat.

Rec. puleg. calamenth. origan. baccar. laur. & folior. ejus, aniſ. fœnic. carv. & fol. tabac. ana m. j. contund. craſſo modo & bull. in ſ. q. aq. & vini; & aq. vit. ad tert. part.

Latæ ſpongiæ hoc liquido imbutæ, calidæ, ter aut quater imponebantur; deinde locus exſiccatus hoc calido unguento illinebatur,

Rec. ſucc. ebul. cyclam. cucumer. aſinin. ana unc. ij. & dimid. ol. v. lilii unc. ij. butyr. & ol. de capp.

ana unc. j. pulp. colocynth. & aloes ana drachm. ij. & semiss. sal. comm. unc. dimid. euphorb. drachm. j. & semiss. cer. q. s. f. unguent. moll. secund. art. addendo stercor. vaccin. caprin. & synap. ana unc. semiss.

Quandoque etiam emplastro de bacc. laur. totum cooperiebat abdomen, & circa hepatis regionem, hoc aliud apponebat unguentum.

Rec. ol. nardin. & de absynth. ana unc. j. pulver. aromat. rosat. d. c. & diarrhod. abbat. scrup. semiss. misc.

436. Ingens hic hujusmodi medicaminum numerus adjici posset; verum hæc adducta sat erunt, & qua ratione prosint, anxie non inquiremus; id enim jam alibi præstitum fuit (296). Nec nobis vitio verti potest, ibi plura topica congessisse; licet enim paucis ac probatissimis generatim utendum sit, multa tamen præsto esse, & velut promptuarium quoddam constituere semper juvabit, ut inde prudenti semper habito selectu, variis casibus aptiora eruantur. Si quorumdam fervidiorem, acriorem, & quasi epispasticam

vim metuas, hanc, minuta nonnullorum ingredientium, aut leniorum adaucta dosi, refrenare haud arduum erit.

Exposita Medendi Methodus Observationibus confirmatur.

437. Verum tradita huc usque (a 409. ad 437.) Tympanitem cum laxitatis prædominio, curandi methodus, exemplis aliquot firmanda superest, ne ab experientia vel latum unguem discedere, aut soli rationi nimium indulgere videamur. Quapropter huc revocanda, quæ superius fuse descripta fuit puellæ Tympaniticæ Edimburgensis historia (152.), quam quidem acrioribus ac fervidioribus medicamentis, tandem persanatam fuisse, extra omnem dubitationis aleam positum est (153); quamvis spasmum in ea atoniæ prævalere, singularis inuueret symptomatum ratio, saltem initio morbi.

438. Huic exemplo consimiles addendæ sunt binæ integerrimi & in arte medendi exercitatissimi viri Petri Foresti Observationes (*t*). Primæ ansam præbuit rusticus quidam vere Tympaniticus, cui venter Tympani sonum reddens supra modum intumuerat, reliquæ cor-

(*t*) Observat. & Curation. Medicinal. lib. 19. Observat. 43 & 46.

poris partes contabuerant, necnon circa ventriculum & umbilicum dolores tanquam Colici hærebant: huic Flatulenta omnia inhibuit Foreſtus, exercitio uti, famem ſitimque ſuſtinere ſuaſit; panem & obſonia minime Flatuoſa, condimenta antipneumatica, ut aniſum, cyminum, liguſticum, & imperatoriæ ſemen, parcioremque potum præſcripſit. Hac inſtituta vivendi norma, pilularum aromaticarum, & de hiera drachmam unam primum porrexit; julepum dein ad modum clareti, pro quatuor diebus ſumendum concinnavit ex ſyrupi de endivia compoſiti, de quinque radicibus, de eupatorio, & ſyrupi acetoſæ compoſiti, ana uncia una & ſemiſſe, aquarum apii, endiviæ, cichorii ana unciis quatuor, depuratis & aromatiſatis cum ſpecierum diarrhodi abbatis, cinnamomi electi ana drachma una, & pulveris diacumini drachma ſemiſſe. Poſtea pilulas ſeptem ex pilularum de hiera ſimplici, rhabarbari ſelecti & agarici ana ſcrupulo uno, cum aqua agrimoniæ confectas, circa noctis dimidium exhibuit. Deinde decoctum hoc juſſit aſſumi.

Rec. menth. ſicc. hyſſop. beton. abſynth. fol. ſambuc. ana manip. j.

cichor. endiv. agrimon. ana manip. ſemiſſ. flor. chamæm. anthos, ana pug. j. ſemin. aniſ. cartham. ana unc. dimid. ſemin. apii, petroſel. ana drachm. j. ſemin. dauc. ſemin. quat. frig. maj. ana drachm. ſemiſſ. folior. ſenn. orient. unc. j. & ſemiſſ. agaric. alb. fœmin. rhabarb. ſelect. ana drachm. j. & ſemiſſ. ſpic. ſchœnanth. zimziber. ana ſcrup. j. uvar. paſſular. ab arillis repurgat. unc. j. f. omnium decoctum in duab. partib. aq. & una parte vin. pro unc. ix. colatur. add. ſyrup. de Byſant. de eupator. ſyrup. ex infuſion. roſar. ana unc. j. miſc. f. apozem. pro tribus doſib. matutinis.

Medicamento huic ſubjunxit electuarium in tabulis, modo diacyminum, modo diacurcuma, & repetitum ſequentis pulveris uſum.

Rec. ſemin. aniſ. carv. fœnic. cumin. in aceto macerat. ana unc. j. f. pulvis cujus drachm. ij. hora ante prandium, & duabus poſt cenam horis ſumantur.

Pilulas tandem quinque ex pilular. mezereon. deſcript. Meſ. ſcrup. ij. trochiſc.

agaric. ſcrup. j. cum ſyrup. de Byſant. paratas, & poſt mediam noctem devorandas adhibuit. Nulli injecti fuere clyſteres, cum admittere non poſſet æger. Cum autem tum ſucco ireos, tum aliis in aſcite exhiberi ſolitis, adjecto ſemper aliquo pulvere diacymini, ſatis dein purgatus eſſet; extrinſecus quoque admovit Foreſtus, unguenta, emplaſtra, cataplaſmata, quorum in hoc ultimo morbo conſuetus eſt uſus, ut ipſe ait. Ob ventriculi dolorem, hujus regioni ceratum ſtomachicum Galeni appoſuit, & hypochondria ventremque hoc unguento inunxit.

Rec. ol. ruthac. aneth. unguent. agripp. ana unc. j. & ſemiſſ. ſucc. ruth. abſynth. ſambuc. ana unc. dimid. vin. optim. unc. j. coq. levit. in dupl. vaſe, ad conſumpt. ſuccor. add. ſemin. ap. petroſel. cumin. ana drachm. ſemiſſ. cer. exiguum f. unguent. & tempore inunctionis, add. parum vin. malvat. vel ſi deſit, vin. alb.

Emplaſtro de bacc. laur. contegebatur venter primo cingulo conſtrictus vel faſcia. Poſtea & hoc emplaſtrum, aut ei ſimile apponebatur.

Rec. ſtercor. vaccin. libr. j. pulver. cymin. & ruth. ana unc. j. cum urina pueri incorporent. in proceſſu jubebat ut adderetur ſal. vel nitr. vel ſulphur. unc. dimid.

His autem, tum aliis remediis ſæpe repetitis, inquit Foreſtus, *tandem hic ruſticus melius cœpit habere, ſed cum non progrederetur in curatione, iterum venter intumuit: & domum rediens tandem mortuus eſt. Uti & alius ruſticus Scorelianus etiam Tympanite laborans, qui ſanationis gratia ad nos venerat: ſed cum non diu maneret apud nos, remediis aptis non ſublevabatur, curationemque relinquens idem & Tympania mortuus.*

439. Ex illa Foreſti obſervatione (438.) deducere pronum eſt, ad Tympanitem de quo in ea agitur, inducendum & fovendum, maxime contuliſſe laxitatem, cum remediis calidis, aromaticis, validioribuſque catharticis hujus morbi vis fracta atque mitigata fuiſſet. Nec talis cauſæ ſuſpicionem a Foreſti mente amoverunt corporis macilentia & ventriculi ac umbilici dolor; quorum tamen non oblitus in cura oculatiſſimus Autor, illico non acriora exhibuit medicamina, ſed refrigerantem ac aperientem

julepum, post institutam catharsim præmisit, & ventriculi regionem cerato stomachico Galeni inungi curavit.

440. Altera autem nunc enarranda Foresti Observatio, Tympanitem ab utero ortum & admodum mirabilem feliciter persanatum exhibet. Typographi Delfensis uxor valde obesa & crassa, post perpessam toto autumno hyemeque duplicem quartanam, & ab Autore curatam, recte valebat, ac prægnans passim putabatur ab omnibus. Portentose intumuerat venter, maximus aderat saltus, & murmur quoddam instar Flatus exaudiebatur aliquando, atque mulier quotidie magis magisque pinguescebat. Verum cum graviditatis & pariendi tempus, decimum nempe mensem præteriisset, tandem inordinate febricitavit. Ad eam tunc temporis accessit Forestus, ventremque tantopere tumidum ut rumpi videretur, durum ac Tympani instar resonantem reperiens, & evidentem saltum murmure ac rugitu stipatum, in imo ventre potissimum, tactu judice, non solum percipiens, sed etiam oculis spectans, itaut in lecto jacenti operimenta attollerentur; molam ventosam in utero, unaque Tympanitem adesse, suspicatus est, non sine materia aliqua aquosa, vel potius Flatu-

lenta putredini proxima, inſtar molæ quæ uterum ſtatim occupaverat, unde prima mali labes, quæ totum dein infecit abdomen. Nam tunc ab undecim menſibus, prorſus cohibitum erat menſtruale profluvium, & durum non deprehendebatur os uteri exploratum. Quamvis maxime reniteretur venter, ex validiore tactu, totus tremebat, omniaque viſcera ita movebantur, ut aliquando non ſolum abdomen & integumenta, ſed & lectus ipſe ſurſum efferri viderentur. Tantam denique in molem excreverat venter, ut majorem in vita, ſe nunquam vidiſſe meminerit Foreſtus.

Hæc morbi facies plane ſingularis & miranda. Ad hunc fugandum, toto corpore prius evacuato, carminantia multa decocta, frequenti in uſu habuit laudatus Autor, præcipue & hoc ſequens.

Rec. ſemin. aniſ. fœnic. carv. ſemin. cumin. ana drachm. ij. ſemin. aneth. drachm. j. & ſemiſſ. bull. in aqua arthemiſ. cujus colatur. accipe unc. viij. addendo ſyrup. de arthem. unc. ij. miſc. pro duab. doſib.

Pro potu quotidiano utebatur ægra, cerevíſia communi, in qua chamæmeli flo-

res decocti erant, quæ adeo profuit, ut admirari ſatis non potuerit peritiſſimus practicus. Per intervalla prius celebrata fuerat catharſis cum decocto ſimili carminante & purgante, adjectis foliis ſennæ, ſubinde cum diaphœnico. Ventrem autem primo inungi mandavit oleo chamæmelino & anethino: poſtea & circa pubem etiam oleis & unguentis calidioribus, poſtquam a purgatione paulatim & febris illa inordinata ceſſaſſet. Poſtremo ad uteri apertionem, dedit pulverem dominarum, ſcilicet drachm. j. cum unc. ij. aq. arthemiſ. & unc. j. ſyrup. arthemiſ.

Iſtis remediis ſæpe iteratis, ait Foreſtus, *menſes aperti ſunt & fluxere. Deinde tabulis infra ſcriptis cum perpetuo fere uteretur, miraculi inſtar, venter paulatim detumuit, multaſque ventoſitates per ructus plurimos, ſuperius emiſit, etiam inferius per ventrem; etiam bombis, quod dictu mirum videtur, ex utero emiſſis, qui una cum murmure ac ſtrepitu erumpebant. Et cum menſes aperti fuerunt, multa putida & ex parte corrupta excrevit; etiam quædam aquoſa, idque longo tempore. tabulæ vero confectæ tales erant.*

Rec. ſpecier. diacymin. diacur-

cum. ſpecier. aromat. roſat. ana drachm. j. cum aq. meliſſ. adjecto ſacchar. optim. q. ſ. f. confectio in tabul. ſecund art.

Quibus cum uteretur per duos menſes, & aliis remediis ſupradictis ſæpe repetitis, præter opinionem omnium, magna cum noſtra laude evaſit: & adhuc ſana vivit etiam hoc tempore, cum pluſquam viginti quatuor anni præterlapſi ſunt, cum hæc denuo recolligerem, nempe anno 1592. menſe junio.

441. Ex ſtupenda hac hiſtoria, proclive eſt concludere, Tympanitem cum Flatuoſa uteri intumeſcentia, coincidere, & ab ipſa ortum ducere poſſe; tum & in hoc caſu, licet ſaltus ille in ventre, tremuluſque viſcerum motus adeſſent, qui hyſtericam indolem ſapiunt, partialem quamdam prævaluiſſe atoniam, qua decoctis carminativis & pilulis aromaticis debellata, in priſtinam valetudinem reſtituta fuit mulier. Advertendum tamen non ſumme calida & acria fuiſſe hic adhibita medicamina, ac pleraque ex quinta (198) claſſe deprompta & antihyſtericis copulata.

442. Adductis hiſce exemplis, aliud ex Commerc. Litterar, Phyſic. Techn.

Med. Norimberg. hebdom. xxiij. ann. 1738. excerptum adjungere congruum eſt, quo tonicis reſolventibus ac ſtimulantibus, Tympanitem nonnunquam profligari magis eluceſcet.

II. *Weikershemio D. D. Baeumlinus ſequentia nobiſcum communicavit, ſtatum ejus regionis Meteorologicum non minus quam epidemicum exponentia, &c.* pag. 179. dein pag. 181. hæc habentur. *Plures non minus Tympanitide atque hydrope affecti hoc anno* (1737.) *ſunt obſervati, id quod ego quidem conſtitutioni aeris nimium humidæ ac frigidæ, ideoque lentorem parienti, tribuo; & licet in nonnullis medicamenta, inprimis radix ſcillæ cum decocto vincetoxici atque elixir balſamicum alcalicum levamen attulerit, itaut fœmina ſexagenaria, cui xxxix. ætatis anno deceſſerant menſtrua, quæque ex eo tempore creorioribus paroxyſmis aſthmaticis laboraverat, Tympanitica facta, dictis remediis, omni tumore liberaretur menſe Junio, at cum bene appetiviſſet, Octobri menſe ſubito expiraret, aliæ autem ſepoſitis medicamentis denuo intumeſcentes obirent.* Quaſdam alias ſimiles obſervationes referre fas eſſet, quas brevitati conſulentes omittimus, cum mox deſcriptæ ſufficiant (437. 438. 440. & 442.)

Curatio Tympanitis cum Stricturæ & Laxitatis ſimili fere concurſu.

443. Adamuſſim huc uſque depicta fuit medendi methodus, quam in Tympanite a ſpaſmodica conſtrictione præſertim orto, tenendam eſſe cenſemus (a 368. ad 409.); tum & ea quæ huic congruere viſa eſt, quem laxitas potiſſimum peperit, aut ſaltem maxima ex parte fovet. Verum perſæpe ab utriuſque vitii ſimultaneo ac propemodum conſimili, arduoque tantum molimine depellendo concurſu pronaſcitur hic morbus, ut jam alibi diligenter notavimus; tuncque utplurimum immedicabilis eſt, inprimis ſi jam inveteraverit; nec immerito conjecimus in prægreſſis (117.) forſitan ex hac infauſta ſpaſmi & atoniæ ſocietate, ſummam in percurando Tympanite, difficultatem manare. Si tamen quædam ſalutis affulgeat ſpes, hæc in prudenti ac concinna auxiliorum utrique fugando vitio competentium adhibitione reponenda videtur: utut enim ſibi invicem adverſa appareant, ſi interim docta cautaque manu conſocientur, feliciſſimum præſtare poterunt effectum. Quod quotidiana comprobat experientia, qua compertum extat, arti medicæ binis pugnantibus in-

dicationibus nonnunquam una occurrere, datum esse. Ut consentanea magis præsidia usurpes, quid prædominium teneat, an spasmus, an laxitas, attenta prius & acri mente explores; & prout prior aut posterior prævaluerit, plus uni quam alteri methodo inhærebis. Si vero compar sit utraque labes, medio tutus ibis, nec potior erit, sed prorsus idem mitigandi vel roborandi scopus. Generatim tamen ineunda primum mitior via, quæ si optato defraudetur effectu, altera validior ausu tentabitur non temerario. Nec medicaminum formulas placuit ibi attexere, cum ex præmissis easdem mutuari promptum sit.

TYMPANITIS ABDOMINALIS THERAPEIA.

444. Tympanitem hactenus in alimentario ductu sedentem, profligare conati sumus (a 356. ad 444): nunc vero alterum hujus morbi genus, abdominale nempe bellandum superest. Si autem in peritonœi ambitu immediate coercitus aer, e divulsis tunicis intestinalibus prosiliisset (119.), jam de ægro conclamatum esset, nec ulla suppeterent adhibenda præsidia. Si vero e ruptis vasculis lacteis, simul cum chylo, in abdomen fluxerit

rit aer (118.); casus ille quem dignoscere fere impossibile, periculo plenus, nec ullis auxiliis patitur persanari, nisi cum pauci tantum chyliferi ductus diffracti fuere; at cum causa illa ut possibilis tantum admissa fuerit, forteque nunquam certissime observata sit, piget huic privatam aptare methodum, statimque ad Tympanitis abdominalis curam properare juvat, quem intulit aer e liquidis per vasa circumactis extricatus, & ab exhalantium vasculorum osculis, in imi ventris cavum eructatus (121.).

445. Cum autem collecto tantum Flatu turget abdomen, cavendum sedulo, ne novus e succis expeditus aer, & ex ductibus excretoriis prorumpens intumescentiam augeat; tum & qui in peritonœi cavo aggestus, omni opera frenandus ac cogendus, ipsiusve infringendum est elaterium; tandemque eidem quispiam parandus est exitus, per quem possit e corpore exilire.

446. Ut vero priori indicationi (445.) fiat satis; quæ hanc aeris ab intricantibus liquidis evolutionem præstitere causæ, studiose perquirendæ ac impigre oppugnandæ. Unde si fervens in universa liquidorum mole nimius ardor, hunc ediderit effectum, ut frequentissime evenit,

mature instituta imo & iterata s. m. nec non omni refrigerantium ac mitigantium genere placandus ille, sicque ulterior inhibebitur aeris extricatio. Si autem ad putrefactionem, vel ob peculiare victus genus, vel propter flagrantiorem æstum, liquida vergant; quæ causa e succorum sinu, non raro latentem expromit aera: acida tum vegetabilia, tum mineralia, cunctaque putredini adversa, prolixe satis superius commendata (a 253. ad 261.), in usum vocare, maxime proderit.

447. Secundæ indicationi (445.) morem geremus, hæc adhibendo medicamenta, quæ tum in secunda (195.) tum in quinta (198.) classe recensita, aeris elaterem deprimere, hunc figere & absorbere idonea. Verum eadem diversimode seligere præstat, prout flaccida & atona, aut tensa ac constricta sunt solida, & humores sicciores, fervidique, aut inertiores ac lentiores. In hoc enim utroque casu, varia habenda est medendi ratio, quam ex prægressis (a 356. ad 443), ut & remediorum formulas, pronum est excerpere. Quæ intus exhibebuntur, quoniam ab his longius alimentariæ fistulæ, viarum chyliferarum, vasculosive systematis iter peragrandum, priusquam ad

effuſum uſque ac collectum in imo ventre aerem perducantur, non tam cito nec tam proſpére ſuccedent; huc enim non niſi parciſſima doſi, ſummeque fractis viribus ferri queunt, utpote quod ex æquo in omnes humanæ machinæ ductus diffuſa fuerint. Unde ſæpius nihil aliud præſtant, quam ulteriorem præcavere aeris eruptionem, nec poſſunt jam evolutum & congeſtum frenare ac cogere, e contra vero, eadem in inteſtinali Tympanite uſurpata auxilia, cum ſtatim obviis affundantur Flatibus, horum vim & ferociam promptius ac efficacius domant.

448. Quoniam autem in abdominali Tympanite, peritonœo immediate ſubjacet aer, in inteſtinali vero profundius latet, ventriculi ſcilicet & inteſtinorum hoſpes; inde conſequens eſſet auſpicatiorem fore in priori quam in poſteriori caſu, præſidiorum externorum uſum, circa quæ nihil hic adjiciemus, ne actum (a 392. ad 403. & a 430. ad 437.) agere videamur. At perſæpe deſiderato orbantur ibi effectu, quia abdominalibus clauſtris incluſo aeri, nullus patet exitus.

449. Hunc ergo infeliciter præcluſum aperire nitamur; ſic tutior magiſque proſpera erit priorum medicaminum (446. 446. 448.) adhibitio; ſic partim horum

ope retusus ac subactus aer, ex abdominis cavo aliorsum evocari, & qua data porta, e corpore prosilire poterit. Cum enim alicubi emollita magis & laxata, sicque patentiora sunt excretoria vascula, minusve resistunt; solidorum contractili motu, eo uberius urgentur humores, ipsaque effusa liquida quæcumque, partium circumjacentium renixu, in poros & ductus absorbentes impulsa, eodem trudi queunt. Hic ergo juvabit alvum mollire, eamve laxam patulamque servare, tum frequenti clysmatum lenientium ac carminantium injectu, tum prudenti catharticorum usu: sic enim ventriculi & intestinorum exonerata colluvie, expansa minus alimentaria fistula, conclusum in peritonœi ambitu aerem arctabit minus densabitque, unde decrescere poterit abdominis turgescentia. Verum insuper per apertam hanc viam, forsitan prorumpere valebit Flatuosum illud liquidum, & ita depelli Tympanites.

450. In hoc etiam affectu, urinarias patefacere vias, neglectui non habeat medicus; Flatus enim vasculis absorbentibus excepti, in circulationis orbem reducti, sicque intra liquida consepulti, corumdemve fluento abrepti, hiantibus magis Bellinianis canaliculis, per diure-

ſim, ſimul cum urinoſo latice confuſi, commode e corpore eliminari poterunt. Infuſa igitur, decocta & juſcula ex diureticis parata; ſerum lactis, cui cum carminativis quibuſdam floſculis incoxerint millepedes aliquot vino albo abluti, additusque fuerit chærefolii ſuccus, ad unum aut alterum cochlear; ptiſanna ex radice & ſemine fœniculi confecta, omniaque carminantia diuretica ſimul virtute inſignita; ſummopere proderunt. Præſtabit autem non renale tantum aut inteſtinale colatorium, ſed & etiam cuncta corporis excernicula patere, necnon ubique liberum ac expeditum eſſe, liquidorum commeatum: quapropter mitiorum aperientium & reſolventium uſus, quo craſſiora ac lentiora liquida extenuantur & moventur, ductuſque infarcti reſerantur, generatim maxime proficuus erit.

Num peragenda in Abdominali Tympanite Paracenteſis.

451. Verum perſæpe, varia in hoc morbo ad cohibendum aerem auxilia (447.) incaſſum adhibentur, necnon fruſtra tot ipſi panduntur exeundi viæ (449. 450.), manetque pertinaciter abdominis cavo coercitum Flatuoſum iſ-

tud liquidum. Num compunctis acu tricuspidata claustris abdominalibus, promptum huic egressum parare licet ? Sub judice lis est. Statim autem quotidiana experientia asciticorum aquam tam commode celebrata punctione educi perhibens, eamdem hic instituendam esse suadet, ad proliciendum aerem, qui expeditius celeriusque omni humano liquido, ex inflicto vulnere prosilire debet. Accedit huc quorumdam practicorum consilium, Dureti v. g. qui coacam hanc praenotionem (u) interpretans, *hydrops qui medicinae concedit & revenit, desperatus*, Tympanitem punctura curari sic videtur asserere. *Medicandi ratio suscipitur atque perficitur, idque circa initia cujusque hydropis, in leucophlegmatia quidem primum sanguinis detractione: in coeteris vero, catharticis, diureticis, compunctione, &c.* Ad hanc peragendam operationem, impellere videtur quod refert Sennert. (x) rusticas nempe mulieres jumentorum ventrem arctis fasciis constringere, & subulis perforare consuevisse, ut horum inflationem ab esu graminis cujusdam arundinacei ortam depellant, & inde imminens

(u) Comment in coac. hyppocr. Lib. 2. cap. 19. text. 11.

(x) Lib. 2. institut. part. 2. cap. 7.

mortis periculum avertant. Eximius tandem Boerhaave, in Aphorismis suis, cap. de hydrope, puncturam in Tympanite haud ambigue consulit, & peractam fuisse docet haud sine fructu, hanc *sœpe solatio*, *raro sanatione suffecisse* inquiens, fasciasque post illam institutam locum habere monens.

453. Verum plura militant in adversum, & ab abdominis punctura dehortantur ibi non spernenda rationum momenta. Primum enim tricuspidatam acum, in imi ventris cavum adigere piaculum esset, nisi ibidem immediate conclusus lateret aer; at cum maxime incerta & æquivoca sint hæc signa, quibus Tympanitem abdominalem ab intestinali distinguere nitimur (170), priorve species valde sit infrequens; id fere semper in ancipiti manet, an paracentesim instituere congruat, an tanquam inutilis imo & nociva sit rejicienda. 2°. Nullum huc usque novi, hujusmodi operationis feliciter in tali casu peractæ exemplum, nec legere contigit, licet plura in hunc finem volumina pervolverim; & si quod res est, fateamur, Duretus ipse, dum compunctionem, in loco citato præcipit, non de Tympanite, sed potius de ascite, pectoris hydrope, & hydrocele agere vide-

tur, quibus reliqua ab ipso addita magis certe quam hydropi sicco competunt; & hujus ultimi morbi, non in abdomine, sed in ventriculi & intestinorum cavo, fere perpetuam sedem agnovit famosus ille Hippocraticæ medicinæ restaurator (34. Observ. 6.). Nec descripta Sennerti historia circa ventris jumentorum perforationem, hunc unquam incitavit, ut punctionem in Tympanite celebrari juberet. Licet tandem in omnibus magni facienda sit Boerhaave auctoritas, forsitan aliorum fide, punctionem Tympaniticos sublevasse dixit; de hoc enim morbi genere, obiter tantum tractavit, idque semper abdominale esse censuit. 3°. Si jam multo superius prolatas D. Littre observationes (23.) memoremus, reperire erit punctum Tympaniticorum ventrem non aerem exhalare, non tinnitum amittere, non detumescere. Si vero sola quæ prostat, saltem quam noverim, sigillatim exposita operationis hujus in vivente institutæ historia, quam in prægressis ab Helmontio deprromptam narravimus, (26. observ. 3.) huc revocetur, non felicem exitum, sed citissimam mortem subsequutam exhibebit: unde a pungendo in Tympaniticis abdomine terrere debet. 4°. Equidem lethalis ibi magis metuenda, difficiliusque

difficiliusque præcavenda videtur syncope, ob celerrimam prosilientis aeris eruptionem. Et hæc sunt non levia rationum pondera, quibus permotus, a consulenda hac chirurgica operatione longe alienus fui, in observatione Tympaniticæ mulieris supra relata (28.), cum insuper maxime collapsæ essent ægrotantis vires. Verum quidem est, quod perforato abdomine exiliisset aer, at sic hydatides vel depleri vel educi nunquam potuissent, sicut & turgida pone jecur locata capsula; nec forte liquidum ipsum effusum præ nimia crassitie, aut exitum præcludente hydatidum turma, potuisset eximi, cum in cadavere, pressus licet & valide & diversimode fuerit venter, paucæ tantum guttulæ stillarint: tandemque hoc in casu, prostratis maxime viribus, funestum animi deliquium averti non posse videbatur; quod verosimiliter intulissent subitanea violentissimaque aeris exitum subsequens, viscerum abdominalium diaphragmatisque versus inferiora retractio, atque junctus huic, propter sublatam resistentiam, uberrimus liquidorum affluxus.

453. Argumenta pro utraque parte, candide adduximus, quæ si examussim librentur, ultima forte (452.) prioribus (451.) palmam præripient. Unde

generatim abdominis punctio in Tympanite, tanquam dubia, fallax, imo & quandoque nociva habenda videtur.

454. Nihilominus si accurate singula hæc superius enarrata (170.) concurrerent signa, quæ quidem dubia, si seorsim sumantur, quorum tamen collectio fere indubitanter, præsentem arguit Tympanitem abdominalem; sique simul conspitarent ægrotantis vires, nec aliud quidpiam vetaret: post alia incassum usurpata auxilia, ipsa abdominis perforatio absolute tentari posset. At si certior firmiorve quapiam ratione, reddi posset hujus affectus diagnosis *, certo perstante virium robore, jam non amplius de instituenda paracentesi ambigere fas esset.

Cautelæ in Tympaniticorum paracentesi observandæ.

455. Hæc autem ibi celebrari debet, iisdem ac in ascite servatis cautelis, quæ

* Licet in prægressis (169. 170.) pro virili enodata fuerit hæc diagnosis, & præsertim non omissum sit, dolorem in intestinali Tympanite, interiora magis quam exteriora torquere, contrarium vero in abdominali obtinere; interim ad majorem hic optatam rei elucidationem advertere haud incongruum videbitur, colicum cruciatum & tormina priori magis propria esse, quam posteriori qui tensivo potius lumborum & totius imi ventris peripheriæ dolore stipatur.

in chirurgicis operibus, præcipue in concinna & erudita Heistheri Cheyrurgia, optime depinguntur. Ut imminens præcaveatur lypothimia, primum ægrotantis corpus horizontaliter in lecto jacere debet, paululum ad id latus reclinatum; in quo punctio peragenda. 2°. fasciis, tum supra tum infra locum perforandum, arcte satis abdomen constringere oportet. 3°. Ubi tricuspidata acus simul cum cannula, in ventris cavum fuit adacta, & priori retracta, modicum tantum exiliit aeris; illico digito occludendum cannulæ foramen, ad ulteriorem inhibendam eruptionem; dein paulo post amovendus est digitus, & quamcito reponendus; & sic per alternas vices, non vero unico ac subitaneo saltu, prodibit aer, nec exitiales de quibus supra (451. 3. 4.), poterit hac ratione inferre effectus. 4°. Ut tutius adhuc hi devitentur, qua proportione prorumpit aer, arctius stringendæ sunt fasciæ, sic enim minuta ab exitu aeris resistentia supplebitur. 5°. Tandem toto efflato aere, jamque omni abacto syncopes metu, ægrotantis corpus in proniori situ ponere licebit, ut per relictam cannulam, si quid in abdominis cavo serosum & aqueum supersit, effluere possit. Postquam autem sic instituta erit

punctio, ea iterum aliquamdiu in usum vocanda sunt auxilia, quæ morbi recidivam cavere paria sint.

456. Fatendum interim quod confidentius in hoc morbo pungeretur abdomen, si operationem hanc feliciter aliquando cessisse, exemplis aliquot compertum staret; quapropter si inter lectores occurrant qui talia præ manibus habeant, hos oro atque obtestor, ut sine mora, reipublicæ medicæ ingenui impertiantur, tradita simul fideli morbi historia. Cum autem hæc proxime typis cudenda, Lutetiæ Parisiorum relegerem, mendisque pro virili repurgarem; circa præsens argumenti genus, cum peritissimo expertissimove Monspeliensi Regioque Medico D. Sidobre, sermonem habere contigit, qui pro eo quo pollet animi candore, retulit ægrotantem quemdam, qui empyemate purulento censebatur affectus ab avunculo suo D. Barbeyrac, paracentesim in latere perpessum esse, celeberrimi hujus practici jussu, cujus nomen, ars medendi grata semper ac venerabunda recolet memoria; nec tamen ex aperto latere ullam fluxisse puris guttulam, sed cum strepitu prosiliisse aerem, non sine cita ægrotantis in pristinam sanitatem restitutione. Exemplum istud, quod

ſæpe digniſſimo nepoti, patruæque virtutis ac ſcientiæ hæredi narraverat D. Barbeyrac, ad celebrandam in abdominali Tympanite punctionem, animos addet. Ideo vero hujuſmodi, apud medicos autores, non extant circa Tympanitem obſervationes, quia valde infrequens eſt, & ut plurimum non abdominalis ſed inteſtinalis. Quod autem abdominis compunctio, Tympanitico illi tam exitioſa fuerit, cujus hiſtoriam narrat Helmontius (26. obſerv. 3.), forte in cauſa fuere ſerior operationis uſus, morbi vetuſtas, proſtratæ vires, viſcera tandem corrupta ac putrefacta.

457. Inteſtinorum aut alterius cujuſpiam viſceris abdominalis emphyſema, ſpurium quoddam Tympanitis genus inferens (122.), eadem propemodum interna ac externa remedia expoſcit, quæ jam ſupra, tum in inteſtinali (a 368. ad 443.) tum in vero abdominali (a 443. ad 450.) curando, laudavimus. Verum quoniam de emphyſematis cauſis, alio in opere ſeorſim & accurate diſſerere decrevimus, peculiarem ejus therapeiam, eodem remittere conſentaneum eſt. Nec videtur in hac morbi ſpecie, tuto fieri poſſe punctionem, quæ potius in textus cellularis peritonœi, aut adipoſæ mem-

branæ emphysemate (122. 172.) locum habere posset, post expertum frustraneum aliorum auxiliorum usum; circa quæ idem intelligendum, quod mox de interni emphysematis remediis dictum est, cum hoc tamen discrimine, quod in illo duplici affectu utpote plus extrorsum vergente, topica magis prosint.

CURATIO TYMPANITIS CUM ASCITE.

458. Tympaniti persæpe comes jungitur ascites (151.), raro quidem intestinali, fere semper abdominali: Ubi vero sic uterque sociatur affectus, jam non solum traditis huc usque & a collecto aere oblatis indicationibus (445) parendum; sed & alias adimplendas exhibet effusus humor. Primum enim cavendum, ne novus in cavum abdominis profundatur; & in hunc finem obstructi reserandi sunt meatus, obicesque tollendi, qui lymphæ remixtioni cum venoso sanguine obstant. Deinde vero tum alvinæ tum urinariæ viæ, aut simul, aut alternis vicibus patefaciendæ, ut per easdem jam effusus & collectus eliminetur humor.

459. Ex his (458.) concludere est, in hoc complicato affectu, paulo validiora usurpanda esse resolventia & aperientia, ac vehementiora diuretica & cathar-

tica, quam in Tympanite ſimplici; nec tam larga manu porrigi poſſe lenientia, & carminantia ſecundæ (195.) ac tertiæ (196.) claſſis; nec tandem violenta hæc exhiberi poſſe medicamina, quæ propemodum virulenta tam ſæpe ad ſolum aſcitem debellandum uſurpantur. His prænotatis, poſt præſcriptum parciorem potum, victumque ſiccum, præſertim ex pane biſcocto carminativis ſeminibus condito, necnon cujuſpiam exercitii & frictionum uſum, ſequens poterit inſtitui medendi proceſſus.

460. Hic generatim, propter aſcitis ſocietatem, congruere non videtur ſ. m. quæ tamen in principio celebranda, ſi juvenis ſanguineus vegetuſque ſit æger, cum febrili ac turgido pulſu. Semper autem purgans propinanda eſt potio, ex ſennæ, rhabarbari, ſalis polychreſti Seignette, ſummitatum abſynthii & ſeminum fœniculi leniori decocto & infuſo; cui cum manna Calabrina, aut pulvis Marci Cornachini, aut diacarthami electuarium conſulto adjicietur. Potioni huic clyſter carminativus & laxans pridie præmittendus eſt, ſicque ſuccedet auſpicatius.

461. Deinde vero ſubjungenda per decem dies, matutina ſequentis juſculi potatio.

Rec. carn. vervec. unc. x. cum ſ. q. aq. fluviat. aut pluvial. f. juſcul. cui add. iij. cancr. fluviat. tepida elotos & in mortar. marmor. contuſ. rad. petroſel. fœnic. & eryng. contuſ. ana unc. j. ſemin. fœnic. & aniſ. ana pug. j. hæc omnia coquant. adhuc per hor. j. & paulo antequam vas ab igne retrahatur, projice in illud fol. fumar. & cichor. ſylveſtr. ana manip. ſemiſ. flor. chamæm. pug. j. milleped. xij. in vin. alb. prius lotos & extinctos. Poſt levem ebullit. & infuſion. col. & expr. capiat æger mane.

462. Celebrato juſculorum uſu, iterum exhibenda cathartica potio (460.); ut ſolutis humoribus, pronior ad tubulos inteſtinales paretur via; partimve reſerata quæ prius infarcta erant vaſcula, rectius ſeſe expediant; ipſique flatus & humores abdomine concluſi, facilius reſorberi, & ſanguinis oceano redditi, per laxiorem ac patentiorem alvum, effundi poſſint.

463. Nihil autem vetat, quominus diureſim, cui promovendæ velificantur juſcula præſcripta (461.), & catharſim fere ſimul concitemus; docuit enim experientia, varium hydropis genus hac duplici evacuatione, modo per alternas

vices ac seorsim contingente, modo una concurrente evanescere.

464 Quoniam vero non unicæ medicaminum speciei auscultat morbus; sic expurgata alvo, hauriantur quolibet mane per quindecim dies, decem aut duodecim unciæ seri lactis vaccini aut caprilli albumine ovi clarificati; in quo ebullierint cum chamæmeli & sambuci flosculorum ana pugillo uno, millepedes quindecim aut viginti in vino albo loti & extincti; cuique cum modica sacchari quantitate, confusus fuerit apii palustris ac chærefolii succus, uterque ad cochlearia duo. Remedium istud egregie resolvit, aperit, necnon uberiorem urinosi laticis movet excretionem. Hujus usui, purgans subjungendum est.

465. Deinde vero, si perseveret adhuc affectus, nec ullatenus detumuerit venter; jusculum sequens balneo mariæ paratum, maxime aperiens & eximium anti-hydropicum, mane per duodecim dies, usurpandum est.

Rec. carn. vitul. libr. j. & dimid. folior. cichor. sylvestr. fumar. & chærefol. ana manip. j. flor. chamæm. pug. ij. pulverem ex sal. admirab. Glauber. rhabarb. elect. semin. cumin.

& milleped. præpar. ana gr. xl. ſcindatur caro in talleolas; herbæ minutatim concidantur; diſponantur omnia in vaſe, ſtratum ſuper ſtratum, itaut primum herbis opertus ſit vaſis fundus, his ſuperjaceant fruſtula carnis, quibus pulveris modicum inſpergendum eſt. Reliqua eadem ratione ordinanda, quouſque tandem ex herbis confectum ſit ultimum ſtratum. Projectis ij. aut iij. aq. comm. cochlear. omnia perfunde. Operculo ſuo vas accuratiſſime, in balneo mariæ pone, ut ibi leviter, per quinque aut ſex horas, coctio inſtituatur; qua peracta, fortiter cola & exprime pro unica doſi.

466. Poſt hujuſmodi juſculi (465.) uſum, ſi morbus adhuc pertinaciter obſiſtat, iterata cathartica potione (460.), alia ex uſu eſſe poterunt remedia, ut opiata ſequens.

Rec. conſerv. enul. campan. & extract. juniper. ana unc. ſemiſ. rhabarb. elect. & milleped. præpar. ana drachm. ij. tartar. vitriol. drachm. j. diacrid. ſcrup. ij. ſemin. fœnic. & aniſ. ana drachm. dimid. pulveran-

da pulverent. & incorpor. omnia in ſ. q. ſyrup. de abſynth. f. opiat. pro xij. doſib.

Mane devorata opiatæ doſi, amplus ſuperbibetur calentis adhuc infuſi theiformis foliorum meliſſæ, florum chamæmeli & millefolii cyathus.

467. Poſtquam vero tota aſſumpta erit opiata (466.) propinandus iterum potus carharticus; & ſi frangi neget contumacia morbi, alia paſſim à variis Autoribus jactata auxilia adbibenda; diuretica præprimis carminativis nupta, ut pulvis ex paliuri, bardanæ, fœniculi ſeminum ana drachma dimidia, bis in die, mane ſcilicet & hora quarta pomeridiana ſumptus, hauſto inſuper herniariæ & florum chamæmeli infuſo. Quod remedium per aliquot dies uſurpari poteſt; ut & famoſum cinerum geniſtæ infuſum, cujus plures in die cyathi potantur; item largior ſucci apii paluſtris doſis, ſaccharo edulcorata & decocto quodam diuretico carminativo diluta; tandemque millepedum & baccarum alkekingi ac juniperi ſolutio, hac ratione parata.

Sumantur milleped. xxx. aut. xl. vin. alb. ablut. alkeking. bacc. xv.

aut. xx. & junip. bacc. vj. contund. in mortar. marmor. ſenſim affundendo ampliſſimum vin. alb. cyath. per linteum trajiciatur fortiterque exprimatur illa materies, & liquorem habebis egregie diureticum.

Valde etiam commendatur bufonum pulvis a ſcrupulo uno ad ſcrupulos duos. Spiritus therebintinæ ad guttas quindecim aut viginti, cum pari eſſentiæ carminativæ Wedelii doſi, aquæ chamæmeli ſimplicis aut compoſitæ aliquot unciis affuſus, hic maxime prodeſſe poteſt. Nec immerito ab expertiſſimo Bateo, in Pharmacopæa ſua laudatur ſpiritus ſalis coagulatus, tanquam medicamentum aquam, Flatus, tartaream & viſcoſam materiam, ſpecifice & potenter per urinas expellens; cujus doſis a guttis ſex ad quindecim, quæ aqua chamæmeli, aut fœniculi, vel mixtura ſimplici de tribus, aut alio conſimili vehiculo dilui poſſunt. Utilem etiam præſtabit ſe ſpiritus tartari ad guttas aliquot, eadem ratione dilutus.

468. Nec tantum in diureticorum uſu hærendum, ſed & mochlica quædam hydragoga in aſcite feliciter experta, hic nonnunquam uſurpare fas erit. Sic v. g. ſyrupus de rhamno carthartico, ad un-

ciam semissem, aut unciam unam, aut unam & dimidiam, infuso cuidam carminativo additus, per duos aut tres dies, exhiberi potest. Aqua vitæ germanica seu tinctura ex ireos florentinæ & jalappæ partibus æqualibus, ope spiritus vini prolicita, eadem ratione sumpta competit. Succus ireos nostratis ab uncia semisse ad unciam unam, vel unciam unam & dimidiam, aut julepo quodam mitigatus, aut jusculo in quo ebullierint carminativi flosculi, aut tandem mannæ solutioni confusus, opem præstare par erit; non secus ac brioniæ asperæ seu vitis albæ succus consimili modo haustus. Medius tandem radicis sambuci vel ebuli cortex, ad drachmam unam & semissem, vel ad drachmas duas, in lactis unciis duodecim infusus leniterque coctus, cum nonnullis speciebus carminativis, maximo poterit esse emolumento. Forsitan & non sine successu, per interpolatas vices pulvis exhibebitur, ex gummi guttæ granis sex, seminis fœniculi scrupulo dimidio & nitri purificati scrupulo integro compositus, hausto post elapsam horam jusculo ex vitulina carne parato. Fatendum tamen omnia hæc violenta & acria purgantia, in illo Tympanitis & ascitis concursu, multo minus quam in ultimo solitarie

occurrente congruere; quapropter plura alia vehementiora adhuc ac fervidiora consulto omittimus.

469. Sedulo interim expedit observare, variam ibi therapeiam instituendam esse, prout prædominium tenet Tympanites, & lumborum cruciatu ventrisque torminibus torquetur æger, necnon calida & acria læsionem, temperata vero ac lenientia juvamen intulere; vel prout prævalet ascites, nullo aut modico conflictatur dolore æger, tandemque vehementia satis remedia profuere, mitiora autem noxia aut frustranea se præstitere. In primo casu, eadem propemodum ineunda erit medendi via, quam in pertractando Tympanite simplici (a 336. 458.) pro virili patefecimus, additis tamen levioribus nonnullis auxiliis, diureticis puta & catharticis quibusdam, quæ in ascite juvare solent (466. 467.) quæve cauta manu, cæteris consociata remediis, proderunt. Verum ableganda procul drastica illa cathartica, aliaque acriora medicamenta, quæ certo noxam inferrent.

470. Postremo autem casui (469.) eadem aptanda erit methodus curandi, quæ asciti simplici congruit, oblivioni interim non mandata Tympanitis socie-

tate, paucisve selectioribus adjunctis, quæ ultimo huic affectui eradicando idonea comperta sunt, tuncque persæpe pharmacis paulo validioribus uti licebit.

471. Nec unquam contemptui hic habenda est, sexus, temperamenti, & causarum omnium antecedentium ac remotarum consideratio; quæ symptomatum & juvantium lædentiumve attentæ observationi juncta, genuinum complicati hujus morbi caracterem prodet, necnon veram magisque consentaneam ipsum oppugnandi rationem exhibebit. Præstat & ibi ad morborum successionem attendere, an nempe prior accesserit Tympanites, ipsique successerit ascites; an ex adverso hic illius prodromus fuerit. Morbus enim primarius seu idiopathicus, majorem ad congrua indicanda præsidia, videtur habere efficaciam, quam secundarius vel symptomaticus.

472. Frequens clysmatum laxantium, & catharticorum injectio, in hoc composito morbo, maximum levamen afferre potis est. Nec topica omittenda, quæ quidem levem opem præstare, vix autem collectum humorem excutere queunt; quorumve ex prædictis (a 430. ad 437.) formulas excerpere pronum erit, quin

novas addere ſit neceſſum : quilibet enim, illarum adinſtar, alias aſciti magis accommodatas, pro lubitu fingere poteſt.

473. Si putreſcens liquor in abdominis cavo, extricatum ſuggerens aera, Tympanitem conſciverit, aut eidem jam nato vires addiderit; quæ putredini adverſa, ſanguinemque contra imminentem tetram infectionem præmunire apta, (a 153. ad 261.), tum extus, tum intus operæ pretium eſt adhibere. Plerumque tamen caſus iſte ut immedicabilis ac deſperatus habendus eſt; liquidi enim e circulationis orbe devii, ac imi ventris ergaſtulo clauſi, jam incœpta putrefactio, ut & viſcerum adjacentium lethalis inde orta læſio, nulla fere ratione inhiberi poſſe videtur. Spem ſalutis ſola portendere poteſt mature inſtituta paracenteſis.

474. In omni tandem Tympanitis ſpecie, quæ comitem habet aſcitem, imi ventris punctio celebranda; quo Flatus abdominalia clauſtra ſubtendens exilire, collectus autem humor profundi poſſit. Ibi vero religioſe ſervandæ ſunt adhuc ſuperius deſcriptæ (454.) cautelæ, nec unquam Chirurgico huic operi, manum admovere fas eſt, niſi reliqua in ægrotantis corpore, & præſertim requiſitum

virium

virium robur consentiant. Post institutam paracentesim, aptioribus auxiliis & accurato victus regimine, morbi reditum præcavere muneris est nostri.

475. Hic haud dubie reperire non gravabitur Lector, quæ ad ascitem cum pulmonum labe, & Tympanite profligandum, consulit venerandus in æternum humanæ compagis scrutator Marcellus Malpighi (y). Postquam autem complicati ac periculo pleni hujus affectus tradidit ætiologiam, sic loquitur: *Indicationes itaque sunt, restituendi, prout fieri potest, debitam sanguinis compagem, absumendi erosivos sales, firmandi motum peristalticum partium, juvandi coctiones, & tollendi congestiones; pro quibus assequendis difficillimum est, cum Areteus hæc habeat.* OPORTET MEDICUM HOC IN MORBO, TOTUM HOMINEM PERMUTARE, QUOD PER JOVEM NEC DIIS IPSIS FACILE FUERIT. *His accedat contrarias adesse indicationes, & remedia quæ urinam & transpirationem promovent, pulmonum hiatum aperire possunt. Ut autem aliquid moliamur in tam gravi morbo, laudarem pro absumendis erosivis salibus, & procuranda naturali sanguinis compa-*

(y) Marcell. Malpighii Consultation. Medicinal. centur. prima Patavii 1713. consil. 65. pag. 117.

ge, usum croci martis adstringentis, cum succo concreto fol. plantag. quercus & cichorii, vel horum decocto, hisque utatur saltem per mensem. Fluente interim feliciter urina, laudo usum spir. salis coagul. Hadr. Amynsict. in syrup. de althæa, vel in decocto marrub. absynth. atque radic. gram. Si autem alio evocanda sit materia, loco decocti ex volatilibus, ne major in thorace hiatus fiat, uterer antimon. diaphoret. Circa purgantia & præcipue hydragoga caute incederem. Colliquant enim sanguinis massam, & meatus magis aperiunt.

Ego uti soleo sequenti blando leniente.

Rec. seri vaccin. libr. ij. fol. senn. drach. iiij. zimziber. scrup. j. succini drachm. j. macerentur omnia. Dosis sit unc. iiij.

Vel interdum usurparem aquæ vitæ cochlearia, in qua infusa sit radix ebuli. Clysteres frequenter injiciantur; parati urina sani infantis cum modico terebint. & salis prunellæ. Circa localia venter foveatur aqua fontis, in qua sæpe sit extinctus ignitus chalybs, vel sequenti fomento.

Rec. urinæ pueri libr. iiij. salis

prunell. unc. iij. bulliant ad consumptionem tertiæ partis.

Suspectam in hoc casu habeo paracentesim, cum docente Hipp. celebranda sit integris visceribus existentibus, & cito. Constat autem hanc affectionem ex morbis viscerum comproductam esse. In vino infundat chalybem, & comam absynthii, vel extinguat ignitos silices. Condiat cibaria sale absynth. Ceterum ex Hipp. ex Celso, FAMES, SITIS, LABOR, ALIAQUE TÆDIA IN HOC MORBO SUNT NECESSARIA: *carnibus facilis coctionis, assis præcipue in prandio utatur; parce tamen cenet. Vitet acida, acria, & salsa. Pauca hæc cursim indicabam, eaque subjiciebam acri judicio excellentissimi viri. Faxit Deus, &c.*

Eo autem Lubentius hoc expertissimi Malpighi consilium adduximus, quo jam traditæ therapeiæ magis consentanenm videtur. Si enim accurate perpendantur quæ in eo contenta, statim occurret, tonica subadstringentia, diluentia, resolventia & aperientia, ac cathartica ibi prudenti manu consociari; merito acriorum hydragogorum damnari usum; suf-

pectamve haberi paracentesim, tandemque optima tum clysmata, tum topica laudari. Id solum superest animadversione dignum, quod forte satius fuisset in hoc casu, a tonicis adstringentibus curam non auspicari, nec tamdiu eorumdem usui inhærere, quamvis remedium aperiens cichorium puta his adjunctum fuisset.

476. Plura etiam & quidem egregia ex celeberrimi Frider. Hoffmann Consultationibus & responsis medicinalibus, quamvis aurea hujus opera omnium terantur manibus, hic operæ pretium erit excerpere; ut nitidius innotescat legitima Tympanitem hydropi nuptum debellandi methodus. Statim autem casus sexagesimus quintus centur. secundæ & tertiæ section. tertiæ, affectum cachectico-Tympaniticum viri quinquaginta novem annorum, & temperiei cholerico-sanguineæ exhibet; cui ingenerando contulerant sedentaria vita, crebri mœrores ac animi commotiones, hæmorrhoidum negatus fluor. Medicus autem ordinarius eo curandi scopos direxerat, ut fœculento sanguine infarcta viscera reseraret, eorum tonum firmaret, serum superfluum ac stagnans e corpore proscriberet, Flatus discuteret, ac vim stomachi digestivam

adjuvaret. In hunc finem pulveres salinos resolventes, leviter diureticos adhibuit interpositis martialibus, anticachecticis, stomachicis ac carminativis, & extrinsecus applicuit sacculos ac emplastra discutientia. Laxantia oretenus exhibere non ausus, ob insigne ægri fastidium, & virium defectum, clysteres infundendos curavit, quibus fœces copiosissimæ, nigricantes, & induratæ cum multis Flatibus educebantur, molliusque fiebat abdomen. Cum tamen his irritis turgidus maneret venter, extrema omnia tumerent, contabescerent superiora, perpauca ac lateritia mingeretur urina, magisque cum pessimis symptomatis frangerentur vires, efflagitatum peritissimi Hoffmann consilium, qui maxime laudata jam adhibita therapeia, hæc proposuit. *Unicum adhuc monere liceat, quod nimirum in ejusmodi tumoribus hydropicis potentior paulo evacuatio sit necessaria: cui scopo cum purgantia drastica ac vehementiora minime conveniant, felicissimo cum successu satisfaciet infusum mannatum cujus hæc sit compositio: recipe mannæ electæ uncias tres, terræ foliatæ tartari, cremoris tartari ana drachmam, aquæ florum acaciæ uncias sex: coque & solve leni calore, colaturæ adde essentiæ corticum aurantiorum, cen-*

taurii minoris ana guttas quadraginta, olei de cedro italici guttas ſex. M. D. Hæc potio, ſingulis quatuor diebus repetenda, mane ſucceſſivis hauſtibus, interponendo potum juſculi avenacei, aſſumatur. Deinceps ad ſpaſmos demulcendos, & Flatus diſcutiendos ingentem opem præſtabit liquor meus anodynus, cum quarta parte balſami vitæ maritatus, & ter quotidie ad triginta guttas, ex decocto quodam, vino moſellano nupto capiendus. Roborat ille ventriculum, & univerſum nervorum genus, urinam flatuſque pellit, & præſertim cum febrilis nondum præſto ſit calor, egregii eſt uſus. Præterea pilularum balſamicarum ad Becheri, Stahlii, vel meam mentem paratarum octodecim alternis circiter veſperis deglutiendas ſuadeo, & altero mane drachmam unam ſalis aperitivi ſumendam commendo, cujus hæc eſt formula: Recipe lapidum cancrorum, ſolutionis oculorum cancri, ſalis abſynthii, tartari vitriolati, ſalis ſedlicenſis ana drachmas duas, nitri antimoniati drachmam unam. M. F. Pulvis. Potui ordinario conveniet decoctum ſarſaparillæ, corticis ligni ſaſſafras & juniperini, cum tertia vini moſellani parte remixtum: quibus, ſi res adhuc integra fuerit, reſtitutum iri ægrum eo minus dubito; quo plures mihi occurrerunt

personæ, quæ eodem morbo, iisdemque remediis tractatæ, pristinam recuperarunt sanitatem.

Hic curationis processus dubio procul autoris peritiam ac prudentiam prodit. Id solum mirum videri potest talem prescriptum fuisse potum ordinarium, in quo diaphoretica, potiusquam diuretica magis hic optata, virtus eminet. Nihilominus non diffitendum, ligno juniperino sed magis adhuc vino mosellano hanc ultimam inesse; nec raro a diaphoreticis ipsam cieri diuresim, si patulum faveat renale colatorium, simulque alia exhibeantur remedia quæ urinas movent.

477. Integra haud inepte exarabitur ibi ejusdem Frider. Hoffmann consultatio 66[a]. congrue tamen omissa quæ ipsam præcedit morbi historia, utpote quæ paucis optime resumatur ab autore; sic autem loquitur.

Acceptis litteris, quibus adversa valetudo matronæ cujusdam spectatissimæ describitur, statim ponderavi, perpendique mecum cuncta morbi momenta: & ex illis probe intellexi, quod cum ægra sit temperamenti cholerici, sanguine succisque plena, largum cruorem, tam per menstruum fluxum, quam sub crebris, quos passa est abortibus, ex utero fuderit, deinceps vero

& lochiorum & mensium parciorem excretionem tulerit, & per longum tempus, variis spasmodicis, arthriticis, nephriticis, colicis, hystericis, vomibundis, cardialgicis ac hypochondriacis passionibus agitata fuerit; non omnino fieri potuerit, quin sub tantis tamque diuturnis spasmis, non modo viscerum internorum insignis atonia enata, verum etiam tumor in abdomine subortus fuerit. Et forsitan ipsa remedia, quæ his affectibus & inprimis abortibus quorum cautissima debet esse curatio, opposita fuerunt, eam obtinuerunt indolem, ut malum magis exacerbaverint: quibus ex causis viscerum & præsertim hepatis labem inductam esse, haud sine ratione credo.

Quibus suppositis, primæ quæstioni satisfacturus, morbum pro Tympanitico cum ascite complicato habeo; licet nulla adhuc seri extravasati in abdomine deprehendatur fluctuatio; namque Tympaniam nimia, dura, ac renitens imi ventris expansio significat. Quod autem tumorem illum internum attinet; de eo nihil certi determinare possum, cum nec memoretur in quo latere hæreat, & mox in epigastrica, mox hypogastrica abdominis regione latere describatur. In tanta enim incertitudine, vel pro scirrho uteri, vel pro infarctu inferioris hepatis tractus, vel pro sarcomate omenti,

aut

aut membranarum circa intestinum colon declarari posset; quarum opinionum singula vero videtur simillima, licet, deficiente exactiori descriptione, quæ illarum vera sit, affirmare nequeam. Quamobrem juxta tertiam quæstionem, tumori huic primam morbi originem imputare nollem; sed illam potius ex crebris abortibus, partu difficili, spasmis nephriticis, lochiorum vitioso successu, passionibus hystericis, hypochondriacis, atque colicis, & hinc relicta viscerum atonia, vel etiam obstructione derivarem; allegatum autem tumorem pro causa hæc symptomata magis augente & accelerante haberem.

Et in tanto tamque periculoso morbo, tantum abest ut proficuam crederem paracentesim, ut per illam lethalem potius eventum acceleratum iri, crebra experientia edoctus statuam. Neque enim hac instituta, tumori ipsi suspecto, nec remediis, nec manuali operatione succurri poterit; ideoque illam prorsus omittendam utique suadeo. Et si ad quintam denique quæstionem mentem meam aperiam; morbum præsentem valde periculosum, & fere immedicabilem judico; cum non solum pessimis symptomatibus, veluti sunt virium & appetentiæ defectus, asthma, ac urina imminuta, complicatus; verum etiam per bi-

nos jam annos, tam multis ex parte incongruis remediis plane corruptus fuerit ac depravatus. Nihilo tamen minus omne auxilium denegare haud decet, ſed ſequenti ratione malum adhuc oppugnare expediet. Primum quidem clyſteres carminativos, & decem granulis pilularum Becherianarum nuptos, ano infundendos hortor. Deinceps decocta ac infuſa vinoſa reſolventia, mediocriter roborantia, cum tartari arcano maritatá; necnon ſalia abſtergentia, tartariſata, maxime Anglicanum; interpoſito per vices partim pilularum Becheri, partim eſſentiarum vincetoxici, ari, petaſitidis, caryophillatæ, gentianæ rubræ, &c. uſu commendo. Nec alienum erit trageas ex radicibus ari, helenii, petaſitidis, dictamni albi, vincetoxici, zimzibere, ſcilla, caryophillis aromaticis, & baccis lauri paratas adhibere; & extrinſecus emplaſtrum ſaponatum Barbette, linteis incluſum tumori admovere. Quod ſi adhuc ſpes ſalutis reſtiterit; ea ſane hac medendi via obtinebitur; in qua omnia martialia ac opiata medicamina, cane pejus & angue ſunt fugienda.

Merito tanquam fallax & periculoſa culpatur hic ab autore paracenteſis; merito morbus ut exitioſus & fere immedicabilis judicatur; merito tandem, car-

minativa, resolvens, aperiens, diuretica, & corroborans aptatur ab ipso medendi ratio; cui tamen forsitan haud ineptum fuisset cathartica quædam propriedicta interponere. Nec sine fundamento martialia & opiata damnat. Ubi solus occurrit ascites, priora persæpe opem ferunt. Ubi simplex ingruit Tympanites cum spasmo prædominante, opiata prudenter adhibita morbi sævitiem leniunt. Cum autem uterque sociatur affectus, vel nullus vel cautissimus debet esse amborum usus.

477. Casus 67. pro quo celeberrimi Hoffmann requisitum fuit consilium, in litterato viro quinquagesimum nonum ætatis annum agente, & sanguineo-cholerica temperie prædito, tumorem hydropicum sistit cum proxime imminentis Tympanitis metu; ad quem affectum a podagrica materie intra corpus acta natales mutuantem strenue oppugnandum, statim per septem dies mane, quatuordecim pilularum suarum balsamicarum devorari jubet; vesperi drachmam unam salis sui aperitivi exhibet, cum decocto sequenti quod pro potu ordinario commendat. *Rec. salsæparill. elect. unc. vj. rad. chin. unc. iij. cichor. glycyrrh. fœnic. ana unc. semis. M. C. C. D. S. Spe-*

cies, quarum unciæ binæ ex tribus aquæ menſuris, per tres horæ quadrantes, additis olei tartari per deliquium triginta guttulis, decoquantur. Quod decoctum vino moſellano confundere permittit. Tum iterum per ſeptem dies, ter quotidie ex eodem decocto, guttas quinquaginta propinat Elixirii diuretico-antiſpaſmodici & carminativi; cujus hæc eſt formula: *Rec. tinctur. antimon. acris unc. ſpirit. tartar. nitr. dulc. ana unc. ſemiſ. ſal. ammon. cum calce viva parati drachm. ij. M. D.* Et hæc medicamina ſic per aliquod tempus alternari ſuadet, ſingula ſeptimana vel pilulas vel elixirium adhibendo. Alvi ſegnitiei clyſteribus domeſticis ſuccurrere docet: quæ cuncta ſi rite peragantur, de felici eventu nullus dubitat clariſſimus Hoffmann. Haud dubie hoc in caſu laxantium internorum reformidavit uſum.

478. In caſu tandem 68. curandus autori proponitur aſcites cum Tympanite, & ictericeo faciei colore junctus, qui a ſpaſmodicis ventriculi, inteſtini duodeni, & ductuum biliferorum ſtricturis ortum duxit. His autem anſam præbuerat nimia ad graviores animi commotiones, & præſertim iracundiam ægrotantis proclivitas. Profuturam eſſe non

dubitat Frider. Hoffmann ſic ab ipſo ordinatam curationem. *Ter nimirum quotidie elixirii balſamici. ex ſaturatiori ſalis tartari ac nitri lixivio, extracto cardui benedicti, & corticibus aurantiorum parati, quantum cochlear capit, ex aqua florum acaciæ, vino moſellano nupta capiatur. Tum per aliquod dies, mane pariter ac hora quinta pomeridiana, adhibeatur balneum vaporoſum, ex aqua, floribus chamæmeli, & ſemine lini confectum, cujus vapor per horam dimidiam abdomini admittatur, pectore capiteque probe velatis. His emollito corporis tumore, mane capiatur infuſum mannatum, quod ſic paratur: Recipe mannæ electæ uncias duas cum dimidia, cremoris tartari drachmam unam & ſemis, ſolve in aquæ florum acaciæ unciis quinque; adde tartari emetici ſoluti grana tria. M. D. Poſt hæc, per aliquot dies iterum in uſum vocentur & balnea vaporoſa, & elixirium balſamicum; tandemque repetito infuſi laxantis uſu, rurſus uſurpentur. Quæ ut ſecundet Divina clementia, ex animo precor.* Exemplum iſtud non tantum Tympanitem & ictearum, ſed & ipſum hydropem aſcitem a ſpaſmodica conſtrictione ſoboleſcere poſſe perhibet; quo in caſu fortiora & præſertim draſtica exbibere piaculum eſt, ſal-

tem in principio, nec ipsa media cathartica aut emetica propinare licet, nisi prius spasmi sedati fuerint. Quapropter ibi infuso laxanti & emetico, balneum vaporosum emolliens caute præmissum fuit; mirorque Frider. Hoffmann liquorem suum anodynum tam egregie antispasmodicum & carminativum hic omisisse.

479. Nec silentio prætermittendum facile quoddam & extemporaneum medicamentum, quod prospero cum successu, in hydrope ascite, adhibet celebris quidam Medicus in Bohemiæ regina urbe, seu Pragæ praxim exercens; acetum nempe ad uncias quinque aut sex propinatum. Hujus efficaciam in prædicta civitate edoctus D. Bourdier Doctor Medicus Parisiensis, feliciter ipsemet, eodem in morbo, expertus est. Quis autem vim debellando asciti parem suspicatus esset in aceto, cum omnia quæ vulgo adversus morbum hunc ordinantur auxilia, contraria prorsus indole polleant. Quo pacto talem præstare possit effectum, non statim menti occurrere fatendum est. Si tamen in memoriam revocemus, acetum maxime penetrabile densatos & concretos lymphaticos humores, ac coagmentatum sanguinem solvere & liquare, languidum exsuscitare

partium solidarum contractilem nisum, æstum & sitim compescere, putredini adversari, biliosos contemperare humores, tandemque diaphoresim aut diuresim movere; difficultatem quadamtenus excuti comperiemus, patebitque in certis hydropis speciebus, ubi nempe fervor, sitis, liquidorum concretio, ructus nidorosi, putrida colluvies, aut putrefactio imminens concurrunt, id remedii genus exhiberi posse. Nec, ad depellendum hydropem acida præscribi, novum in praxi videbitur, cui acidos spiritus salis & tartari persæpe fauste in eundem finem haustos fuisse, notum erit. Quod si in ascite simplici, multiplici nomine prodesse possit acetum; magis adhuc utile præstabit se, ubi Tympaniti jungitur hic morbus, cum vi aeris elasticæ reprimendæ aptissimum sit. Quapropter illud Tympaniti solitarie occurrenti oppugnando idoneum censeo. Huic tamen remedio nimium ne crede, quousque repetita obsservatione, magis explorata sit ipsius efficacia. Ibi tandem, quod alibi omissum fuit, recensere juvat, plurimos nemme incipiente Tympanite, spiritu tartari aperitivo, spiritu ligni sancti, & rob ebuli, curatos fuisse (z). Quod remedium aptissi-

(z) Philip. Jacob. Sachs Ampelograph. lib. 3. cap. 32.

me congruere videtur, ubi Tympanites asciti sociatur.

480. Sic demum non Tympanitis solum, sed & Flatulentorum omnium affectuum, de quibus hic agere suscepti ordinis ratio (1.) expostulabat, Therapeiam tradidimus (a 188. ad 480.). Et id unicum præstandum supererat: circa quod, sicut & circa operis hujus Historicam (a 3. ad 33. & a 154. ad 188.); ac Theoreticam (a 33. ad 154. & passim a 175. ad 188.) partem; ne quid subreperet saniori physicæ minus consonum, aut a sanctioribus praxeos legibus alienum, aut denique observationi ac experientiæ adversum, intentis omnibus nervis allaboravimus; sollicite semper ab omni excessu temperantes, a media ut pote tutissima via, quantum penes nos fuit, nunquam deflectentes, tandemque talia edocere indesinenter curæ cordique habentes, quibus morem gerens Medicus, juxta famosum sapientissimi Hippocratis (z) consilium, SI NON PROSIT, SALTEM NON NOCEAT.

(z) 1. Epid. Sect. 2.

FINIS.

ERRATA.

P*Ag.* 2. *lin.* 7. posremis, *lege* postremis. *Pag.* 11. *lin. ultima, post hæc verba*, nec jugiter ferociens, *adde* modo pacatius. *Pag.* 72. *lin.* 16. *dele* fere. *Pag.* 93. *lin.* 20. ad, *leg.* ab. *Pag.* 123. *lin.* 19. corpoirs *leg.* corporis. *Pag.* 142. *lin. ult.* aufractuosa *leg.* anfractuosa. *Pag.* 143. *lin.* 18. ininere *leg.* itinere. *Pag.* 192. *lin.* 19. perssionem *leg.* pressionem. *Pag.* 196. *lin. ult.* emiunt *leg.* emittunt. *Pag.* 210. *lin.* 17. Tympanaticæ *leg.* Tympaniticæ. *Pag.* 211. *lin.* 24. *&* 25. vernis *leg.* vernus. *Pag.* 254. *lin. ult. & pag. seq. lin.* 1. discerpore *leg.* discerpere. *Pag.* 261. *lin.* 9. 2. *leg.* 2°. *Pag.* 264. (6.) *leg.* (*p*). *In ead. pag. ut in seq. citationes huic subjacentes, juxta Litterarum seriem emenda. Pag.* 335. *lin.* 4. bytyrum *leg.* butyrum. *Pag.* 429. *lin.* 25. placando *leg.* placanda. *Ubicumque reperieris hæc verba* sœpe, coeterum, sœvus, *leg.* sæpe, cæterum, sævus. *Et ubi scribitur* aluus *leg.* alvus.

